



Google


HARVARD LAW LIBRARY
3 2044 097 720 734


SIGILLVM ACADEMIAE HARVARDIANAE IN NOV ANG
CHRISTO ET ECCLESIAE
VE RI TAS



France



PRÆLECTIONES

JURIS CANONICI

HABITÆ

IN SEMINARIO SANCTI SULPITII

QUINTA EDITIO

ACCURATE RECOGNITA AB AUCTORE

> Sic omnes Apostolicæ Sedis sanctiones accipiendæ sunt tanquam ipsius divini Petri voce firmatæ sint.
>
> (*Ivo Carnutensis*, Decr. IV part.)

TOMUS SECUNDUS



APUD VICTOREM LECOFFRE EDITOREM

PARISIIS
90, VIA DICTA BONAPARTE

LUGDUNI
VIA DICTA BELLECOUR, 2



PRÆLECTIONES

JURIS CANONICI

HABITÆ IN SEMINARIO SANCTI SULPITII

II

SCEAUX. — IMPRIMERIE CHARAIRE ET FILS

PRÆLECTIONES
JURIS CANONICI

HABITÆ

IN SEMINARIO SANCTI SULPITII

QUINTA EDITIO

ACCURATE RECOGNITA AB AUCTORE

Sic omnes Apostolicæ Sedis sanctiones accipiendæ sunt tanquam ipsius divini Petri voce firmatæ sint.
(*Ivo Carnutensis*, Decr. IV part.)

TOMUS SECUNDUS



APUD VICTOREM LECOFFRE
PARISIIS
VIA DICTA BONAPARTE, 90
LUGDUNI
VIA DICTA BELLECOUR, 2
1880

PRÆLECTIONES

JURIS CANONICI

PARS SECUNDA

DE PERSONIS

Cum tractaverimus in prima parte *Prælectionum canonicarum* de statu atque regimine Ecclesiæ, unde potissimum educitur notio juris publici ecclesiastici, ordo naturalis quæstionum exposcit ut explanationem juris privati aggrediamur, circa *personas*, *res*, et *judicia*, incipiendo a personis quæ corpus Ecclesiæ constituunt.

Summa divisio personarum est : 1° *laicorum* qui, nullo ministerio publico ordinis spiritualis addicti, sunt plebs Ecclesiæ ; 2° *clericorum*, qui cultui divino et sacro officio mancipati, ministeriis religionis incumbunt ; 3° *Regularium*, seu monachorum et monialium, qui sub regulis ab Ecclesia probatis, peculiare vitæ genus profitentur, et sectantur christianam perfectionem consiliorum evangelicorum praxi.

Clerus primum locum tenet, utpote qui ad sacram hierarchiam pertinet, cui commissa sunt dispensatio mysteriorum et regimen societatis christianæ ; regulares secundum locum occupant : clero sunt in adjutorium ad ædificationem fidelium, et odorem Christi per Ecclesiam diffundunt eximiarum virtutum abnegationis cultu ; tertio loco veniunt laici. Omnes vero, in quocumque gradu consistant, mirabili unitate simul consociantur « in illo per « omnia qui est caput Christus, ex quo totum corpus « compactum et connexum per omnem juncturam submi- « nistrationis, secundum operationem in mensuram unius- « cujusque membri, augmentum corporis facit in ædifica- « tionem sui incharitate. » (S. Panlus, *Epist. a Ephes.*, « IV , 16.)

SECTIO Iª

DE LAICIS

307. — Iº *Qui sint laici qui juri canonico subjiciuntur?*

Laici, a verbo græco λαός quod populum significat, in triplicem classem, quoad sanctiones canonicas, distinguuntur, scilicet infidelium, catechumenorum et fidelium. Inter laicos baptizatos, alii sunt orthodoxi qui veram fidem catholicam profitentur; alii heterodoxi, seu hæretici qui erroribus contra fidem catholicam ab Ecclesia proscriptis adhærent; alii schismatici, qui ab unitate Ecclesiæ recesserunt: alii demum apostatæ, qui fidem christianam abjuraverunt.

Exponendum est igitur utrum et quatenus infideles, catechumeni, et fideles subjiciantur juri canonico.

308. — I. *Infideles* dicuntur, stylo juris canonici, qui baptismum non susceperunt, nec ad illum suscipiendum præparantur. Ecclesia habet quamdam jurisdictionem in infideles, quatenus accepit a Christo Domino officium annuntiandi ubique veram fidem et omnes homines adducendi ad religionem. Habet proinde in omnes gentes ministerium prædicationis quo jure fungitur mittendo fidei præcones ubique terrarum, ut evangelium Christi prædicent. Inde sequitur evangelistas missos ab Ecclesia posse, invitis etiam populis infidelibus, suo ministerio fungi, atque indigenis esse libertatem amplectendi religionem christianam, quando persuasam habuerint illius divinitatem.

Sunt hæc consectaria juris naturalis et divini certissima, tametsi populi infideles ea non admittant, ex ignorantia

in qua de rebus supernaturalibus versantur. Optimum igitur consilium ineunt principes christiani, quando ita student causæ religionis, ut in illius defensionem cæteros principes gentium infidelium adducere tentent.

Non habet vero Ecclesia potestatem legislativam, nec coercitivam in infideles; siquidem non sunt membra societatis christianæ. In societate civili, subjectio oritur ex nativitate, liberi enim statum et conditionem patris sequuntur; ex pacto, seu receptione hominis qui sui juris est; et ex domicilio, seu habitatione : in societate autem christiana, subjectio non aliter oritur quam ex nativitate spirituali quæ sacramento regenerationis efficitur. Quamdiu proinde homo sacramentum Baptismi non suscepit, remanet extra corpus Ecclesiæ, potestati in illa constitutæ non subjectus. Ita sentiunt communiter doctores catholici, quorum doctrinam confirmat concilium Tridentinum in decreto ubi dicitur : « Ecclesia in neminem judicium exercet qui « non prius in ipsam per baptismi januam fuerit ingressus. « *Quid enim mihi*, inquit Apostolus, *de iis qui foris sunt* « judicare. » (Sess. XIV, cap II.) Non aliis igitur mediis potest homines qui foris sunt ad se attrahere, quam doctrina, patientia et precibus; obligatio enim cui omnes homines subduntur credendi Evangelio, fidem catholicam profitendi, non innititur jure canonico (quis unquam talia audivit?), sed jure divino.

Nonnulli qui voluerunt jurisdictionem coercitivam Ecclesiæ protendi in infideles, citaverunt, uti argumenta suæ sententiæ faventia, bella sub vexillo crucis suscepta contra Mahumetanos, et leges quæ in Corpore juris, sub titulo DE JUDÆIS ET SARRACENIS, includuntur; sed nihil ex bellis, nec ex canonibus adductis concludendum. Bella contra Mahumetanos et Sarracenos non fuere actus jurisdictionis ecclesiasticæ; haberi potius debent ut exercitium juris naturalis, quod christianis certe inerat, arcendi barbariem gentium exterarum quæ Europæanas regiones invadere conaban-

tur, et recuperandi terram sanctam ab iisdem gentibus injuste usurpatam... Legislatio de judæis partes diversas complectitur : sunt decreta quæ Princeps sæcularis tulit ad ordinandum conditionem, seu statum civilem judæorum qui sub sua ditione morabantur; sunt insuper canones ab auctoritate ecclesiastica prolati, quibus Christifideles vetantur judæorum consortio uti, eis magistratum in societate demandare, ancillas ex illa gente assumere, et alia id genus quæ Pastores periculosa Christifidelibus judicaverunt. Canones qui videntur judæos directe afficere, vel etiam pœnis coercere, Ecclesia tulit ut se suaque jura tueretur a perfidia inimicorum. — Delicta infidelium « de « jure communi coerceri debent, ait Schmalzgrueber, non « ab Ecclesia, quippe cujus jurisdictioni spirituali non « subjiciuntur, sed a Principibus et magistratibus in quo- « rum territorio degunt ». (In tit. DE JUDÆIS, nº 36 [1].)

309. — II. *Catechumeni* (a voce Græca κατηχέιν, docere) dicuntur qui ad baptismum disponuntur proxime, ac præparantur per gradus tirocinii christiani. Quamvis non adhuc accenseantur membris Ecclesiæ, nec subdantur illius potestati legislativæ, quandoquidem non adhuc initiati sunt sacramento fidei, quadam ratione continentur legibus canonicis, veluti candidati Ecclesiæ, quæ præfinire potuit quonam ritu admitterentur in statum catechumenatus, quibus exercitationibus instruerentur doctrina christiana, et moribus christianis informarentur, quamdiu perduraret experimentum ut convenienter disponerentur, quibus tandem pœnitentiis obnoxii forent qui graviora peccata, tempore probationis, commisissent. Hujusmodi ordinationes, quamvis non habeant rationem legis proprie dictæ erga catechumenos, sunt tamen conditiones auctoritate legitima constitutæ iis qui volunt in societatem christianam admitti.

1. Cf. Philips. *Droit ecclésiastique*, tom. II, ch. x. *Rapports de l'Église avec les infidèles*. Gosselin, *Pouvoir du Pape au moyen âge, Introduction*, nº 57 et seq.

310. — III. *Fideles*, qui scilicet baptismum susceperunt, nec a fide christiana per hæresim, aut apostasiam defecerunt, subjiciuntur juri canonico communi, vi baptismi; et statutis localibus ab auctoritate competenti sancitis, ratione domicilii, seu habitationis.

Nulla movetur difficultas inter doctores catholicos circa principium generale subjectionis juri communi; de jure particulari locorum, quoad peregrinos et advenas, alibi dicitur (n[is] 656, 757). Quædam notanda in præsenti de adultis qui baptismum suscipiunt, de infantibus fidelium qui a parentibus ad baptismum offeruntur, et tandem de infantibus infidelium, qui insciis parentibus baptizati fuerint.

1° Adultus non initiatur sacro Baptismate nisi libera voluntate consentiat; est enim religionis christianæ regulis contrarium quod quis invitus compellatur ad recipiendam fidem. Quinimo, is qui nedum consentiat, penitus contradicit, « nec rem, nec characterem recipit sacra« menti », ut dicitur in cap. *Majores*, 3, DE BAPTISMO. Eam ob causam sanctus Gregorius Magnus admonuit illos omnes qui exoptant perducere extraneos ad fidem christianam, ut *blandimentis, non asperitatibus studeant*. Cum vero, temporibus ætatem Gregorii subsecutis, nonnulli hujus disciplinæ immemores, et zelo *non secundum scientiam* concitati, vellent judæos vi et metu perducere ad professionem fidei christianæ, alter Romanus Pontifex, Clemens III, id severe auctoritate apostolica prohibuit : « Sta« tuimus ut nullus invitos vel nolentes judæos ad Baptismum « venire compellat. Si quis autem ad christianos causa fidei « confugerit, postquam voluntas ejus fuerit patefacta, « christianus efficiatur; quippe fidem Christi habere non « creditur, qui ad christianorum Baptisma, non sponta« neus, sed invitus cogitur pervenire. » Hæc est lex constantissima pro adultis : sicut enim homo liberi arbitrii voluntate perit, sic, vocante gratia Dei, propriæ mentis

conversione salvatur. (Distinct. XLV, cap. *Qui sincera*, 3; *de Judæis*, 5. — Cap. *Sicut judæi*, 9, DE JUDÆIS ET SARRACENIS, lib. V Decretalium.)

2° Parvulorum alia est conditio. Recens nati e parentibus christianis ad Baptismum offeruntur, juxta traditiones catholicas quas theologi in tractatu *de Baptismo* vindicant contra errores sectæ Anabaptistarum. Hæc agendi ratio summopere utilis est puerulis, ut vel ab ortu liberentur a noxa originali et gratia sanctificante exornentur. Animadvertendum est insuper, Baptismum ita collatum non alias obligationes pueris imponere quam quæ jure divino omnibus æque imponuntur, adeo ut si puer baptizatus non fuisset, teneretur ipse sacramentum postulare, statim moraliter ac legem divinam esset sufficienter edoctus.

3° Pueros infidelium qui remansuri prævidentur sub paterna potestate, cum fidei discrimine, baptizari vetat Ecclesia si inviti sint parentes; imo parentibus etiam consentientibus, nisi pueri versentur in proximo periculo vitæ; quia prudentia christiana non sinit ut conferatur sacramentum in ea conditione in qua moraliter certum est illud profanandum fore, quando puer sic baptizati adoleverint. Ita responsum Episcopo Quebecensi a S. Congregatione Inquisitionis, refert Benedictus XIV in Brevi *Postremo mense* ad Archiep. Tarsensem, vices-gerentem, an. 1747 [1]. S. Congregatio Concilii alias respondit : « Filios « judæorum non esse invitis parentibus baptizandos donec « perveniant ad ætatem legitimam, et tunc si ipsi consen- « tiant : ætatem vero legitimam regulariter censeri com- « pleto septennio. » (Eod. Brev., § 32.)

Theologi eadem tradunt, duce sancto Thoma, scilicet puerum, quando incipit habere usum liberi arbitrii, inci-

1. Est aliud Breve ejusdem Pontificis, *Probe te meminisse*, an. 1751, circa jus parentum christianorum offerendi ad baptismum infantes judæos, suos ex patre præmortuo nepotes.

pere simul *suum esse;* et posse sibi ipsi providere quantum ad ea quæ sunt juris divini vel naturalis. Ea igitur ætate parvuli possunt, invitis parentibus, fidem christianam profiteri et Baptismum suscipere : antequam vero habuerint usum rationis, non sunt admittendi ad sacramentum, siquidem « obstat consuetudo Ecclesiæ, quæ semper in « omnibus est æmulanda », ait sanctus Thomas. Hujus disciplinæ duplicem rationem affert : unam e periculo fidei, alteram e justitia naturali ne lædatur jus parentum in filio, donec puer incipiat sui esse arbitrii. (2^a $2^æ$, q. x, art. xii.) Tertiam adjungere licet ex incommodis quæ induceret praxis contraria, animos infidelium commovendo contra Ecclesiam Catholicam, illosque ab amplectenda fide avertendo.

4° Gravis ea de re orta est quæstio : An parvuli infidelium qui, in periculo proximo vitæ constituti, vel alia occasione, baptizati fuerint insciis seu invitis parentibus, possint subduci parentibus ut, periculo perversionis remoto, in vita christiana instituantur? Quæstionem, quæ nuper fuit multis occasio scandali, historice referimus, ut melius cognoscatur quibus fundamentis inniteretur disciplina Ecclesiæ in societatibus catholicis præteritorum temporum.

Ratio igitur dubii erat quod parvuli, « quamdiu ipsi sibi « providere non possunt, secundum jus naturale sunt sub « cura parentum », utì assentitur ipse Benedictus XIV cujus sunt verba in Brevi citato. Exinde concludendum videbatur parentes nunquam potuisse, illæso jure naturali, privari suis parvulis sub prætextu Baptismi a puero suscepti. Parentes enim habent in suos filios jus, non solum proprietatis sed etiam regiminis; ex natura enim, puerorum conservatio et infantiæ cura propriis illorum parentibus committuntur, a quibus scilicet in lucem editi fuerunt, donec propria voluntate regi possint : porro, etiamsi pueri adepti fuerint septennio usum rationis et liberi arbitrii,

hactenus tamen sibi providere nequeunt : ergo continentur sub cura parentum.

Communissima tamen canonistarum sententia est Ecclesiam posse, habita ratione temporum et status societatis, abducere parvulum baptizatum a regimine parentum, quod probant auctoritate et ratione.

Prob. 1° *Auctoritate* concilii Toletani, S. Congregationis Inquisitionis, et Benedicti XIV. Concilium Toletanum IV statuit : « Judæorum filios vel filias, ne parentum ultra « involvantur erroribus, ab eorum consortio separari de- « cernimus, deputatos, aut monasteriis, aut christianis « viris... ut sub eorum conversatione cultum fidei dis- « cant, atque melius instituti, tam in moribus quam in « fide proficiant. » Cap. *Judæorum*, 11, caus. XXVIII, q. I.[1]

S. Congregatio Inquisitionis improbavit opinionem cujusdam theologi, Calderini nomine, qui docuerat parvulos baptizatos judæis parentibus restituendos esse, dummodo parentes ingenue spondeant hos parvulos nihil contra fidem catholicam edocendos, imo reddendos esse Christifidelibus, cum ad ætatem convenientem pervenerint. Testatur Benedictus XIV hanc opinionem a cæteris theologis erroris insimulatam fuisse (§ 30).

Ipse Pontifex suam sententiam sic declarat : « Parvuli « judæorum nondum usum liberi arbitrii adepti, qui Bap- « tismo neque a parentibus, neque ab aliis qui jus in eos « habeant, offeruntur... baptizari non debent, sed ad illos « remitti, quorum in potestate ac fide sunt legitime con- « stituti. Quod si jam sacramento initiati essent, aut deti- « nendi sunt, aut ab hebræis parentibus recuperandi, « tradendique Christifidelibus, ut ab illis pie sancteque « informentur; hic enim baptismi licet illiciti, tamen veri « validique, effectus est. »

Prob. 2° *Ratione*. Jus paternum in filios est quidem na-

1. Hunc canonem de filiis judæorum jam baptizatis intelligendum esse nemo ambiget, ait Berardi, præsertim si hæc postrema verba

turale, sed secundarium, non absolutum : porro juri naturali secundario derogare fas est quando cessat illius ratio, et etiam quando in conflictu versatur cum altero jure naturali, aut divino, prævalente. Re quidem vera, jus de quo agimus ordinatur ad bonum naturale puerorum, in casu autem præsenti est in conflictu cum jure divino quod vetat ne puer gratia cœlesti regeneratus, remaneat sub cura parentum infidelium cum periculo moraliter certo profanationis sacramenti et detrimenti supernaturalis animæ; ergo neminem offendere debet agendi ratio Ecclesiæ, si judicet puerum, in tali periculo constitutum, subducendum fore parentibus... Et vero, omnes consentiunt parvulos licite posse subduci paternæ potestati quando id necessarium judicatur ad subtrahendum parvulum periculo imminenti, seu vitæ seu depravationis morum ex parte impiorum parentum; ergo ex omnium consensu jus paternum in filios non est absolutum sed limitatum.

Res evidentior evadit, si agatur de parvulo habente usum rationis, qui doctrinam christianam sufficienter edoctus, libera voluntate Baptismum suscipit, et ad Ecclesiam confugit ut se ipsius præsidio tutetur contra periculum conversationis paternæ, et contra artes quibus a fide christiana parentes eniterentur eum retrahere. Licèt ille parvulus indigeat cura parentum et regulariter debeat cum eis morari, nihilominus jus certum habet suæ saluti consulendi, deserendo domum paternam; *quantum* enim *ad ea quæ sunt juris divini*, *incipit suæ esse potestatis*, ut verbis utamur sancti Thomæ. Lex divina Baptismi et obligatio media salutis æternæ efficacia adhibendi contra pericula perversionis, neutiquam pendent a lege humana quæ ætatem minoritatis et majoritatis præfinivit.

Ex argumentis adductis, quibus addi potest auctoritas

consideret, *in fide proficiant;* non enim in fide proficere potest, nisi qui fidem jam suscepit. » *Canones Gratiani*, tom. I, cap. XVII.

plurium doctorum, non sequitur quæstionem fuisse unquam solutam suprema auctoritate Ecclesiæ ; siquidem concilium Toletanum quod allegavimus est synodus provincialis cujus decretum translatum non fuit in codicem Decretalium quæ constituunt jus commune : Breve autem apostolicum directum ad vices-gerentem S. Pontificis in urbe Roma, non est constitutio dogmatica, rem definiens certa fide tenendam ab omnibus catholicis. Sequitur tamen doctrinam assertam gravissima auctoritate innixam fuisse. Maxima quidem cautione opus est in praxi ut præcaveantur pericula objecta ; sed Ecclesiæ prudentiæ dimittitur pro locorum et temporum conditione, attentis moribus publicis et statu societatis, quid magis expediat prospicere [1].

311. — IV. Hæretici, schismatici, apostatæ, qui scilicet, Baptismo suscepto, a fide catholica, vel unitate Ecclesiæ defecerunt, subjecti remanent auctoritati juris canonici ; siquidem indelebilis est character sacramenti Baptismi, et indissolubile vinculum quo in societatem christianam cooptati sunt. Non in arbitrio hominis est vinculum suæ subjectionis abrumpere. Hinc de hæreticis, de schismaticis et de apostatis multa reperiuntur in jure, quæ in IVa parte *Prælectionum*, referentur, ubi de *Delictis* et *Pœnis*. Ecclesia tamen magno cum moderamine utitur sua auctoritate, et communiter non intendit novas leges generales quas fert, in illos protendi qui a certo tempore, consummato schismate, separati sunt ab unitate catholica [2].

312. — IIo *Quæ sint obligationes laicorum christianorum erga Ecclesiam?*

Laici, qui Ecclesiæ membra sunt, tenentur : 1o obtemperare canonum statutis ; 2o providere, pro sua quisque facultate, necessitatibus temporalibus Ecclesiæ ; 3o ipsi

1. Cf. Billuart, *de Baptismo*, dissert. 151, art. IV. — *Annales ecclésiastiques*, par Chantrel, an. 1858, 1er octobre, *Affaire Mortara*.

2. Carrière, tract. *de Matrimonio*, tom. II, no 604 et seq. — Philips, *loco citato*, § 102.

auxilio esse, pro temporum opportunitate, ut divinum quod ipsi commissum est ministerium liberius exsequatur.

I. Obligatio obtemperandi legibus canonicis et obsecundandi jurisdictioni coercitivæ Ecclesiæ, in controversiam minime adducitur apud catholicos; est enim fundatissimum dogma. Ex legibus autem canonicis aliæ sunt communes laicis, clericis et religiosis, uno verbo Christifidelibus, v. g., leges de abstinentia et jejunio, de festorum celebra tione, etc.; aliæ vero laicos magis directe afficiunt, v. g., decreta de impedimentis matrimonii, etc.

II. Altera obligatio, providendi nempe, ex suis quisque bonis temporalibus, necessitatibus cultus publici et sustentationis ministrorum Ecclesiæ, æque fundatur jure naturali et divino; *Christus* enim *ordinavit iis qui Evangelium annuntiant de Evangelio vivere*, ait sanctus Paulus. Primi autem Pastores determinant suis statutis vim legis obtinentibus, modum et tempus quo divinæ ordinationi satisfieri queat; de quo dicetur in IIIª parte, ubi *de Bonis temporalibus Ecclesiæ.*

III. Quod ad auxilium præstandum Ecclesiæ spectat, ut sua jurisdictione liberius utatur, id principibus christianis potissimum demandatur. Vidimus in Iª parte *Prælectionum* (nº 66, p. 115) constantem fuisse SS. Patrum et conciliorum doctrinam principes officium divinis præordinationibus suæ dignitati connexum exsequi, dum curam religioni impendunt, quantum sinit conditio temporum et forma regiminis politici. Opportunissimum certe fuit nationes christianas ita juvari concursu mutuo utriusque auctoritatis, ut gradatim deducerentur ab ætate barbariæ infantiæque socialis, ad statum illum præsentem quo merito gloriantur. Nemo dubitat quin ex illo regimine, cui ultro assentiebantur populi, societas multum profecerit animorum cultu, notionibus juris tum privati tum publici, morum informatione, aliisque optimis institutis. At simul animadvertimus maximum omnium officiorum principis in negotio religionis

esse tueri libertatem Ecclesiæ. Ipsa etiam ætate qua arctiori fœdere utraque societas uniebatur in commune bonum, vigilabant pastores ne protectio data Ecclesiæ converteretur in dominatum. « Non seulement les princes ne « peuvent rien contre l'Église, *aiebat* Fénelon, mais encore « ils ne peuvent rien pour elle qu'en lui obéissant. Il est « vrai que le prince pieux et zélé est nommé l'*Évêque du « dehors* et le *protecteur des canons*, expressions que nous « répéterons avec joie dans le sens modéré des anciens qui « s'en sont servis ; mais l'Évêque du dehors ne doit jamais « entreprendre sur les fonctions de celui du dedans ; il se « tient, le glaive à la main, à la porte du sanctuaire, mais il « prend garde d'y entrer : en même temps qu'il protège, « il obéit. » (*Discours pour le sacre de l'électeur de Cologne.*) Quanto magis abstinere debent principes, in statu præsenti societatis, ab omni impedimento libertati ecclesiasticæ afferendo !

313. — III° *Quæ sint jura laicorum in Ecclesia?*

I. Laici jus habent ad participationem bonorum spiritualium communium fidelibus, juxta modum pro eorumdem bonorum dispensatione ab auctoritate ecclesiastica præscriptum. Jus itaque habent recipiendi sacramenta, possunt interesse conventibus sacris, divinis officiis, etc..., modo studeant se conformare regulis canonicis.

II. Non possunt sibi vindicare jura clericalia. Vel enim hæc jura ordinantur ad dispensationem sacrorum mysteriorum, vel ad regimem rerum ecclesiasticarum. 1° Non possunt in priori casu, siquidem dispensatio sacramentorum et benedictionum sacerdotalium requirit characterem sacramento, aut ritu consecrationis, animæ impressum quo laici carent. 2° Neque alia prætendere queunt ; nam, posita divina constitutione Ecclesiæ, omnis jurisdictio, in qualicumque gradu consistat, omne officium publicum administrationem rei spiritualis includens, non aliter acquiritur quam delegatione e Pastoribus accepta :

porro Ecclesia prohibuit lege generali quominus laicis demandentur jura clericalia, quod in cap. 2 DE JUDICIIS, lib. II Decret., sic statuitur : « Decernimus ut laici ecclesiastica negotia tractare non præsumant. »

Hinc concludendum divina ordinatione requiri ut Principes sæculares, quando curas religioni impendunt, agant modo subordinato auctoritati Ecclesiæ, cujus definitiones ac decreta tuentur, et exsecutioni mandari curant. Sanctus Avitus Viennensis Clodovæo dicebat : *Imperator filius est Ecclesiæ, non præsul; quod ad Religionem competit, discere ei convenit, non docere.* Si quid sponte propria in rebus ecclesiasticis contra primorum Pastorum decreta princeps attentaverit, non protectorem se gerit, sed sacerdotalis auctoritatis usurpatorem.

III. Laici acquirere possunt vi rescriptorum Sanctæ Sedis, et etiam longævæ consuetudinis, jus nominandi clericos promovendos ad beneficium et officium ecclesiasticum, quod concessum Principibus catholicis per concordata, item fundatoribus beneficiorum quorumdam, vidimus in I[a] parte. De his iterum dicendi occasio se dabit, quando disseremus de *Jure patronatus* in beneficia.

Sunt aliæ prærogativæ honorificæ attributæ aliquando magnatibus : v. g., ut specialiter nominentur in publicis orationibus, ut sedem propriam eminentiorem occupent, ut thurificentur atque aquam benedictam accipiant per aspergilli præsentationem, de quo multa habentur in *Cæremoniali Episcoporum*, lib. I, cap. XXIII, et in *Decretis authenticis* S. Congregationis Rituum.

SECTIO IIa

DE CLERICIS

314. — Clerici dicuntur quos sacra ordinatio a laicis distinguit. Addicti sunt cultui publico et Ecclesiæ ministerio, vi suæ ordinationis et delegationis acceptæ, unde ipsum nomen obtinent ; nam vox græca κλῆρος, quæ latine *sors* interpretatur, significat clericos in sortem Domini vocatos esse, ad illius scilicet cultum modo peculiari applicari.

Quatuor præcipuas quæstiones perpendemus de clericis : 1° quinam assumendi sint e laicis, in statum clericalem promovendi ; 2° quæ regulæ servandæ in clericorum ordinatione ; 3° quibus obligationibus, ad præscriptum juris canonici, teneantur ; 4° quæ sint illorum prærogativæ, seu jura.

Altera subsequetur sectio de collegiis clericorum ; quod vero spectat ad munia et obligationes illorum qui beneficia obtinent, aut dignitate aliqua ecclesiastica donantur, explicatum fuit in Ia parte *Prælectionum*, ubi de Episcoporum, Parochorum et Capellanorum officio ; cætera quæ dicenda supersunt, exponentur in sectione de beneficiis et de bonorum temporalium Ecclesiæ regimine.

ARTICULUS I. — DE PROMOVENDIS IN STATUM CLERICALEM.

315. — Promoventur in statum clericalem qui immunes sunt ab irregularitatibus, et præferunt signa vocationis

divinæ, quæ illos sacris ministeriis idoneos efficit. De vocatione proinde dicendum habemus; quæstio de irregularitatibus ad alium locum remittitur, ubi simul agetur de censuris, ob materiarum connexionem.

316. — I° *Quid sit vocatio ad statum clericalem, et quibus signis manifestetur?*

I. Vocatio sub duplici respectu considerari debet; ex parte Dei et ex parte Ecclesiæ. A parte Dei est actus voluntatis in ordine supernaturali quo Deus aliquem destinat ad statum clericalem, ipsique media præparat ad finem assequendum necessaria. A parte Ecclesiæ est actus jurisdictionis spiritualis quo primi Pastores seligunt et assumunt quos idoneos sacro ministerio, ac divina Providentia dispositos, judicant ad statum clericalem [1].

Vocationem, utroque sensu acceptam, necessariam esse multa comprobant.

1° *Exemplum et doctrina Christi*, de quo sanctus Paulus dixit : « Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur a Deo... sic et Christus non semetipsum glorificavit « ut pontifex fieret, sed qui locutus est ad eum... Tu es « sacerdos in æternum. » (*Epist. ad Hebræos*, cap. v.) Si Christus, quatenus homo, vocari debuit a Patre cœlesti ad sacerdotium, quis audeat sanctuarium ingredi, non vocatus a Deo? Verba Christi : « Ego sum ostium; qui non « intrat per ostium in ovile ovium, sed ascendit aliunde, « ille fur est et latro » æque demonstrant necessitatem non aliter ascendendi ad statum clericalem quo intratur in ovile ovium, quam per voluntatem Domini nostri Jésu-Christi.

2° *Doctrina Sanctorum Patrum*, qui constanter eadem

1. Cf. S. Gregorium Magnum, *de Cura pastorali*, part. I, cap. v et vi; — S. Thomam, 2ª 2æ, q. clxxxv, art. i et ii; — Hallier, *de Sacris Electionibus*, part. I, sect. v, art. i et ii; — S. Liguori, lib. IV, n° 78; lib. VI, nis 802, 803; — Habert, tract. *de Ordine*, part. III, cap. i.

principia tradiderunt, ex quibus corollaria practica deduxerunt. « Eos rectores Ecclesia accipit, ait sanctus Leo, « quos Spiritus sanctus præparavit; ut in populo adop- « tionis Dei, cujus universitas sacerdotalis atque regalis « est, non prærogativa terrenæ originis obtineat unctio- « nem, sed dignatio cœlestis gratiæ gignat antistitem. » (*Sermo* III, anniv. suæ assumpt.) Sanctus Gregorius iis omnibus « qui nequaquam divinitus vocati, sed sua cupi- « ditate accensi culmen regiminis rapiunt potius quam « assequantur, » opponit verba divina : « *Ipsi regnaverunt* « *et non ex me; Principes exstiterunt et non cognovi* ». (*De Cura Past.*, part. I, cap. I.) Ecclesia ea de re suum sensum ita manifestat in *Pontificali* intra sacros ritus ordinationis Diaconorum et Presbyterorum : « Vere dignum est « nos tibi gratias agere..., æterne Deus, honorum dator, « ordinumque distributor, atque officiorum dispositor, qui « in te manens innovas omnia et cuncta disponis per Ver- « bum, virtutem sapientiamque tuam, Jesum Christum « Filium tuum, sempiterna providentia præparas, et sin- « gulis quibusque temporibus aptanda dispensas. »

3° *Ipsa tandem ratio*, principiis fidei innixa, probat necessitatem divinæ vocationis. Novimus ex evangelicis doctrinis, divinam Providentiam cuncta regere ac moderari, adeo ut nec capillus de capite nostro pereat sine Patre nostro qui in cœlis est. Quanto magis illa disponit quæ proxime referuntur ad hominum salutem et ad suorum consiliorum in Ecclesia exsecutionem !... Insuper hoc speciale habet status clericalis ut destinetur ad officium mediationis inter Deum et homines, intercessionis apud divinam misericordiam et dispensationis divinorum sacramentorum; jam autem nemo sibi mediatoris partes assumit, nisi admittatur a partibus quarum interest, et præsertim a Deo a quo pendet nostra reconciliatio; nemo etiam se ingerere proprio nutu potest in dispensationem mysteriorum Christi... Tandem homo indiget multis gratiis ut illa mu-

nera ordinis supernaturalis rite obeat; ex divina autem vocatione tanquam e radice prodeunt illa auxilia. « Quos « enim, ait S. Thomas, ad aliquid eligit, ita præparat et « disponit ut ad id ad quod eliguntur inveniantur idonei, se- « cundum illud : *Idoneos nos fecit ministros Novi Testa- « menti* » Part. III, quæst. XXVII, art. IV. Unde Dominus : *Ego sum ostium; per me si quis introierit, salvabitur, et ingredietur et egredietur, et pascua inveniet.* (Joan., x, 9.)

317. — II. Vocationis diversa sunt signa, alia extraordinaria, alia communia.

Deum quandoque mediis extraordinariis manifestare suam voluntatem videmus in vita plurium sanctorum Pontificum, v. g., in vita S. Gregorii Magni, S. Ambrosii, etc., ne de vocatione sancti Pauli loquamur. Præter facta externa quæ miracula censentur; sunt aliquando intra mentem, insolitis Spiritus Sancti motibus, incitamenta quæ non minori certitudine voluntatem Dei ostendunt.

Signa vocationis communia sunt : 1° sensus quidam supernaturalis hominem inclinans ad amplectendum statum clericalem, intuitu gloriæ Dei; 2° idoneitas ad sacrum ministerium, tum ex parte corporis, tum ex parte animæ, quæ requirit præsertim prudentiam in agendo et spem virtutis firmatæ; 3° electio facta a Pastore, nimirum ab Episcopo; siquidem juxta concilium Tridentinum. « Nullus ordinari « debet qui judicio sui Episcopi non sit utilis aut necessa- « rius suis ecclesiis. » Conc. Trid., sess. XXIII, cap. XVI, *de Reform.*

Hæc tria simul convenire debent, sed in primis idoneitas et vocatio. Deus non vocat communiter hominem ad statum clericalem, quin illum interius inclinet aspiratione quadam supernaturali : at illa inspiratio non est semper sensibilis; est quandoque impugnata affectibus contrariis naturæ vel etiam timore quem animæ incutit onus grave ministerii sacerdotalis. Fieri potest aliunde ut quis humano affectu appetat sacros ordines, sua terrena desideria

sibimet dissimulando sub specie pietatis; nam sæpe mens humana sibi mentitur. Plures, ait Habert, qui juxta S. Liguori de vocatione egregie scripsit, pro certo signo vocationis statuunt ardens et constans desiderium adipiscendi ordines, sed immerito; si enim accuratius discutiatur, forte accendi deprehendetur non a Deo qui charitas est, sed a cupiditate, tum parentum, tum ipsorummet candidatorum, quorum alii fovendæ desidiæ gratia, alii familiaris rei angustia pressi, alii appetitu gloriæ, ad sacerdotium ducuntur. Quapropter desiderium illud per se sufficiens non est indicium; sed vocatio canonica regulariter facta, modo tamen quis suos intimos sensus ingenue aperuerit, vera cordis simplicitate, nulla adhibita arte qua sollicitetur assensus superioris, certum est signum.

319. — II° *Utrum vocatio imponat obligationem amplectendi statum clericalem?*

S. Alph. Liguori ita quæstionem solvit : « Negligere « vocationem religiosam, per se non est peccatum; divina « enim consilia per se non obligant ad culpam. Id tamen « ratione periculi æternæ salutis, cui vocatus se committit, « non potest ab aliqua culpa excusari. » (lib. IV, n° 78). Quod ibi de vocatione religiosa asseritur, eadem ratione intelligimus de vocatione ad statum clericalem. Ut vero ordinate procedamus, distinguendum videtur inter casum quo intervenerit signum extraordinarium voluntatis Dei vel præceptum Ecclesiæ, et casus communes.

I. Urget obligatio amplectendi statum clericalem, in casu quo fuerint signa extraordinaria vocationis, vel intercesserit præceptum positivum Ecclesiæ, id est S. Pontificis aut Episcopi. « Dicendum, ait S. Thomas, quod accipere « Episcopatum non est de se necessarium ad salutem, sed « fit necessarium ex præcepto superioris. » Rationem allegat : « Ad inordinationem voluntatis pertinet quod aliquis « omnino contra superioris injunctionem, prædictum gu« bernationis officium finaliter recuset, propter duo : primo

« quidem hoc repugnat charitati proximorum, quorum « utilitati se aliquis debet exponere pro loco et tempore... ; « secundo repugnat humilitati per quam aliquis superio- « rum mandatis se subjicit; unde S. Gregorius dixit : Tunc « est vera humilitas ante oculos Dei, cum ad respuendum « hoc quod utiliter subire præcipitur, pertinax non est. » (2^a 2^a, q. 185, art. 2.) Quod autem S. Thomas dixit de Episcopatu, debet ob paritatem rationum dici de ordinibus. « Ecclesiæ necessitas, ait Benedictus XIV, alteri cui- « libet respectui præponderare debet atque sufficere di- « cenda est, ut etiam qui aliunde ad ordinem sacrum aut « ad sacerdotium promoveri non tenentur, et ad majores « ordines et ad sacerdotium ipsum ascendere compellan- « tur. » (*De Synodo*, lib. XII, cap. IV, n° 7.) Ratione firmatur hæc doctrina : si enim Deus suam voluntatem signis extraordinariis manifestaverit, quis dixerit hominem ei resistere tuta conscientia posse? Si vero superior, vices Dei gerens, præcipiat ob urgentem Ecclesiæ necessitatem cui providere debet, quomodo fas erit non obsequi mandato? Unde in capite *Placuit*, 4, dist. LXXIV, statuitur contra clericos aut diaconos, non obtemperantes suis Episcopis, qui volunt eos ad honorem ampliorem promovere pro necessitatibus Ecclesiarum : ipsis interdicitur ministrare in suo gradu, unde recedere noluerunt.

Episcopus nemini debet injungere præceptum absolutum suscipiendi ordines, nisi urgeat gravis necessitas Ecclesiæ cui providere aliter non possit. Jura etenim vetant ne quis ordinetur invitus; et leges synodicæ decreverunt pœnitentiæ subdi Episcopum qui invitos et reclamantes præsumpserit ordinare. Sanctus Gregorius ad Episcopum Salonitanum scripsit : *Justum est ut nemo crescere compellatur invitus*. (Cap. *Episcopus*, 1; *Gesta*, 2, dist. LXXIV.)

319. — II. Quando sunt tantum signa communia vocationis, nec ullum intercedit mandatum Ecclesiæ, prudentia christiana suadet ut quisque obsequatur monitis et judicio

sui superioris; strictam autem ea de re urgere obligationem non probatur.

I° *Suadet christiana prudentia.* Est semper aliquid inordinatum in renuente : aut defectus humilitatis, si in suo sensu nimis abundet contra superioris judicium; aut defectus spei in auxilium Dei, qui providet abundanter iis quos ad tantum onus elevat; aut defectus zeli et religionis ad procurandum gloriam Dei et salutem animarum; porro hæc, in re tanti momenti, periculum satis grave inducunt, ne qui respuit divinam inspirationem, votis Ecclesiæ non obtemperando, privetur donis uberioribus gratiæ; quinimo ne forte veniat in discrimen salutis. — « Si quam « operam vestram mater Ecclesia desideraverit, ait sanctus « Augustinus, (Ep. ad Eudoxium), nec avida elatione susci- « piatis, nec blandiente desidia respuatis... neque otium « vestrum necessitatibus Ecclesiæ præponatis, cui partu- « rienti, si nulli boni ministrare vellent, quomodo nascere- « mini non inveniretis. » Sanctus autem Gregorius : « Qui « vocati suscipere renuunt, ipsa sibi plerumque dona adi- « munt, quæ non pro se tantummodo, sed etiam pro aliis « acceperunt. Cumque sua et non aliorum lucra cogitant, « ipsis se, quæ privata habere appetunt, bonis privant... « de quo si stricte judicentur, ex tantis procul dubio rei « sunt, quantis venientes in publicum prodesse potuerunt. » (*De cura Past.*, part. I, cap v.) Merito igitur asserit S. Alph. Liguori illum qui renuit vocationi respondere non posse ab aliqua culpa excusari.

II° *Strictam urgere obligationem eo usque ut deneganda ei sit absolutio, qui obtemperare renuit, non probatur.*

S. Pœnitentiaria respondit ad consultationem sibi propositam (27 aug., ann. 1829), non esse cogendum ad suscipiendum sacros ordines clericum, qui, licèt a suis superioribus electus; et a suo confessario dignus judicatus sacro ministerio, obtemperare illorum monitis renuit, humilitatis causa, vel timore periculorum; nec etiam cogendum

censuit diaconum ad suscipiendum presbyteratus ordinem, quamvis, ut in casu præcedenti, *a superioribus eligatur tanquam aptissimus et a confessario dignus judicetur*. Ratio desumitur, in priori saltem casu, e discrimine quod omnes agnoscunt inter præcepta et consilia. Nemo tenetur, sub gravi, amplecti statum clericalem cui annexa est praxis consilii evangelici castitatis et abdicationis curarum sæcularium, nisi constet de voluntate absoluta Dei præceptum imponentis. Porro, communiter non constat de voluntate Dei absoluta, sive ad decisionem confessarii attenderimus, sive ad agendi rationem Ecclesiæ.

1° Prudens confessarius qui non ex revelatione cœlesti novit consilia Dei, sed rem dijudicat juxta regulas prudentiæ christianæ, potest pronuntiare de idoneitate alicujus ad sacrum ministerium; at ubi nulla apparent signa extraordinaria, nec exterius, nec in statu intimo animæ ordinandi, utquid diceret intercedere absolutam voluntatem Dei?... 2° Ecclesia, id est Episcopus, communiter non imponit, nec jure ordinario imponere debet, iis qui idonei esse existimantur, obligationem suscipiendi sacros ordines. Quin etiam promovendos ad subdiaconatum præmonet liberos esse qui ad sæcularia vota transeant, tametsi existimet eosdem suum propositum considerate perpendisse... 3° Quod ad divinam ordinationem attinet, observare est Deum homini præparasse auxilia opportuna ad observationem consiliorum evangelicorum, multosque afflatu sui spiritus ad meliora incitare ut perfectiorem viam sequantur, quin tamen ab eis hujusce consilii observationem stricte exigat; alias non subsisteret distinctio inter consilia et præcepta.

Dicere igitur licet Deum suavi providentia ita cuncta disponere, ut pastorum ministerio eligat et vocet eos quos iidem pastores, servatis regulis juris ac prudentiæ, assumunt, illisque simul gratias necessarias reservare. Si proinde Ecclesia aliquem necessitatis causa compellat

ad susceptionem ordinum, hunc Deus Ecclesiæ vocanti obtemperare jubet; si autem Ecclesia non compellat, sed tantummodo invitet ac hortetur, Deus eum incitat ut Pastoris voto obsecundet, hoc autem non imperat. Ergo, quamvis multum expediat ut unusquisque vocatus juxta regulas communes accedat, vocatio ordinaria non imponit per se obligationem ita strictam amplectendi statum clericalem, ut ei deneganda sit absolutio sacramentalis, qui monitis ea de re confessarii renuit obtemperare.

Articulus II. — De Regulis jure præstitutis ut quis rite ad ordinationem admittatur.

320. — Canones multa præscripserunt de clericorum ordinationibus.

Concilium Tridentinum statuit prima tonsura non esse initiandos qui sacramentum Confirmationis non susceperint. (Sess. XXIII, cap. IV.) Sacris præterea canonibus cautum fuit ut non aliter promoveantur quam a proprio Episcopo, aut cum litteris dimissorialibus; ut titulum habeant qui sacris ordinibus initiantur, nisi super hac re dispensationem obtinuerint; ut ordines conferantur successive per singulos gradus, nullo intermedio prætermisso, temporibus jure præfixis, et post debitum examen. De proprio Episcopo, deque litteris dimissorialibus actum est in Iª parte (nis 163-166 p. 274 et seqq.) : reliquum est ut cæteras regulas exponamus.

1° De Titulo ad ordinationem requisito.

321. — I° *Quid sit titulus clericalis; quid sit jure præscriptum relative ad ordinationem?*

I. Titulus olim dicebatur Ecclesia cujus servitio clerici adscribebantur ut sacrum ibi ministerium stabiliter exercerent; quapropter in hac *intitulati* erant, vel *incardinati.*

Ratio hujus disciplinæ fuit ne clerici vagarentur per diœceses, a suo Episcopo independentes : hac insuper disciplina provisum fuit necessitatibus temporalibus clericorum.

Titulus, more hodierno, intelligitur bonum temporale, ecclesiasticum seu patrimoniale, quod sit ita clerico assertum ut exinde habeat quo providere possit suæ honestæ sustentationi.

Duo distinguuntur tituli : *ecclesiasticus* scilicet et *patrimonialis*.

Titulus dicitur patrimonialis qui consistit in bonis certis, stabilibus et frugiferis, aliunde quam ab Ecclesia provenientibus, quæ judicio Episcopi censeantur sufficere ad congruam sustentationem clerici.

Titulus ecclesiasticus subdividitur in titulum *beneficii*, qui est jus perpetuum percipiendi fructus ex bonis Ecclesiæ propter officium aliquod spirituale canonice constitutum ; et in titulum *paupertatis*, qui positus est in professione religiosa, vi cujus qui vota solemnia emiserunt, vel ex redditibus bonorum, si qua religio possideat, vel ex piis fidelium eleemosynis, omnia communia habent, quibus ad vitam alendam indigent.

Titulo ecclesiastico adjiciendæ sunt veluti subsidiariæ species, *mensa communis*, *servitium Ecclesiæ* et *missio*. *Communis mensæ* titulo ordinantur, qui more religiosorum in communi vitæ disciplina degentes, aut nulla nuncupant vota, aut simplicia tantum. Ad id vero requiritur ut Congregatio, seu Institutum peculiare obtinuerit privilegium a S. Sede [1]. — Titulo *servitii Ecclesiæ* ad sacros ordines promoventur, qui cum beneficio, aliisque bonis certis careant, a lege communi dispensantur ab Episcopo, ex

1. Cf. Bullam *Apostolicæ Sedis* (n° 796, IV.) Hoc privilegium obtinuere plures ordines et congregationes ; v. g., Patres Societatis Jesu, pro suis fratribus qui vota tantum simplicia emittunt ; congregatio presbyterorum Missionis, etc., etc...

dato vel præsumpto indulto apostolico, propter temporum necessitatem, ea conditione saltem tacita, ut in servitium diœcesis præsto sint Episcopo, qui illis ministeria committet, unde sustentari congruenter possint. — Titulus denique *missionis* adhiberi consuevit, cum alius legitimus titulus non suppetit pro iis qui sacris ordinibus initiari postulant ut Apostolicis Missionibus sese devoveant, et ex illo ministerio cui fuerint addicti, ad victum necessaria consequuntur. Qui hocce titulo ordinari cupiunt, tenentur prius juramentum emittere quo spondeant missioni ad quam destinati sunt vel destinabuntur, se fore perpetuam operam daturos [1].

322. — II. Certum est nullum clericum fuisse antiquis temporibus ordinatum qui non adscriberetur alicui Ecclesiæ. « Eos qui *absolute* ordinantur decrevit sancta Syno« dus (Chalcedonensis) vacuam habere manuum imposi« tionem; » scilicet interdici exercitio ordinis ita suscepti. (Cap. *Neminem*, 1, distinct. LXX.) Quando concilium Lateranense, habitum sub Alexandro III, anno 1179, decrevit Episcopum qui ordinaverit clericum sine titulo, obligari ad ei subministrandum necessaria vitæ donec assignet illi, in Ecclesia, stipendia sufficientia militiæ clericalis, *nisi talis ordinatus de sua vel paterna hæreditate vitæ subsidium habere possit*, intendebat solummodo ut provideretur necessitatibus clericorum, quos, seu imprudenter, seu necessitatis causa, Episcopus ordinaverit absque titulo beneficiali; vim retinente veteri disciplina. Paulatim tamen alio sensu lex fuit interpretata, invaluitque opinio licitas esse ordinationes sine titulo beneficiali, modo clerici haberent necessaria ad suî sustentationem.

Nullum superest ea de re dubium, in nostris præsertim

1. S. Congregatio de Prop. Fide dedit instructionem, die 27 ap. 1871 de *titulo ordinationis*, in qua potissimum agitur de regulis servandis ut adhibeatur titulus missionis, ac simul præscribitur formula juramenti ab iis præstandi qui eodem titulo ordinantur.

regionibus, ubi clerici, si quem titulum habeant, alium non possunt offerre pro sacris ordinibus, præter patrimonialem.

Introductio tituli patrimonialis nullatenus derogavit legi qua Episcopis indicitur illos tantum ordinare quos utiles suis Ecclesiis judicaverint. Quinimo, eamdem disciplinam confirmavit concilium Tridentinum, sess. XXI, cap. II, *de Reform.*; et Innocentius XII, memoratis decretis Apostolicæ Sedis quibus moderatus videri potuisset rigor canonum, statim addidit : « Contraria quavis illorum in« terpretatione penitus improbata, salutarem illam, quam « sacri generalis Tridentini decreta de non ordinandis ad « patrimonii titulum, nisi illos quos Episcopi pro necessi« tate, vel commoditate suarum ecclesiarum, assumendos « judicaverint, præscribunt, disciplinam nequaquam re« laxatam intelligi. » (Const. *Speculatores*, § 1, 4 nov. an. 1694.)

323. — Ecclesia ut finem intentum assequeretur, hæc præscripsit : 1° Si quis ordinetur titulo beneficii, debet beneficium actu possidere, atque ex eodem beneficio habere redditum sufficientem juxta taxam diœcesis; illud præterea alienare non potest, nisi facta mentione quod ad hujus beneficii titulum fuerit ordinatus; resignationem acceptari vetat Concil. Tridentinum, sess. XXI, cap. II, nisi aliunde provisum sit convenienti sustentationi clerici. — 2° Si titulus sit bonum patrimoniale, constitui debet in bonis certis, stabilibus ac frugiferis; si sit pensio quotannis solvenda, necesse est ut obligatio in forma juris contrahatur, et præ se ferat securitatem in bonis stabilibus quæ ad illam solvendam idonea sint; quapropter non sufficit spes futuræ successionis, pensio facultativa, bonum in commercio expositum, vel hypothecis gravatum. Vetitum insuper fuit, sicut de beneficio, ne titulus patrimonialis alienetur sine licentia Episcopi, et non assecurata conditione clerici per aliud medium.

Examen de existentia et valore tituli competit Episcopo originis quando ipse clericum ordinat. Episcopus domicilii et beneficii tenetur solummodo inspicere litteras testimoniales datas ab Episcopo originis, quando patrimonium assumitur in complementum beneficii. (Barbosa, *in conc. Trid.*, sess. XXI, cap. II, n^is 60, 61, 62. — Gallemart, in eumdem locum.)

III. Ecclesia legem sancitam esse voluit pœnis canonicis.

I. Episcopus qui alicui manus imposuerit, cum pacto quod ordinandus *super provisione sua non inquietet illum*, id est quod alimenta ab illo non postulaturus sit, suspensus est per triennium a collatione ordinum (cap. *Si quis*, 45, DE SIMONIA, lib. V Decret.; Const. *Apostolicæ Sedis*, an. 1869); insuper Episcopus ordinans aliquem sine titulo beneficii tenetur ei providere donec ipsi contulerit beneficium ecclesiasticum, nisi clericus habeat aliunde sufficiens subsidium, et illa obligatio transit ad successorem (Cap. *Cum secundum*, 16, DE PRÆBENDIS, lib. III Decret.)

Hæredes Episcopi possent et ipsi obligari jure naturali ad onus subeundum, ratione habita hæreditatis, si Episcopus gravi incuria indiscretas ordinationes fecerit; expediens tamen fuit obligationem imponi successoribus Episcopi defuncti. Etenim, 1º illud onus non tam in pœnam imponitur, quam in honorem status clericalis, cui unusquisque Episcopus debet invigilare in sua diœcesi; 2º communiter in diœcesi sunt officia quædam quæ possunt clericis committi; 3º sæpe parentes, aut hæredes Episcopi, non habent in hæreditate unde valeant clericorum necessitatibus providere, aut nolunt; quapropter indiscrete ordinati in grave discrimen venirent, si illorum conditio dimitteretur hæredibus Episcopi.

II. Quod ad ipsos clericos attinet, pœna suspensionis *latæ sententiæ* indicta olim fuit in illos : 1º qui ementito titulo ordinationem obtinebant; 2º vel qui cum Episcopo pa-

ciscebantur, spondentes se nihil postulaturos ad sui sustentationem; 3° vel tandem qui se simili pacto erga parentes obligaverant. Censura non amplius viget ex quo Pius IX edidit Constitutionem *Apostolicæ Sedis;* sed lex ipsa manet; unde qui tali fraude uterentur, graviter in Ecclesiam delinquerent [1].

324. — Nota 1°. Supra monuimus clericos alienare non posse titulum neque ecclesiasticum neque patrimonialem, sine venia Episcopi; de quo ita statuit conc. Trid. « Patri« monium... deinceps alienari aut exstingui, vel remitti « nullatenus possit, sine licentia Episcopi, donec benefi« cium sufficiens sint adepti, vel aliunde habeant unde vi« vere possint. » Inde S. Congregatio de *Propaganda fide* concludit in *Instructione* mox memorata, « quod si amisso « titulo, alter ei non substituatur, sacerdos haud propterea « remanet suspensus; sed Ordinarii tenentur compellere « ordinatos ad alterius tituli subrogationem, prout sacris « canonibus consultum est... Pariter sacerdotes regulares, « qui vota solemnia nuncuparunt, atque ex apostolica in« dulgentia in sæculo vivere permittuntur, vel qui edide« runt vota simplicia et a suis congregationibus egressi « sunt, ne cum proprii gradus dedecore emendicare « cogantur, ad sibi de titulo canonico providendum obli« gentur... »

Nota 2°. In Galliis statuta diœcesana præfiniunt quis redditus annuus requiratur ad constituendum titulum, licèt sit per se insufficiens ad vitæ sustentationem. Sed status plerorumque clericorum qui nec pensionem certam, nec fundum frugiferum ex sua familia habere queunt, necessitatem induxit, ut supra diximus, ut clerici ordinentur sub ea tacita conditione quod ministerio sibi committendo in diœcesi operas suas dabunt [2].

1. De Const. *Apostolicæ Sedis* dicetur in IVa parte *Prælectionum.*
2. In Ecclesia Mexicana praxis est a diuturno tempore ut clerici ordinentur titulo *Administrationis* ad obeunda munia ecclesiastica

2° De Ordinatione per singulos gradus.

325. — I° *Quid sentiendum de ordinatione facta, uno prætermisso ordine?*

I. Sunt in Ecclesia catholica gradus per quos ad summum sacerdotii apicem clericus ascendit.

Prima tonsura non est proprie ordo, sed veluti novitiatus status clericalis et *præambulum* ad ordines, ut ait sanctus Thomas. Ordines dividuntur in minores et majores. Quatuor sunt ordines minores : inter majores adnumerantur subdiaconatus, diaconatus et presbyteratus. Locum ultimum obtinet episcopatus, quem arbitramur esse non simplex complementum presbyteratus, sed ordinem distinctum et participem, in summo gradu, gratiæ sacramentalis : habet etenim sacra munia quæ nullatenus conveniunt presbyteris et ipsi annectitur gratia hæc munia obeundi.

II. Ordinationes factæ, uno prætermisso ordine, sunt illicitæ, quatenus prohibitæ jure ecclesiastico; quod non solum de majoribus, sed etiam de minoribus ordinibus, imo de ipsa tonsura canonistæ interpretantur.

Ita omnes DD. juxta constantissimas traditiones, quas ab ineunte v° sæculo inculcabat Zozimus Papa in epist. ad

cum jure ad pensionem congruentem pro sustentatione, ex oblationibus fidelium recipiendam. Cum viderent Episcopi paucos inveniri qui titulo beneficii, seu patrimonii possent ordinari, ita procedendum judicaverunt ad providendum necessitatibus spiritualibus Ecclesiæ, rati sufficientem esse clericis certam quamdam congruam quæ ipsis proveniret ex obventionibus quas solent fideles in singulis parœciis erogare sacerdotibus. Casu proposito S. Congregationi an illa praxis clericos ad sacros ordines promovendi eo titulo quem *Administrationis* appellant, sustinenda sit in casu, S. C. respondere censuit *affirmative*, die 21 junii 1879. (*Acta S. Sedis*, tom. XII, p. 569 et seq.) In eumdem fere sensum propositum fuit Patribus Concilii Vaticani schema a theologis S. Pontificis, de titulo *servitii* diœcesis, seu ecclesiæ, ad ordinationem clericorum qui alium titulum habere nequeunti

Hesychium : « Assuescat in Domini castris, in lectorum « primitus gradu, divini rudimentis servitii; nec illi vile « sit exorcistam, acolythum, subdiaconum, diaconum fieri « per ordinem; nec hoc saltu, sed statutis majorum ordi- « natione temporibus. » (*Ep.* IX, P. Coustant, p. 969.) Quamvis tonsura non sit ordo, nulli tamen permittitur ullum ordinem suscipere qui non fuerit statui clericali prima tonsura initiatus; quia juxta disciplinam pluribus abhinc sæculis constitutam, est præparatio canonica ad ordines. Ita declaratum fuisse a S. Congr. referunt Barbosa et Gallemart in sess. XXIII conc. Trid., cap. XIV, *de Reform.*

III. Ordinationes *per saltum* sunt nihilominus validæ, nisi agatur de episcopatu qui collatus fuisset alicui non sacerdoti.

Ratio est quod singuli ordines habeant prærogativas proprias quæ non pendent ab attributionibus ordinis inferioris; quamobrem nihil obstat quominus, v. g., clericus valide suscipiat diaconatum, non recepto subdiaconatu. Idem confirmat praxis Ecclesiæ; quoties enim actum fuit de hujusmodi ordinationibus, præcepit ut ordines prætermissi conferrentur, non jussit iterari collationem ordinum jam susceptorum.

Dixi : *Nisi agatur de episcopatu*... Canonistæ qui existimant episcopatum non esse ordinem a presbyteratu distinctum, sed hujus ordinis complementum, illico concludere debent necessitatem absolutam presbyteratus ad susceptionem episcopatus. Qui arbitrantur esse ordinem distinctum, ad eamdem conclusionem practicam deveniunt; necessarium enim est ut Episcopus habeat potestatem sacramenta conficiendi et administrandi, corpus Domini consecrandi.... alioquin non esset vere pontifex : porro episcopatus per se hanc potestatem non confert; nihil est enim in ritu consecrationis episcopalis quo character sacerdotii cum illius juribus designetur. Christus duo potuit insimul conferre, et permittere Ecclesiæ ut eadem jura

tribueret unica ordinatione : at cum hæc duo sint natura rerum distincta, et nullum citetur monumentum traditionis quod nos doceat Christum sic disposuisse, vel aliquando probante Ecclesia episcopatum datum fuisse non presbytero, jure dicimus ordinationem factam eo modo habendam fore uti saltem dubiam, et consequenter rursus iterandam, collato prius presbyteratu [1].

326. — II° *Quæ pœnæ latæ sint contra ordinatos per saltum, et quandonam Episcopus possit cum eis dispensare?*

I. Alexander II respondit Episcopo consulenti circa clericum qui diaconatum et presbyteratum susceperat, subdiaconatus ordine prætermisso : « ... Charitati tuæ mandamus ut ab officio sacerdotii eum prohibeas, donec « proximo quatuor temporum jejunio subdiaconatus mi- « nisterium sibi rite imponas, et sic deinceps ad majora « officia eum redire concedas. » (Cap. *Sollicitudo*, dist. LII.)

Ex illo textu concludimus clericum ordinatum per saltum : 1° non posse ministrare in ordine sic irregulariter suscepto ; 2° ad altiorem ascendere prohiberi. Non est tamen suspensio proprie dicta, siquidem non reponitur inter censuras relatas a constitutione *Apostolicæ Sedis*.

II. Episcopus dispensare potest cum promotis per saltum, si non ministraverint, ut ordines postpositos recipiant, majores jam susceptos exinde exerceant, ac tandem ad superiores promoveri valeant. (Conc. Trident., sess. XXIII, cap. XIV, *de Reform.*) Non dispensat cum clerico ut ordinem superiorem recipiat, nec ordinem susceptum exerceat, antequam ordini prætermisso initiatus fuerit; dispensatio autem data ad effectum suscipiendi ordinem prætermissum, alias dispensationes includere merito præsumitur, nisi superior limitet effectum concessionis ; hæc enim sibi invicem connectuntur. Ratio canonica cur interdictum sit exercitium ordinis suscepti, est prætermissio ordinis infe-

1. Bened. XIV, Const. *In postremo*, § 10-14, an. 1756.

rioris qui reputatur dispositio conveniens ad sacrum ministerium in gradu superiori rite adimplendum; causa igitur sublata per dispensationem, aufertur prohibitio.

Dixi : *Nisi ministraverint*, et ita cum mala fide egerint; omnes qui legem canonicam temere violant fungendo sacris ministeriis, tenentur recurrere ad S. Pontificem; quod ex textu concilii concluditur, cum super hoc Episcopi non habeant jus dispensandi.

3° DE INTERSTITIIS; DE STATUTIS TEMPORIBUS, ET LOCO ORDINATIONUM.

327. I° *Quid jure præscriptum sit de interstitiis intra singulas ordinationes servandis?*

I. A primæva ætate Ecclesia sapientissimis regulis providit ut servarentur interstitia inter ordines, de quo sufficiat iterum citare epistolam Zozymi ad Hesychium Episcopum Salonitanum, quam modo memoravimus : « Hæc « autem singulis gradibus observanda sunt tempora. Si ab « infantia ecclesiasticis ministeriis nomen dederit, inter « lectores usque ad vigesimum ætatis annum continuata « observatione perduret. Si major jam et grandævus ac« cesserit, ita tamen ut post baptismum statim, si divinæ « militiæ desiderat mancipari, sive inter lectores, sive in« ter exorcistas quinquennio teneatur : exinde acolythus « vel subdiaconus quatuor annis; et sic ad benedictionem « diaconatus, si meretur, accedat; in quo ordine quinque « annis, si inculpate se gesserit, hærere debebit. Exinde « suffragantibus stipendiis, per tot gradus datis propriæ « fidei documentis, presbyterii sacerdotium poterit pro« mereri. »

Disciplinam interstitiorum, paulisper temperatam successu temporum, sic determinavit concilium Tridentinum : 1° Minores ordines per temporum interstitia, *nisi Episcopo aliud magis expedire videatur*, conferantur. Suffi-

cit tempus quod elabitur ab una ordinatione ad aliam proxime subsequentem. 2° A susceptione postremi ordinis ad subdiaconatum intercedere debet spatium unius anni, *nisi necessitas, aut utilitas Ecclesiæ, judicio Episcopi, aliter exposcat*. 3° A subdiaconatu ad diaconatum, et a diaconatu ad presbyteratum, intercedere debet unus saltem annus. (Sess. XXIII, cap. XI, XIII, XIV, *de Reform.*) Si conferantur textus concilii, videbitur dandam esse difficilius dispensationem interstitiorum ab ultimo ordine minori ab subdiaconatum, et a diaconatu ad presbyteratum, quam inter alios ordines. Mens concilii non est ut Episcopus pro arbitrio dispenset in priori casu, sed solummodo si id exposcere necessitatem, aut utilitatem Ecclesiæ, judicaverit; major siquidem probatio necessaria est, ut quis se vinculo perpetuo obliget per subdiaconatum, vel ad sacerdotium promoveatur.

Facultas dispensandi super interstitiis pertinet ad proprium Episcopum clerici ordinandi, sive ipse conferat ordines, sive det litteras dimissoriales; quando autem agitur de ordinatione regularium, hæc facultas competit Episcopo ordinanti, non Prælatis regularibus, ita tamen ut quoad causas dispensationis Episcopus deferre debeat judicio Prælati regularis. Ita pluries declaratum fuissse a S. Congregatione refert Benedictus XIV, *Institutione* LVIII. Ratio est quod concilium Tridentinum facultatem dispensandi in interstitiis ordinum committit judicio Episcopi; nomine autem *Episcopi* non veniunt Prælati regulares. — Reiffenstuel, in tit. lib. I, tit. XI, n° 152.

II. Prohibitum est, ne quis eodem die, vel duobus continuis diebus, duos sacros ordines suscipere præsumat. Cap. *Litteras*, 13, DE TEMPORIBUS ORDINATIONUM, lib. I Decret.

An prohibitum sit etiam conferre eodem die subdiaconatum cum minoribus, in controversiam venit, quia desunt textus qui id expresse interdicant. Cœlestinus III graviter

animadvertit in clericum qui *furtive* suscipere præsumpserat eodem die subdiaconatum cum minoribus, cap. *Cum N. lator*, 2, DE EO QUI FURTIVE..., lib. V Decret.; nihil vero pronuntiat de potestate Episcopi. Dicendum tamen id illicitum esse, nisi firma in contrarium consuetudo alicubi vigeat, quod probatur : 1° *ex sensu doctorum*, qui generatim tenent hanc ordinationem prohibitam esse juxta disciplinam communem Ecclesiarum. « Libere respondemus, ait Lambertini, qui fuit Benedictus XIV, lege vetitum esse ne minores ordines ac subdiaconatus eodem die conferantur. » 2° *Ex declaratione S. Congregationis*. S. Congregatio censuit indulgendum non fore Episcopis ut ordines minores eodem die cum subdiaconatu conferrent; et argui voluit Episcopum qui ab illa regula recesserat, nec eum a pœnis debitis liberavit nisi *ea conditione ut in posterum ab hoc gravi facinore abstineret*. (Bened. XIV, *Institutione* CVI, n° 10.[1])

Ita usu firmatum est ad mentem concilii Tridentini, quod majorem exposcit causam ut dispenset Episcopus super interstitiis ab ultimo ordine minori ad subdiaconatum; unde merito concluditur Episcopum agere contra voluntatem Ecclesiæ, qui eodem die utrumque conferre præsumit.

328. — II° *Quibusnam diebus liceat ordines conferre?*

I. Tonsura conferri potest qualibet die et hora.

II. Licitum est Episcopo « dominicis et aliis diebus fes« tivis, unum aut duos ad minores ordines promovere »; cap. *De eo*, 3, DE TEMP. ORDIN.; quod canonistæ eo sensu interpretantur ut paucis solummodo ordines conferantur, ne fiat ordinatio generalis, nisi diebus mox indicandis.

Hæc notanda : 1° Juxta *Pontificale*, ordines minores

1. Cf. Giraldi, part. I, sect. LXXXVII. Nulla suspensio in hoc casu incurritur ipso facto ab Episcopo nec ab ordinatis, quia nihil ea de re statutum fuit a jure. Quod firma consuetudine induci possit ut subdiaconatus eodem die cum minoribus conferatur, tenet et probat Fagnan in cap. *De eo*, 3, n° 41, *De temporibus ordinationum*.

conferri debent mane, etsi non requiratur ut id fiat intra Missarum solemnia; 2° dies festi de quibus agitur ii sunt qui celebrantur ex præcepto, eo enim sensu vox *festivus dies* intelligitur communiter. Hoc tamen non obstat quominus ordinatio licite fiat in Galliis diebus festis qui olim servabantur a fidelibus, et qui desierunt esse de præcepto vi concordati, quia mens Sanctæ Sedis fuit festa eadem ratione ac antea celebrari, dempta solummodo, respectu populi, obligatione audiendi sacrum et abstinendi ab operibus servilibus. 3° S. Congregatio haud semel respondit tolerari posse consuetudinem immemorabilem conferendi ordines minores post meridiem feriæ VI ante sabbatum ordinum, sed expedire ut Episcopus sese conformet *Pontificali*. Annotator collectionis Gardellianæ merito animadvertit in responsis datis agi solummodo de casu consuetudinis immemorabilis. *Decreta authentica*, n° 4363, ad 11um, 11 mart. 1820.

III. Subdiaconatus, diaconatus et presbyteratus conferri debent sabbatis quatuor temporum, vel sabbato sancto, aut sabbato ante dominicam Passionis, non vero dominicis hæc sabbata subsequentibus, nisi ordinans et ordinandus producere velint jejunium sabbati in dominicam. Ita cap. *Quod a patribus*, 4, dist. LXXV, in quo S. Leo testatur fuisse a Patribus traditum ut non passim detur ordinatio sacerdotalis aut levitica, sed sabbatis indicatis, « quod ejusdem observantiæ erit, ait Pontifex, si mane « ipso dominico die, continuato jejunio sabbati celebre« tur, a quo tempore præcedentis noctis initia non rece« dunt. »

Duo animadvertere debemus : 1° Dies præfixos pro collatione ordinum sacrorum immutare non valet contraria consuetudo. Cap. *Sane*, 2, eod, tit. 2° Si defectus essentialis acciderit in ordinatione clerici, reparari debet diebus statutis ad collationem ordinum, non alio tempore. Cap. *Presbyter*, 3, DE SACRAM. NON ITERANDIS, lib. I Decret. Si

defectus sit mere accidentalis, Episcopus quovis tempore supplere potest quod prætermissum fuerit. Idem fortassis dicendum, si, ob solum dubium, conditionate iteretur ordinatio. (S. Alph. de Liguori, *de Ordine*, nº 759.)

S. Sedes indulgere consuevit Episcopis facultatem conferendi ordines *extra tempora*, quando opus est. Qui hujuscemodi indulta obtinuerunt, possunt conferre sacros ordines diebus dominicis et festivis sensu exposito supra ubi agebamus de collatione ordinum minorum, non vero aliis diebus festis, ritu etiam duplici, quemadmodum sæpius declaravit S. Congregatio, teste Benedicto XIV, *Institutione* CVI [1]. — Indultis sibi datis in favorem suæ diœcesis, Episcopi uti non possunt ad ordinationem clericorum extraneorum.

IV. Ordinationes Episcoporum fiunt diebus dominicis, et Natalitiis Apostolorum; vel etiam alia festiva die, si specialiter indulserit S. Pontifex.

329. — IIIº *Ubinam ordinatio fieri debeat?*

Episcopi in sua diœcesi, non in aliena, nisi assentiente Ordinario loci, debent conferre ordines. « Si secus factum « fuerit, Episcopus ab exercitio pontificalium, et sic ordi- « nati ab executione ordinum sunt ipso jure suspensi. » Est nimirum lex generalis Ecclesiæ ut nullus Episcopus extra suam quisque diœcesim *pontificalia* exerceat. (Conc. Trid., sess. VI, cap. V, *de Reform.*) Controversia movetur quoad primam tonsuram, quia Episcopi eam frequenter conferunt absque usu pontificalium; at multo securius est ut abstineant, quandoquidem collatio tonsuræ est actus pontificalis, etiamsi non fiat cum insigniis pontificiis. (Schmalzgrueber, nº 18.)

1. S. C. R. declaravit die 12 nov. 1831, et 18 feb. 1843, ordines etiam majores conferri posse diebus festivis a S. Sede abrogatis, quando Episcopi habent facultatem ordinationem celebrandi *extra tempora*. — Cf. *Thesaurum res.*, S. Cong. Concilii, t. LI, pag. 61-64, an. 1782.

Ordinationes regulariter fieri debent « in Cathedrali « Ecclesia, vocatis præsentibusque ad id Ecclesiæ canoni- « cis; si autem in alio loco diœcesis, præsente clero loci, « dignior, quantum fieri poterit, Ecclesia semper adea- « tur. » (Conc. Trid., sess. XXIII, cap. VIII, *de Reform.*) Censuit S. Congregatio Episcopum posse ordinationem quæ non sit generalis, sed tantum aliquorum clericorum, ubique facere, etiam in capella privata [1]. Quinimo Episcopi solent quandoque celebrare ordinationes generales in quavis Ecclesia, quando opportunum judicant; quod plures canonistæ arbitrantur non esse contrarium textui Tridentino, quia juxta illos textus allatus præceptum non indicat. Potiori jure diceretur legem reipsa dari, sed ita consuetudine locorum temperatam, ut licet communiter ordinationes fieri debeant in cathedrali, Episcopus tamen possit ob causam rationabilem eligere alias Ecclesias [2].

4° DE EXAMINE PRÆVIO, PROCLAMATIONIBUS JURE REQUISITIS, ET LITTERIS TESTIMONIALIBUS.

Nullus ad ordines promovetur qui non probetur idoneus; media autem quibus de idoneitate constare potest, sunt: examen, proclamationes bannorum, et litteræ testimoniales.

330. — I. Qui accedere ad ordines præsumit non examinatus, obnoxius est pœnæ excommunicationis ferendæ sententiæ.

Officium examinandi promovendos incumbit proprio Episcopo qui ordines confert, aut dat litteras dimissoriales. Episcopus rogatus ut ordinet clericos extraneos potest, si velit, eos iterum examinare; id tamen communiter non fit, ad consulendum honori proprii Ordinarii, et ne eum-

1. Giraldi, *Expositio juris pontificii*, part. II, sect. XCV.
2. Schmalzgrueebr, loc. cit., n° 17. S. Liguori, *de Ordine*, n° 798.

dem a diversis Episcopis approbari et reprobari contingat. Eadem regula viget quoad regulares, nisi habeant a S. Sede speciale privilegium, uti concessum fuit clericis Societatis Jesu [1].

Non sufficit ad approbationem ut Episcopus, aliusve examinator ab Episcopo delegatus, nihil mali noverit de ordinando; sed comperire debet illius idoneitatem juxta gradum ad quem inhiat ascendere. « Non solum, ait « S. Thomas, requiritur quod nesciat ordinans aliquid « contrarium sanctitati esse in ordinando, sed etiam exi- « gitur amplius, ut secundum mensuram ordinis vel offi- « cii, diligentior cura apponatur ut habeatur certitudo de « qualitate promovendorum, saltem ex testimonio alio- « rum » (IIIª part. suppl., quæst. XXXVI, art. IV, ad 3um) [2].

331. — II. Promovendis ad minores ordines sufficit ut testimonium habeant a parocho, et a magistro scholæ in qua educantur; nomina vero illorum qui ad singulos ordines majores assumendi sunt proponi debent publice in ecclesia; ut de illorum natalibus, ætate, moribus et vita inquiratur. (Conc. Trid., sess. XXIII, cap. V, *de Reform.*) Hæc publicatio fieri debet in loco nativitatis ordinandorum; et si sedem mutaverint, in loco ubi suum domicilium habent, servatis regulis Episcoporum auctoritate constitutis.

332. — III. Constitutione Innocentii XII, *Speculatores* (an. 1694), præcipitur insuper ut ordinandus suo ordinatori exhibeat litteras testimoniales in multiplici casu : 1° si ordinans sit Episcopus originis, sed ordinandus extra locum originis tanto tempore moram traxerit, ut potuerit ibi canonico impedimento irretiri; 2° si ordinans sit Episcopus domicilii, quando ordinandus a loco originis disces-

1. Giraldi, *Expositio juris pontificii*, part. II, sect. XC ; — Benedictus XIII, Const. *In suprema*, 23 sept. 1724; — Benedictus XIV, Const *Impositi nobis*, 1747.

2. Cf. Alph. de Liguori, tract. *de Ordine*, n° 803.

serit ea ætate qua potuerit alicui impedimento obnoxius esse; 3° demum si ordinans sit Episcopus ratione beneficii vel familiæ, ad præscriptum concilii Tridentini, ordinandus muniri debet litteris testimonialibus tum Episcopi originis, tum Episcopi domicilii, ut supra.

Hanc disciplinam firmavit Pius IX, const. *Apostolicæ Sedis*, indicta suspensione ab administratione ordinum per annum, in Episcopos qui ordines contulerint sine litteris testimonialibus jure præscriptis.

Prudentiæ Episcopi dimittitur ut præfiniat, ratione habita locorum et personarum, quale esse debeat tempus commorationis alibi factæ, ut exquirere oporteat litteras testimoniales ab Ordinariis locorum [1].

Litteræ testimoniales de quibus agitur speciales esse debent ad effectum, ut præcepto satisfiat; quapropter necessarium est ut in illis de natalibus, de vita et moribus, de nullius censuræ aut canonici impedimenti vinculo fides fiat, ita ut dignus videatur candidatus qui ad Ordines promoveri possit.

Non satis foret ad legis præscriptum ut haberetur testimonium a Parocho, vel etiam a moderatore seminarii ubi alumnus studiis operam dedit, in aliena diœcesi, eo quod non privati hominis depositio, sed Ordinarii testimoniales litteræ hisce in casibus a jure requiruntur. Ita haud semel censuit S. Congregatio [2].

ARTICULUS III. — DE OBLIGATIONIBUS CLERICORUM.

333. — Ordo clericalis gravissimum, at simul sanctissimum onus imponit singulis, præsertim qui sacris ordi-

1. Satis communiter dicitur tempus quod excedat unum annum, requiri ut necessarium sit habere has litteras testimoniales; quod concludere licet ex decreto Pii IX circa admittendos in statum religiosum (n° 461).

2. *Thesaur. Res.*, ann. 1840, in caus. *Spoletana*. — Lucidi, *de Visit. Sacr. Liminum*, de 11° *relationis capite*, art. I, n^{is} 66, 67; art. II, n° 94.

nibus initiati sunt, vitam agendi sua vocatione dignam, ut non minus præfulgeant morum puritate inter cæteros Christifideles, quam dignitate status præeminent. Quo certius hunc finem assequantur, Ecclesia multas leges sancivit, quarum aliæ communes sunt omnibus clericis, aliæ autem ad varia officia attinent. De prioribus solummodo in hoc articulo dicemus; quod enim ad onera officiorum attinet, alibi exponitur, ubi nimirum de jurisdictione et de beneficiis.

Omnibus promotis ad sacros ordines præceptum est ut orationi publicæ vacent, castitatem servent, et deferant habitum clericalem; iisdem clericis leges canonicæ interdixerunt quæ vel a suo officio eos retraherent, vel periculo sui status exponerent, uti sunt : cohabitatio cum mulieribus, noxia quædam oblectamenta, sæcularia negotia, de quibus nunc sigillatim disserendum est.

§ 1. — *De recitatione divini officii.*

334. — Quæstionis solutionem remittimus ad tertiam partem *Prælectionum*, in qua dicendum erit *de Officio divino*, ut cunctæ quæstiones historicæ, doctrinales ac practicæ quæ ad officium publicum referuntur et sunt inter se connexæ, simul pertractentur.

§ 2. — *De castitate servanda.*

335. — *Qui clerici teneantur continentiam servare, et undenam oriatur hæc obligatio?*

Omnes clerici majoribus ordinibus initiati, in Ecclesia Latina, tenentur perpetuam continentiam servare, adeo ut nec post susceptum ordinen matrimonium valide contrahere, nec matrimonio ante ordinationem contracto uti licite possint.

Concilium Tridentinum anathemate percutit illos qui

dixerint « clericos in sacris ordinibus constitutos... posse « matrimonium contrahere, contractumque validum esse « non obstante lege ecclesiastica vel voto. » (Sess. XXIV, can. 9 [1].) Ut vero plenior solutio detur quæstionis propositæ, expedit nonnulla notare de origine, universalitate et natura legis; et de libertate morali qua clerici debent sacros ordines suscipere, ut lege teneantur.

I. Hæc disciplina, quatenus ad Episcopos, presbyteros et diaconos attinet, a primis sæculis venit. Testes habemus Patres concilii II Carthaginensis (an. 390) : « Placuit et « condecet sacrosanctos antistites, et Dei sacerdotes, nec- « non et levitas, vel qui sacramentis divinis inserviunt, « continentes esse in omnibus, ut quod Apostoli docue- « runt, et ipsa antiquitas servavit, nos quoque custodia- « mus. » Non videtur quidem legem generalem ab initiis Ecclesiæ indictam clericis, et fatendum in nonnullis provinciis non fuisse ipsis vetitum cohabitare cum uxoribus quas antea duxerant; verum duo certa habemus : 1° a temporibus apostolicis consuetudinem obtinuisse in Ecclesia moribusque invaluisse, ut promoti ad sacros ordines abstinerent ab uxoribus quas legitimo matrimonio sibi conjunxerant, etiam quando licitum erat cum eis cohabitare; 2° iisdem clericis ubique interdictum fuisse nuptias contrahere post ordinationem. Unum solummodo concilium novimus, Ancyranum nempe, quod permisit diaconis uxores accipere, si in ipsa ordinatione hanc facultatem sibi reservaverint : in eo recessit a disciplina aliorum conciliorum.

Subdiaconos, quamvis non fuerint ab exordio adnumerati inter clericos majores, lege continentiæ addici suo tempore declarat S. Leo Magnus in epist. ad Anastasium :

1. Cf. *Distinctiones* XXVII, XXVIII, XXXII, decreti Gratiani; — Thomassin, *Vetus et Nova Ecclesiæ Disciplina*, part. I, lib. II, cap. LX, et seq. ad LXVI. — Cabassut, *Synopsis conciliorum*, ad III Canonem Nycænum. — Pavy, *Célibat ecclésiastique*, 1 vol. in-8.

« Nec subdiaconis connubium carnale conceditur, ut et « qui habent sint tanquam non habentes, et qui non ha- « bent permaneant singulares. Quod si in hoc ordine, qui « quartus a capite est, dignum est custodiri, quanto magis « in primo, vel secundo, tertiove servandum est! » (Cap. *Omnium*, 1, dist. XXXII.) Successores S. Leonis summo studio invigilaverunt accuratiori observationi hujus legis, quæ, licet paulo tardius, in omnibus tandem Ecclesiis prævaluit.

Multæ gravissimi momenti causæ Ecclesiam induxerunt ad constabiliendam disciplinam continentiæ clericalis. 1° *Exemplum Christi et Apostolorum.* « Christus Virgo, ait « S. Hieronymus, Virgo Maria, utriusque sexus virginita- « tem dedicaverunt. Apostoli, vel virgines, vel post nup- « tias continentes... assumpti in apostolatum, reliquerunt « officium conjugale. » (*Contra Jovinianum.*) 2° *Bonum Ecclesiæ.* Maxime refert ad ædificationem fidelium et ad sacri ministerii exercitium, ut clerici præbeant cunctis fidelibus exemplum abnegationis voluptatum carnis, quo efficacius praxim consiliorum evangelicorum commendent : utque toti sint impensi in sollicitudinem sui ministerii, ad procurandam salutem animarum. *Qui cum uxore est, cogitat quæ sunt mundi et divisus est*, ait S. Paulus.

336. — II. Probabile admodum est disciplinam cælibatus viguisse etiam a primæva ætate apud clericos orientales sicut apud occidentales; sensim tamen ab illius integritate adeo desciverant, ut illorum respectu lex temperanda demum visa fuerit. Si fides adhibeatur historicis Græcis, Socrati et Sozomeno, in ipso concilio Nicæno, cum Episcopi canonem condere vellent quo clerici majores vetarentur commercium conjugale habere cum uxoribus sibi ante ordinationem conjunctis, decreto obstitit Paphnutius Episcopus Æygptius, asserens hoc jugum non esse imponendum clericis et sacerdotibus; sufficere ut qui in clerum fuissent adscripti, juxta veterem Ecclesiæ traditio-

nem jam amplius uxores non ducerent. Quidquid sit, nihil enim ea de re testatum reliquerunt acta concilii Nicæni, indubium est a tempore saltem concilii in *Trullo* seu *Quinisexti* (anno 692, can. 6 et 13), concessum fuisse apud Græcos, presbyteris et diaconis uti suis uxoribus ductis ante ordinationem; et constitutum ut non alii ad episcopatum promoverentur nisi qui cælibes vixissent, aut se continentiam perpetuo servaturos sponderent. Ecclesia Romana canones Trullanos nunquam sua auctoritate sanxit; toleravit tamen, ob bonum pacis, temperamentum primævæ disciplinæ inductum. Latini idcirco nullam de cælibatu clericorum quæstionem cum Græcis moverunt in concilio Florentino, quando de regressu Græcorum ad unitatem actum fuit.

337. — III. Tolerantia qua usa est Ecclesia Latina respectu clericorum Ecclesiæ orientalis, probat nec jure naturæ, nec jure divino continentiam connecti ordinibus sacris. Canonistæ tenent communius obligationem fundari simul in lege ecclesiastica et in voto.

De lege canonica res certissima est : quoad votum, Bonifacius VIII innuit illud intercedere saltem implicite in susceptione sacrorum ordinum, dum in cap. *Quod votum*, DE VOTO, lib. III, in VI°, dicit : « Declarandum duximus « illud solum votum dici debere solemne... quod solem- « nizatum fuerit per susceptionem ordinis sacri, aut per « professionem expressam vel tacitam factam alicui de re- « ligionibus per Sedem Apostolicam approbatis. » Necessarium non est ut clerici ad subdiaconatum promovendi votum explicite emittant; sufficit si suam intentionem ad mentem Ecclesiæ conformare intendant.

Clerici proinde qui, post susceptos sacros ordines, in peccatum luxuriæ miserrime labuntur, duplicis criminis reos se constituunt; violant simul legem naturalem castitatis, et virtutem religionis, quod sacrilegium includit. Cum enim lex canonica castitatem servari præcipiat in ordine ad virtutem religionis, ut nempe clerici decenter sacris

mysteriis inserviant, transgressio hujus disciplinæ excusari non potest a reatu sacrilegii, etiamsi votum castitatis non emiserint.

338. — IV. Ut clerici lege castitatis teneantur, oportet ut spontanea voluntate sacros ordines susceperint. Ecclesia nulli invito obligationem adeo gravem imponit; nullum in statum clericalem lege immutabili admittit per subdiaconatum, qui non libera voluntate consentiat. Si proinde quis invitus initiatus sit sacris ordinibus, gravi metu ad subdiaconatum addictus, « ordinatio illicita reputatur, ait Bene-« dictus XIV, nec ordinatus adstrictus manet continen-« tiæ voto quod annexum est ordini eidem collato. » (*De Synodo*, lib. XII, cap. IV, n° 2.) Optio ipsi datur : aut abstineat ab exercitio ordinis sacri et redeat ad vitam sæcularem; aut si, libertate recuperata, maluerit in sacrorum ordinum exercitio versari, sciat se in perpetuum lege continentiæ obligari. Rationem affert Benedictus XIV quod « electio status a libera cujusque voluntate pendeat, et « Altissimo nostra, non aliena, vota reddere teneamur. »

Olim moris erat in pluribus regionibus, ut coacte promoti subjicerentur legi castitatis, aliisque oneribus status clericalis, eadem ratione ac pueri quos parentes devoverant in infantili ætate cœnobiis monasteriorum; at SS. Pontificum decretis et conciliorum « abrogatam fuisse hanc dis-« ciplinam, contra quam naturæ et liberi arbitrii jura cla-« mare videbantur, » animadvertit Benedictus XIV [1].

Ne sibi illudant in hac materia clerici qui se coactos fuisse queruntur, expectare debent judicium auctoritatis Ecclesiasticæ, seu dispensationem a S. Sede super voto continentiæ. Hæ causæ regulariter referuntur ad S. Congregationem Concilii. Episcopus jure valet pœnis canonicis illos coercere qui, non expectata sententia, statum cle-

1. Cf. Litteras Bened. XIV *Eo quamvis tempore*, § 20 et seq. quoad Græcos in ætate infantili ordinatos; et *Probe te meminisse*, an. 1741, § 4-8, de Parvulis judæorum ad Baptismum oblatis.

ricalem deserunt, matrimoniumque ineunt ; quia in foro externo præsumitur validitas actus in forma consueta consummati : aliunde quo magis res gesta refert ad ordinem publicum, eo minus licitum est privato prævenire judicium ab auctoritate competenti ferendum.

Hæc de foro externo dicta intelligantur : quod ad forum conscientiæ attinet, etsi necessarium sit ut ordinati expectent sententiam, aut dispensationem a S. Sede postulent, quam pluries concessam fuisse a S. Congregatione asserit S. Liguori, ubi metus manifeste probatus fuerit, arbitramur tamen cum eodem S. Liguori probabilius valere matrimonium ab iis contractum, antequam prolata sit sententia, si reapse ordinatio illorum libertate necessaria caruerit [1].

Dicetur infra quatenus vetitum sit clericis habitare cum mulieribus ut removeatur periculum peccandi de pœnis canonicis in clericos qui peccaverint contra castitatem tractatur in IV[a] parte *Prælectionum* (n[is] 744-747).

§ 3. — *De vestitu clericorum et tonsura.*

339. — I° *Utrum et quatenus clerici teneantur gestare vestitum proprium sui ordinis?*

I. Prioribus sæculis vestes civiles clericorum a communibus laicorum distinguebantur modestia tantummodo et simplicitate, non forma seu colore ; unde concilium Carthaginense IV, canone 45, nihil constituto de peculiari forma vestium, præcepit : « Ut clerici professionem suam » in habitu et incessu probent, nec vestibus et calceamen- « tis decorem quærant. »

Ipsa temporum ratio requirebat ut clerici non secernerentur vestitu a laicis ; cum, sævientibus persecutionibus, illos tyranni ad necem quærerent, semetipsos morti obje-

1. S. Liguori, lib. VI, *de Ordine*, n° 811. — Cf. *Canones et Decreta* Concilii Trid. in collect. Richter, in cap. XIII sess. XXIII, ubi refert varias resolutiones S. Congregationis.

cissent signa clericatus præ se ferendo. Hunc morem, sedatis etiam procellis, aliquandiu viguisse innuit epistola S. Cœlestini ad Episcopos Narbonensis et Viennensis provinciæ (ann. 428), in qua clericos qui more monachorum vestes proprias affectabant sic reprehendit : « Didicimus « quosdam Domini sacerdotes superstitioso cultui potius « inservire quam mentis vel fidei puritati. Amicti pallio et « lumbis præcincti, credunt se scripturæ fidem, non per « spiritum, sed per litteram completuros... *Discernendi a « plebe vel cæteris sumus doctrina, non veste; mentis puri- « tate, non cultu...* Non est imponendum oculis, sed menti- « bus infundenda præcepta. »

A sæculo sexto clerici cœperunt vestes peculiares deferre quibus a laicis secernerentur, quod eruditi demonstrant multis argumentis, ex Epistolis S. Gregorii Magni, et ex aliis scriptis coævis. Immutatio autem universalior evasit post barbarorum invasionem ; cum enim barbari Romanum imperium invasissent, atque induxissent usum vestis brevioris, clerici Romanas vestes retinuerunt. « Nos « non latet, ait Benedictus XIV, vestem oblongam et ad « pedes usque defluentem clericis unice convenire, eam- « que consuetudinem ac disciplinam tunc inductam fuisse, « cum laici, post annum 1300, depositis longis vestibus, « breviores sumpserunt... *Cum vulgus hominum laicorum « vestes longas abjecerit,* ait Thomassinus, *in hoc excubuit « vigilantia Episcoporum, ut clericos compesceret ab imita- « tione laicorum, et ad vestes eligendas adduceret potius di- « gnitati suæ quam corporeæ discursationi accommodatas...* « Vestem talarem clericis aptissime convenire, ex conciliis « provincialibus ac diœcesanis Italiæ, Pontificum decretis, « et SS. Congregationum declarationibus, apertissime « comprobatur. » (*Institutio* LXXI, n^is^ 2-8. Thomassin, *Disciplina...*, part. I^a^, lib. II, cap. XLIII, et seq. [1].)

1. Concilium Toletanum, an 1324 habitum, statuit : « quod nullus clericus supertunicale... deferat ita longum, quod si ad pedes con-

340. — II. Clerici sacris ordinibus initiati, vel beneficiati tenentur gestare habitum proprium sui status, juxta præscriptiones Episcoporum, seu locorum consuetudines, determinandum.

Probatur ex conciliorum decretis, nempe Viennensis et Tridentini. Conc. Viennense, cap. *Quoniam*, 2, DE VITA ET HONESTATE CLERICORUM (Clement.), declarat illum « qui, « abjectis vestibus proprio congruentibus ordini, alias su« mere et in publico portare, rationabili causa cessante, « præsumit, se illius ordinis prærogativa reddere indi« gnum » ; quapropter, illum, si beneficiatus sit, statuit suspensum fore per sex menses a perceptione fructuum beneficii; si autem non sit beneficiatus, illum pronuntiat inhabilem per idem tempus ad beneficium obtinendum. « 2° Etsi habitus non facit monachum, ait concilium Tri« dentinum, oportet tamen clericos vestes proprio con« gruentes ordini semper deferre, ut per decentiam habitus « extrinseci, morum honestatem intrinsecam ostendant; « tanta autem hodie aliquorum inolevit temeritas religio« nisque contemptus, ut propriam dignitatem et honorem « clericalem parvipendentes, vestes etiam deferant publice « laicales, pedes in diversis ponentes, unum in divinis, « alterum in carnalibus. Propterea omnes ecclesiasticæ « personæ, quantumcumque exemptæ, quæ aut in sacris « fuerint, aut officia aut beneficia obtinuerint, si postquam « ab Episcopo suo, etiam per edictum publicum, moniti « fuerint, honestum habitum clericalem, illorum ordini « et dignitati congruentem, et juxta ipsius Episcopi ordi« nationem et mandatum non detulerint, per suspensionem

tingat, nullatenus tamen per terram trahatur, cum hæc non honestas, sed superfluitas et indecentia censeatur. » (Cap. II. Labbe, tom. XI, col. 1714.) Juxta communem disciplinam, non alios clericos uti syrmate (id est veste adeo diffusa quæ talos longe excedat) præter Cardinales, et Episcopos in propriis diœcesibus, annotat Riganti in tract. *de Protonotariis Apostolicis*, dissert. VIII. (V. *Decreta authentica S. C. R.*, nis 2666 et 2673.)

« ab ordinibus, ac officio, et beneficio, ac fructibus, red-« ditibus et proventibus ipsorum beneficiorum ; necnon si « semel correpti, denuo in hoc deliquerint, etiam per pri-« vationem officiorum et beneficiorum hujusmodi coer-« ceri possint et debeant : constitutionem Clementis V, « in concilio Viennensi editam, quæ incipit *Quoniam*, « innovando et ampliando. » (Sess. XIV, cap. VI, *De Reform.*)

Decretum concilii ex integro retulimus, ut quisque perpendat gravitatem verborum quibus Patres Tridentini arguunt clericos qui deferunt vestes laicales; hæc enim, simul ac pœnæ contra delinquentes latæ, evincunt peccare lethaliter clericos sacris ordinibus initiatos, aut beneficiatos qui sui ordinis vestes non deferunt. Quidam dixerunt peccatum non esse mortale, si desit contumacia aut contemptus, seu periculum scandali; « sed contrarium omnino « tenendum est, ait sanctus Alph. de Liguori, quia ex « concilio patet ipsam delationem habitus laicalis esse « parvipensionem honoris clericalis; ita communiter... » (Lib. VI, n° 825.)

Excipiendum : 1° si id rarissime fiat, ad breve tempus; nisi tamen statutis diœcesanis pronuntietur pœna suspensionis in illos qui vel semel in publicum progrederentur cum veste laicali; hæc enim pœna indicat prohibitum esse sub gravi ne clericus suum habitum deserat. Aliunde non excidant e memoria verba concilii : *Oportet clericos vestes proprio ordini congruentes* SEMPER *deferre.*

Excipiendum : 2° si id fiat rationabili causa, puta si urgeat periculum persecutionis in clericos, vel si clericus sit in itinere.

Exceptio data pro casu itineris non eo sensu intelligenda est, ut clerico liceat deferre vestes omnino laicales, vel per totum tempus quo remanebit extra locum domicilii exuere habitum proprium sui ordinis; sed eo solummodo sensu ut fas sit vestes alias, modo modestas, deferre dum

per vias publicas iter agit, vel dum transeundo aliquantisper in urbe moratur.

Dixi 1° : *Clerici sacris initiati, aut beneficiati...* Alios non urget obligatio deducta ex jure communi. Episcopus posset præscribere clericis ordinum inferiorum ut habitum sui ordinis non deserant, quamdiu perseverant in statu clericali.

Dixi 2° : *Juxta præscriptiones Episcoporum;* quia conc. Trid. non determinavit qualis sit forma vestis clericalis, sed illam determinari voluit ab Episcopis; quamobrem ubi statuta diœcesana, seu usus constans, requirit vestem talarem, non dubium est quin clerici illam gestare teneantur.

341. — II° *Quid canonibus præscriptum sit circa tonsuram clericalem ?*

I. Eadem fere ratione inducta fuit lex tonsuræ ac vestis clericalis. Per priora sæcula clericis solummodo præscriptum fuit modestos esse in capillitio, ac vetitum comam nutrire. Quid clericos deceat, sic describit sanctus Hieronymus, lib. XIII in Ezechielem, cap. XLIV : « Perspicue « demonstratur, nec rasis capitibus, sicut sacerdotes cul« toresque Isidis atque Serapidis, nos esse debere ; nec « comam demittere, quod proprie luxuriosorum est bar« barorumque, sed ut honestus habitus sacerdotum facie « demonstretur, nec calvitium novacula esse faciendum, « nec ita ad pressum tondendum caput, ut rasorum similes « esse videamur, sed in tantum capillos esse demittendos « ut operta sit cutis. » Ad illam modestiam capillorum hortatur sanctus Paulus omnes fideles : *Vir si comam nutriat, ignominia est illi.* (I[a] ad Cor., cap. XI, 14.) Successu temporum, clerici æmulati sunt humilitatem monachorum, qui in signum abjectæ vanitatis sæcularis caput radere consueverant. Discrimen tamen inter utrosque fuit quod clerici servaverunt formam coronæ. Hunc morem inductum ineunte sæculo IV existimant viri historiæ ecclesias-

ticæ periti, quod probant ex scriptis sancti Isidori Hispalensis, et sancti Gregorii Turonensis. Synodus Toletana, an. 633, can. 41, tonsuræ præceptum simul et formam complectitur : *Omnes clerici detonso superius capite toto, inferius solam circuli coronam relinquant* [1]. Hanc disciplinam ubique pluribus abhinc sæculis constitutam de novo sanxit concilium generale Lateranense sub Innocentio III celebratum : « Clerici tonsuram et coronam habeant congruentem. » (Cap. *Clerici*, 15, DE VITA ET HONESTATE CLERICORUM, lib. III Decret.)

Inter tonsuram et coronam intercedit discrimen, ait « Benedictus XIV, et utrasque clericis gerendas Innocen- « tius III, his verbis indicit : *coronam et tonsuram habeant* « *congruentem.* » (*Inst.* LXXI, n° 6.) Per tonsuram olim intelligebatur brevitas capillorum ; per coronam vero forma coronidis servata in modo capillos tondendi, quem indicat textus supra allatus concilii Toletani. Omnes qui Deo in statu clericali se devovebant, capillos defluentes in humerum deponebant, et præterea caput per modum coronæ radere tenebantur, juxta disciplinam usu invectam, conciliorumque decretis firmatam. Quanti hanc disciplinam fecerit Ecclesia, satis ostendit per plures canones quos sæpius innovavit. Statuitur in concilio Lateranensi v sub Leone X, sess. IX : « Clerici in sacris constituti barbam nec « comam nutriant, sed tonsuram ferant ; si quis contra « fecerit, excommunicationem incurrat. » Decretum concilii Lateranensis iterum induxit Sixtus V per Const. *Sacrosanctum*, an. 1589.

342. — II. Obligatio deferendi coronam clericalem urget sub gravi, in eo sensu quod peccet mortaliter qui, nulla ratione seria excusante, per tempus notabile legi non satisfacit.

Gravitatem obligationis desumimus : 1° *ex canonibus*

1. Selvaggio, *Antiq. Christ. Inst.*, lib. I, part. II, cap. XII.

conciliorum, qui eodem modo præcipiunt clericis ut coronam et tonsuram deferant, sicuti vestem suo ordini congruentem : porro, non est cur conjiciamus leges toties latas ac innovatas a conciliis generalibus, a SS. Pontificibus, et a conciliis provincialibus, in materia quæ refert ad honorem et decentiam status clericalis, non obligare sub gravi. 2° *Ex fine legis*, qui fuit separare signo externo clericos a laicis, et eis in memoriam eodem signo revocare obligationes sui status, quod est certe magni momenti sub omni respectu. 3° *Ex Doctorum sententiis*, qui communiter interpretantur titulum DE VITA ET HONESTATE CLERICORUM eodem sensu, nec distinguunt inter tonsuram et habitum clericalem, sed utrumque simul eodem jure sub gravi præceptum dicunt [1]. « Les casuistes disent tous, unanimement, « *ait collator Lingonensis*, qu'un ecclésiastique qui est dans « les ordres sacrés, ou qui a un bénéfice, pèche mortelle« ment lorsqu'il n'a pas la tonsure ou l'habit long. » (Tom. II, conf. XXX.) D. Emery hæc asseruit in notis mss. de re disciplinari : « Je ne crains pas de décider qu'un clerc « qui volontairement et habituellement ne porterait pas la « tonsure, pécherait mortellement. » Escobar ipse, qui in suspicionem non venit nimiæ severitatis, notat *inter gravia crimina clerici*... si despexerit *tonsuram præferre clericalem.* (*Theol. mor.*, tract. II, *Examen* III, cap. IV : *Peccata mortalia ecclesiasticorum*, n° 4.)

Canonistæ animadvertunt non esse pœnas jure statutas in clericos qui tonsuram non habent, si aliunde habitum clericalem gestent ; at simul dicunt clericos posse ab Episcopo compelli per censuras ad ferendum tonsuram, aut *arbitrio judicis puniri*, ut loquitur Schmalzgrueber, n° 36. — Aliud discrimen assignant inter habitum clericalem et

1. Ferraris, v° *Clericus*, art. I, n^is 23-25 ; — Schmalzgrueber, n° 31 ; — Reiffenstuel, n^is 63, 64 ; — Pirhing, n° 17 ; — S. Alph. de Liguori, *Theol. mor.*, lib. VI, n° 826 ; — *Conférences d'Angers* sur les devoirs des États, IIe conf., IVe question ; — Rituale Lingonense, n° 605.

tonsuram : « facilius mortaliter peccari non deferendo habitum quam coronam ; » quia nempe clericus peccat graviter si identidem prodeat in locum publicum cum veste laicali, dum non arguitur peccati lethalis si per unum aut alterum mensem coronam non deferat, etiamsi nullum vestigium de ea appareat, ut nonnulli dixerunt, quorum opinionem refert, nec improbat S. Liguori. Non aliter legem interpretabatur D. Emery, cujus verba mox protulimus.

4. — *De vitanda cohabitatione cum mulieribus.*

343. — I. Concilium Nicænum, canone 3°, interdixit clericis habere « subintroductam mulierem [1], nisi aut matrem, « aut sororem, aut amitam, vel eas tantum personas quæ « suspicionem effugiunt. » Concilium Carthaginense II adjunxit filias fratrum vel sororum, et cæteras omnes quæ ex domestica necessitate, etiam antequam ordinarentur clerici, jam cum eis habitabant. (Cap. *Cum omnibus*, 27, dist. LXXXI^a^.) Plures per decursum temporum editi sunt canones quibus omnis cohabitatio cum mulieribus, ne excepta quidem matre, interdicebatur; sed Innocentius III hanc nimiam severitatem temperavit per Decretalem *A nobis*, 9, DE COHABITATIONE CLERICORUM ET MULIERUM, in qua statuit : « Cum clericis non permittas mulierculas habitare, « nisi forte de illis personis existant in quibus naturale « fœdus nihil permittit sævi criminis suspicari. »

En principium generale : canones vetant ne clerici apud se detineant fœminas de quibus suscipio esse possit. Quænam mulieres vi hujus principii removeantur, praxis et statuta locorum præfiniunt, scilicet : 1° fœminæ quæ mala fama notantur, aut quæ sua levitate ac agendi ratione dant locum scandalo fidelium ; 2° omnes quæ non attingunt

1. *Subintroducta* dicebatur mulier devota Deo, cœlibatum profitens et cohabitans cum clero a quo habebatur ceu soror.

ætatem provectam statutis determinatam, præter cognatas in primo et secundo gradu.

De mulieribus affinibus mentio non fit in decretis conciliorum. Disciplina severior fuit circa illas, quia magis urget periculum cum affinibus quam cum consanguineis. Sunt provinciæ in quibus permittitur clericis habitare cum noverca, nuru, uxore fratris defuncti; eo sensu Benedictus XIV statuta ediderat, dum esset Archiepiscopus Bononiensis (*Inst.* LXXXII et LXXXIII.) In aliis regionibus hæc cohabitatio non conceditur, et disciplina remansit intra limites præfixos a concilio Nicæno. Dimittitur prudenti arbitrio Episcopi ut statuat regulas generales in sua diœcesi servandas; quoad vero casus particulares, Episcopus sibi reservat judicandum an expediat clericum cohabitare cum tali aliave persona, ratione habita circumstantiarum[1].

344. — II. Canones non indixerunt pœnas contra clericos qui legem de cohabitatione vetita transgrediuntur. Ubi vero legitima est suspicio, leges ecclesiasticæ volunt ut Episcopus in violatores canonum animadvertat.

Concilium Tridentinum statuit omnes clericos habentes beneficium, qui, a superioribus moniti, concubinas aut alias mulieres de quibus suspicio haberi possit, in domo vel extra domum detinent, aut cum illis habent consuetudinem, ipso facto privandos fore tertia parte fructuum beneficii aut officii. Si in eodem delicto cum eadem vel alia perseverent, licet secundo moniti, amittunt omnes fructus sui beneficii, a cujus administratione insuper suspenduntur. Quod si, spreta monitione, mulieres non expellant, aut cum illis versentur, privari debent suis beneficiis, et inhabiles de-

1. Clerici quibus conceditur cohabitare cum cognatis et affinibus, possunt habitare in eadem domo cum eis quæ de hujusmodi conjunctarum mulierum familia sunt, uti famulis et pedissequis, dummodo nullum periculum subsit, nec occasio scandali aut offensionis fidelibus; de quo providere debent superiores. (Schmalzgrueber, in tit. II DE COHABITATIONE, n° 1.)

clarari ad possidenda alia, donec emendationem ostendant.

De parochis, Conc. Trid. mandat ut qui turpiter et scandalose vivunt, ab Episcopo coerceantur, præmissis monitionibus; et si adhuc incorrigibiles sint in sua nequitia, Episcopus habeat facultatem eos beneficiis privandi, appellatione quacumque remota, (Sess. XXI, cap. VI.) Necesse igitur non est ut eadem servetur graduatio pœnarum ac pro aliis beneficiariis, de quibus modo.

Tandem synodus voluit eum, qui postquam mulierem dimiserit, iterum sibi eam adjungere præsumeret, gladio excommunicationis plecti; et clericos beneficia non habentes puniri ab Episcopo juxta delicti et contumaciæ perseverantiam et qualitatem. (Sess. XXV, cap. XIV.)

Nota. 1° Decretum Tridentinum attingit omnes clericos qui in sua domo detinent mulieres suspectas, aut cum eis versantur contra vetitum, etiamsi cum illis non peccaverint; quia adest, in casibus jure prævisis, præsumptio canonica, aut saltem periculum grave concubinatus.

2° Concilium vult ut fructus quos clericus amittit, in pœnam sui delicti, applicentur fabricæ Ecclesiæ aut alteri loco pio, arbitrio Episcopi.

3° Clerici non incurrunt pœnas indictas a concilio, nisi præcesserit monitio. Si clericus non detineat mulierem in sua domo, Episcopus non debet usque ad privationem officii procedere, nisi adsint graves præsumptiones.

4° Clerici beneficia non possidentes puniuntur suspensione ab ordine, ac inhabilitate ad beneficia obtinenda, aliisve modis juxta sacros canones.

5° Episcopis datur facultas ut in hac materia, « sine « strepitu et figura judicii, et sola facti veritate inspecta, « procedere possint ». Possunt igitur inferre pœnas indictas a concilio Tridentino, servando formas judicii summarii. Possunt insuper procedere ex *informata conscientia*, servatis servandis, si intendant tantummodo ferre suspensionem ad tempus. Si de aliis pœnis agitur quæ non exce-

dunt limites correctionis paternæ, res dimittitur prudentiæ Episcopi.

§ 5. — *De quibusdam oblectamentis clerico interdictis.*

Præter cohabitationem mulierum quæ periculum peccandi contra castitatem inducit, alia sunt quibus Ecclesia clericis interdicit, ne mores enerventur vel ut occasio scandali removeatur. Hæc concilium Tridentinum in cap. XII sessionis XXIV indixit : « Ab illicitis venationibus, « aucupiis, choreis, tabernis lusibusque abstineant. » Singula paucis explicare necesse est ad mentem veterum canonum, quos innovavit synodus Tridentina.

346. I° *Quali venatione inderdicatur clericis?*

Canones venatione idcirco clericis interdicunt quod : 1° fiat plerumque cum tumultu qui dissolvit ac dehonestat clericalem modestiam; 2° immitis illa effusio sanguinis animalium habeat quamdam speciem belli male convenientem cum mansuetudine ecclesiastica; 3° tandem animus clericorum nimis distrahatur a divinis officiis aliisque spiritualibus occupationibus sui status, præsertim si venatio sit frequens.

Ut statuatur quæ sit venatio vetita clericis, distinctione opus est.

1. Omnes fatentur venationem clamorosam, ut aiunt, quæ olim fiebat magno strepitu ut caperentur apri, cervi et aliæ feræ majores, prohiberi sacris canonibus (Cap. *Episcopum*, 1, DE CLERIC. VENATORE); eodem sensu caput subsequens *Omnibus servis Dei*, 2, prohibet ne clerici per sylvas vagentur cum canibus ad venandum, et accipitres seu falcones habere interdixit.

Peccaret igitur graviter clericus sacris ordinibus initiatus qui frequenter huic venationi vacaret. Ita tenent canonistæ, et merito id concludunt e textu juris *Episcopum*, qui comminatur privationem a communione per tres menses

Episcopo qui in hac voluptate diutius detentus fuerit; item sacerdoti per duos menses; diaconus vero obnoxius est suspensioni ab omni officio, nisi dicere malueris, cum annotatore collectionis P. Hardouin, diaconum uno mense suspensum fore, ut sit aliqua analogia inter pœnas quibus Episcopus, presbyter et diaconus subduntur. Non designatur subdiaconus, forte quia tunc temporis subdiaconatus non numerabatur inter sacros ordines. « Minoristæ, « ait Ferraris, in eo capite non comprehenduntur : essent « tamen arbitrio judicis plectendi, et ideo laudantur illi « Ordinarii qui, sub determinatis et arbitrariis pœnis, in- « terdicunt omnibus suis clericis hujusmodi venationem « et delationem armorum. » v° *Clericus*, art. VI, n^{is} 31-36.

Quod si venatio clamorosa non sit frequens, nec aliunde cum scandalo, vel magnis impensis fiat, non videtur jure communi vetita sub gravi, juxta S. Liguori, lib. III, n° 606.

II. Dubium est an prædicta jura intelligi debeant, non quidem de venatione quæ fit laqueis et retibus, quam nemo vetitam putat, verum de venatione quæ fit fistulis igniariis, cum uno vel duobus canibus. Hæc venatio, qualis fit apud nos communiter, estne clamorosa vel quieta ad sensum canonum? (Cf. S. Liguori, loco citato, n° 606, et Bened. XIV, *de Synodo*, lib. XI, c. X, n° 8.) Existimamus illam venationem esse vetitam canonibus, quod deducimus : 1° ex decretis conciliorum quæ generatim interdicunt clericis gestatione armorum; 2° ex canonibus quos continet titulus juris XXIV DE CLERICO VENATORE, lib. V Decret.

Re quidem vera, multi canones modo absoluto vetant ne clerici arma gestent : v. g., cap. *Clerici*, 2, DE VITA ET HONESTATE CLERICORUM : *Clerici arma portantes excommunicentur*. Idem statuunt perplura statuta diœcesana. Porro, hæc decreta usum armorum, sine ulla restrictione, prohibent, uno tantummodo casu excepto, si nimirum clericus peregrinatur vel periculo exponitur. Quoad canones qui

venationem vetant, v. g., can. 15 concilii IV Later., *Venationem et aucupationem universis clericis interdicimus : unde nec canes nec aves ad aucupandum habere præsumant;* observare est venationem quæ olim fiebat cum accipitribus aut falconibus eamdem esse quæ hodie in usu est, mutata tantummodo specie armorum. Tandem canones non interdicunt solum venationem clamorosam qua majores feras insectabantur venatores, sed generatim venationem cum canibus.

Opinionem nostram confirmat auctoritas Bened. XIV, qui licet fateatur sententiam contrariam communiorem esse et magis inter doctores receptam, arbitratur tamen juri conformius esse ut venatio de qua agitur dicatur prohibita; « siquidem allati canones a venatione clericos ar-« cent, quæ non armis sed solis avibus venatoriis, ac « propterea sine ullo tumultu et strepitu exercetur, ut illos « legenti manifestum est. » Adjectis postea pluribus « statutis et auctoritatibus, concludit « non posse nimiæ « severitatis nota aspergi synodalem constitutionem able-« gantem clericos, præcipue majorum ordinum, aut eccle-« siasticum possidentes beneficium, a venationis exerci-« tio. » (N° 10, cap. x, lib XI.)

346. — II° *Quid vetitum sit clericis quoad tabernarum ingressum et choreas?*

I. Circa tabernarum ingressum, habetur decretum concilii Carthag. III quod in jus commune transiit : « Cle-« rici, edendi aut bibendi causa, tabernas non ingredian-« tur, nisi peregrinationis necessitate compulsi. » (Cap. IV, dist. XLIV. Ita cap. *Clerici*, 15, DE VITA ET HONEST. CLERIC.)

Notandum est : 1° non interdici ingressum tabernarum, nisi fiat edendi aut bibendi causa; 2° non interdici in casu itineris; ut quis vero peregrinans censeatur, necesse est ut aliqua distantia sit a suo domicilio semotus, scilicet, juxta plura statuta, duabus aut tribus leucis. 3° Communiter interdictio fit sub pœna suspensionis; quod

denotat legem sub gravi obligare, et attingere solos clericos sacris ordinibus initiatos, sicut communiter intelligitur.

II. Circa assistentiam choreis et spectaculis, conc. Laodicense statuit : « Non oportet ministros altaris vel « quoslibet clericos spectaculis, quæ vel in nuptiis aut « scenis exhibentur, interesse, sed antequam thymelici « ingrediantur, surgere eos de convivio et abire. » Cap. *Non oportet*, 37, dist. v, *de Consecratione*. Caput *Clerici* mox citatum idem vetat. « Clerici... mimis, joculatoribus « et histrionibus non intendant. » Statutum Ecclesiæ Parisiensis has leges commemorat, pœnisque canonicis sancit : « Nous défendons, sous peine de suspense, à tous « les ecclésiastiques de se trouver aux comédies, bals, « opéras, assemblées de jeu et autres spectacles pro- « fanes. »

347. — III° *Utrum et quonam sensu ludi interdicantur clericis?*

Textus juris *Clerici* statuit : « Clerici ad taxillos et aleas « non ludant, nec hujusmodi ludis intersint. »

Ludus triplex distinguitur : 1° mere aleatorius, qui a sorte solum pendet; 2° mere industrialis, qui fere unice pendet a ludentis industria, ut ludus latrunculorum, vel pilæ (échecs, paume, billard); 3° mixtus, qui æque tum a sorte, tum ab industria pendet.

Ludi aleatorii, pacto adjuncto pecuniam lucrandi, sunt clericis interdicti. Lex lata fuit a prima antiquitate, nam reperitur in canonibus apostolicis 41, 42, et in Institutionibus Justiniani, quas citat collator Andegavensis : « Epis- « copus aut presbyter aut diaconus qui vel aleæ, vel ebrie- « tatibus indulget, vel desinito vel deponitor. » 41 ex *Canon. apost.* Canon subsequens illud interdicit similiter clericis inferioribus.

Nota. 1° Lex, ob suam generalitatem, omnes clericos afficit; sed multis videtur ita consuetudine temperata, ut

cessaverit obligare clericos in minoribus ordinibus constitutos, quod satis probabile putamus [1].

2° Prohibitio est sub gravi, quod concludimus a gravitate pœnarum quas canones comminantur, et a motivo legis, quod fuit periculum avaritiæ, dissidiæ et scandali. Dici tamen potest, cum S. Liguori, peccatum non fore mortale, si raro ludatur et moderate quoad tempus et pecuniam expositam; si privatim, absque scandalo; lib. III, n° 899. Ita Ferraris, v° *Clericus*, art. v, n° 4. Imo nec peccat venialiter qui recreationis causa, sine pacto lucri, privatim cum amicis ludit, nisi leges locales severius prohibuerint.

Ludi mere industriales non sunt jure communi interdicti. Ludi mixti sunt liciti vel interdicti, ratione habita circumstantiarum. Seclusa lege diœcesana, clericus non peccat, modo : 1° tempus moderatum transigat in ludis ; 2° pecuniam non exponat nisi modicam, adeo ut non lucri intuitu sed recreationis id fiat; 3° tandem nihil agat alienum a decentia clericalis status. Ratio est quod jus commune statuerit solummodo contra aleatores; ludus autem mixtus dici non debet *alea,* cum partim ab industria pendeat.

Ludi chartarum multis decretis conciliorum provincialium, et diœcesanis statutis prohibentur; sed nulla est lex generalis contra hanc speciem ludorum, quæ non adhuc adinventa fuerat quando prodierunt leges canonicæ quas citavimus. Applicanda sunt principia generalia; quapropter, nisi quid præfinierint statuta localia, ludus chartarum reputabitur interdictus, aut licitus, vel toleratus, prout erit aleatorius aut mixtus, sensu mox explicato.

§ 6. — *De negotiis sæcularibus quæ sunt clericis interdicta.*

348. — Est titulus in libro III Decretalium cujus ipsa sola inscriptio : NE CLERICI, VEL MONACHI SE IMMISCEANT SÆCULARIBUS NEGOTIIS, satis indicat principium generale

1. Cf. S. Liguori, lib III, n° 895.

quo clerici regi debeant. Ex illo autem principio ad consectaria pratica deveniemus, exponendo quæ sint in specie negotia sæcularia clericis interdicta. Præcipuum locum obtinent professio advocati et medici, gestio rerum alienarum, et negotiatio.

349. — I° *Utrum et quatenus clericis interdicatur officium advocati, medici et chirurgi?*

I. Jus commune interdixit clericis, in sacris ordinibus constitutis, vel beneficio donatis, officio advocati in curia sæculari. Statutum concilii Lateranensis (an. 1178) fert : « Clerici in subdiaconatu et supra, et in ordinibus quoque « minoribus si stipendiis Ecclesiæ sustententur, coram « sæculari judice advocati in negotiis sæcularibus non « præsumant fieri, nisi propriam causam aut suæ Ecclesiæ « fuerint prosecuti, aut pro miserabilibus forte personis « quæ proprias causas suas administrare non possunt. » (Cap. *Clerici*, I, DE POSTULANDO.) Legem Lateranensem hactenus vigere tenent communiter canonistæ. Benedictus XIV testatur nullam dari licentiam monachis, nec canonicis regularibus, ad exercendum officium advocati, et clericos nihil præsumere debere ultra limites præfinitos in jure, nisi dispensationem obtinuerint. (*De Synodo*, lib. XIII, cap. x, n° 12.) Quando rescripta apostolica indulgent ut clerici valeant causas agere in tribunalibus sæcularibus, apponitur conditio ut dispensatione utantur solummodo usque dum certos redditus ecclesiasticos, vel beneficium residentiale fuerint assecuti.

Quo efficacius clerici impedirentur gerere officium advocati, et ne alienis studiis avocarentur a sacra theologia, Honorius III (an. 1225) extendi voluit ad omnes archidiaconos, decanos, præpositos, necnon ad presbyteros, interdictionem monachis factam leges civiles audiendi in scholis publicis. (Cap. *Super specula*, 10, NE CLERICI.) Legem in desuetudinem venisse arbitramur. Cæterum perutile est quibusdam clericis si privatim leges civiles discant ; tum

quia in multis causis tam arcta connexio intercedit inter jus civile et jus canonicum, ut qui apprime illud nosse cupit, alterius notionem sibi comparare debeat; tum quia sunt nonnulli casus in quibus clericis licitum est agere in tribunalibus, in sui suorumve propinquorum, vel Ecclesiæ defensionem, juxta canonem *Clerici* mox citatum; tum etiam, ut necessitate emergente, opportunum consilium fidelibus ad se confugientibus dare possint in negotiis quæ ad ductum conscientiæ referunt.

Clerici in ordinibus minoribus, et aliunde non beneficiati, lege communi non attinguntur. Possunt utique causas agere civiles, imo etiam criminales, in defensionem rei, in curia sæculari.

350. — II. Interdictum præterea fuit monachis et clericis exercitium medicinæ et chirurgiæ, de quo concilium Lateranense, sub Innocentio II habitum an. 1139 statuit : « Monachi et regulares canonici, neglecta cura animarum, « ordinis sui propositum non attendentes, pro detestanda « pecunia sanitatem pollicentes, humanorum se faciunt « corporum curatores; cumque impudicus oculus impudici « cordis sit nuntius, illa de quibus erubescit honestas, non « debet religio pertractare. Ut ergo ordo monasticus et « canonicus Deo placens, in sancto proposito inviolabiliter « conservetur, ne hoc ullatenus præsumatur, apostolica « auctoritate interdicimus [1]. »

Statutum ad clericos sæculares extensum fuisse vi consuetudinis testantur canonistæ [2]; quod et maxime consonum est principio generali ne clerici se immisceant sæcularibus negotiis. « Hæc disciplina protracta et ampliata « fuit, ait Benedictus XIV, ad clericos quoque minoribus « tantum ordinibus initiatos, sed ecclesiasticum benefi- « cium possidentes; hinc sequitur necessarium nunc esse

1. Labbe, *Collect, conc.*, tom X, col. 1004.
2. Bened. XIV, loc. cit., nº 5; Reiffenstuel, in tit. v, lib. III, nº 16; — Schmalzgrueber, ibid., nº 46; Ferraris, vº *Clericus*, art. III, nº 18.

« his omnibus indultum apostolicum ut medendi artem « valeant exercere. »

Quando conceditur indultum, tres apponi solent conditiones : 1ª ut id fiat ab penuriam medicorum; 2ª ut nihil a pauperibus, etiam sponte offerentibus, accipiatur; 3ª ut caveatur ab actibus chirurgicis qui irregularitatem inducunt, nempe ab amputatione membrorum, etc...

Hæc locum non habent in nostris regionibus, ubi non deficiunt medici ; et si casus necessitatis obveniat, lex generalis non urget, quemadmodum nec clerico interdicitur uti arte medica in gratiam suorum familiarium [1].

1. Quædam exscribere ex diario *Journal des fabriques* nobis opportunum visum est circa dispositiones legum civilium :

« 1° Nul ne peut embrasser la profession de médecin, de chirurgien ou d'officier de santé sans être examiné et reçu selon les formes prescrites par les lois.

« 2° Tout individu qui, sans avoir reçu de diplôme, exerce la médecine ou la chirurgie, sera poursuivi et condamné à une amende pécuniaire par les tribunaux correctionnels. L'amende peut être portée jusqu'à mille francs pour ceux qui prendraient le titre et exerceraient les fonctions de docteur, cinq cents francs pour ceux qui se qualifieraient d'officiers de santé et verraient des malades en cette qualité. Ceux qui exercent la médecine sans prendre aucun titre légal ne peuvent être punis que d'une amende de simple police. Pour constituer le délit d'exercice illégal de chirurgie, il n'est pas nécessaire qu'il y ait exercice habituel : une seule opération chirurgicale suffit.

« 3° Tout débit au poids médicinal de drogues, de préparations médicamenteuses, est sévèrement interdit (poids médicinal, c.-à-d. au poids et aux doses auxquels les remèdes doivent être employés pour les malades). Est également interdite à ceux qui ne sont pas reçus pharmaciens la vente des remèdes magistraux, c.-à-d. composés sur-le-champ, par opposition aux remèdes officinaux qui se trouvent tout composés dans les pharmacies. Un arrêt de la cour de Bordeaux, 1831, condamna une religieuse hospitalière pour avoir vendu au poids médicinal des drogues telles que du sirop de violette, etc.

« 4° Les ecclésiastiques, comme toutes autres personnes, peuvent aider de leurs conseils les malades qu'ils visitent, toutes les fois qu'il ne s'agira d'aucun accident qui puisse intéresser la santé publique, et pourvu qu'ils ne se permettent ni de signer des recettes ni de rédiger des consultations, et que leurs visites soient absolument gratuites. » (*Journal des fabriques*, tom. VIII, pag. 324-328, 342.)

351. — II° *Utrum et quatenus gestio rerum temporalium aliorum interdicta sit clericis?*

Eugenius Papa rescripsit Episcopo Lucanensi : « Sa-« cerdotibus et clericis tuis denunties publice, ne lai-« corum ministri fiant, nec in rebus eorum procuratores « existant. » Et Alexander III in concilio Lateranensi : « Nec procurationes villarum, aut jurisdictiones etiam sæ-« culares sub aliquibus principibus et sæcularibus viris, « ut justitiarius illorum fiat, clericorum quisquam exercere « præsumat. Si quis autem adversus hæc venire tentave-« rit, quia contra doctrinam Apostoli dicentis : *Nemo mili-« tans Deo implicat se negotiis,* sæculariter agit, ab eccle-« siastico fiat ministerio alienus; pro eo quod, officio cle-« ricali neglecto, fluctibus sæculi, ut potestatibus placeat, « se immergit. » (Cap. *Sacerdotibus*, 2; *Sed nec*, 4, NE CLERICI...) Insuper insertum est in libro Decretalium statutum concilii Carthaginensis quo a sacris ordinibus removentur procuratores, actores, executores, seu curatores pupillorum, qui onus non deposuerint, nec ratiocinia reddiderint. (Cap. *Magnus*, DE OBLIGATIS AD RATIOCINIA... lib. I Decret.)

Lex concilii Carthag. inserta in Corpore juris non vetat quin clericus suscipiat tutelam parentis, aut curam pauperum.

Quod ad majora officia in legationibus et publico regimine spectat, Principes catholici sæpissime usi sunt ministerio clericorum quos ad hæc publica negotia idoneos reputabant, nec existimaverunt quidquam in eo committere contra sanctos canones et mentem Ecclesiæ. Nec etiam contrarium disciplinæ canonicæ arbitramur si clerici comitiis municipiorum aut provinciæ interfuerint, modo non assumant gestionem rerum temporalium, nec cæteroquin desint officiis propriis sui status. Ratio temporum quandoque suadebit abstinere a curis publicis, et primorum pastorum erit regulas quas expedire judicaverint præscribere; extra vero casus particulares, et seclusa spe-

ciali prohibitione, nihil a parte canonum obstat quominus viri ecclesiastici sedem habeant in comitiis politicis, ubi sua prudentia atque consiliis possunt plurimum ad bonum Ecclesiæ ac populi conferre.

352. — III° *Quæ sit negotiatio clericis interdicta* [1] ?

Negotiatio generatim dicitur omnis operatio qua quis intuitu lucri se intermedium constituit inter cives in ordine ad commutationem mercium, operarum, pecuniarum [2], etc.

Ex variis modis quibus fit negotiatio tres præcipuos indicare sufficiat ad quos alii facile reducuntur. Nimirum : vel merces emuntur ut deinceps vendantur carius, sub eadem forma, quod gallice vocatur *trafic, vente en gros ou en détail;* vel emuntur ut, mutata forma in aliam per fabricationem, vendantur cum lucro; vel fit cambium, aut alia operatio cum pecuniis, seu quævis permutatio jurium incorporeorum, ad lucrandum. His positis, quid de singulis negotiationibus relative ad clericos jus canonicum statuerit, dicendum est.

353. — I. Negotiatio primæ speciei clericis interdicta est, nisi urgeat gravis necessitas.

Alexander III statuit : « Secundum instituta prædecessorum nostrorum sub interminatione anathematis prohibemus ne clerici vel monachi causa lucri negotientur. » (Cap. *Secundum*, 6, NE CLERICI...) Similia leguntur in pluribus decretis conciliorum et constitutionibus pontificiis præsertim Urbani VIII, Clementis IX, Benedicti XIV et Clementis XIII, qui Const. *Cum primum*, die 17 sept 1759, omnes

1. Distinctio LXXXVIII; tit. I, lib. V Decret. DE VITA et HONESTATE CLERICORUM; Constitutio Clementis XIII *Cum primum*, 17 sept. 1759, et Benedicti XIV *Apostolicæ servitutis; — Theologia moralis* P. Antoine, ed. Avenionensi, tom. IV. *Dissert.* editoris.

2. Definitur a jurisperitis : « L'ensemble des négociations qui ont « pour objet d'opérer ou de faciliter l'échange des produits de la « nature ou de l'industrie, à l'effet d'en tirer quelque profit. » (Pardessus, *Cours de droit commercial*, tom. I, n° 4.

leges a suis prædecessoribus editas adversus clericos negotiatores et se negotiis sæcularibus immiscentes, confirmavit et innovavit.

Clemens IX præsertim intendit Const. *Sollicitudo pastoralis* die 17 jan. 1669, personas ecclesiasticas tam sæculares quam regulares, quæ a Sancta Sede, aut ab illarum superioribus ad insulas, provincias, regna Indiarum orientalium, et in partes Americæ tam australes quam septentrionales, mittuntur sub nomine missionariorum, aut quolibet alio titulo. Ipsis inter dixit sub pœna excommunicationis latæ sententiæ et privationis vocis activæ et passivæ, ne mercaturis et negotiationibus secularibus, quovis prætextu, *etiam semel*, se ingerant vel immisceant. Præcipit insuper ut merces et lucra quæcumque quæ ex hujusmodi mercaturis provenerint in usus pauperum, hospitalium, congregationum, applicentur, non tamen in commodum Institutorum eorum qui in præmissis deliquerint. Tandem statuit neminem ex delinquentibus absolvi posse, præterquam in articulo mortis, nisi lucris hujusmodi prius restitutis. — S. Congregatio Inquisitionis decrevit, annuente S. Pontifice, Constitutiones Urbani VIII et Clementis IX adhuc vigere post Constitutionem *Apostolicæ Sedis* a Pio IX editam. Excommunicatio inflicta missionariis de quibus agitur, est simpliciter reservata S. Pontifici, eo tamen sensu quod si reus conditioni satisfecerit restituendi lucra, a quovis confessario absolvi possit [1].

Ratio interdictionis commercii fuit necessitas avertendi clericos a sollicitudinibus rerum temporalium, quæ cum officiis sui status minime conciliantur; simul et præcavendi ne inquinentur vitiis, immoderata scilicet lucrandi cupiditate, avaritia et fraudibus, quibus negotiatio exponit.

Nota 1° Prohibitio est sub gravi; quod concludimus ex

1. Cf. *Acta Sanctæ Sedis*, vol. VII, p. 317 et seq. — *Collectanea decretorum... S. Sedis ad usum operariorum Societatis Missionum ad exteros*, pag. 82-95, n[is] 139-154.

cap. *Secundum*, in quo Alexander III comminatur pœnam excommunicationis clericis negotiatoribus. S. Liguori affirmat cum pluribus theologis non peccare graviter clericum qui una aut altera vice negotiatur, citra scandalum, quia jura statuerunt contra clericos negotiatores; actus autem pauci non sufficiunt ut quis reputetur negotiationem exercere [1].

2° Excepimus a generali prohibitione casum gravis necessitatis, ut si clericus negotietur ad suam, suorumve parentum sustentationem, sed in hoc casu recurrere debet ad artificiolum, seu ad laborem manualem potius quam ad mercaturam. Clemens XIII præscripsit ut, necessitate urgente, clericus adeat Episcopum a quo dispensationem poterit obtinere, modo : 1° nullum aliud medium suppetat levandi indigentiam; 2° suscipiat genus commercii quod minus dedecet statum clericalem; 3° facultas negotiandi detur ad tempus, donec causa cessaverit.

3° Posuimus in nostra assertione clericum negotiari *causa lucri*. Si quis ad fidelium sui oppidi utilitatem, objecta quædam, puta : cruces, numismata, coronas precatorias, libros, emerit ut eodem fere pretio revendat, non argui debet commercii vetiti. Magis tamen expedit hæc viro laico committi; quia satis periculosum est ne, sub velo utilitatis fidelium procurandæ, latitet cupido lucrum quoddam obtinendi, neve clericus in suspicionem veniat.

Toleranda igitur non videtur agendi ratio clerici qui verum negotium exercet, sub prætextu quod lucra inde reportata non intendat sibi retinere ad augendam rem familiarem, sed impendere in favorem pauperum aut Ecclesiæ; nisi id faciat de assensu legitimi superioris qui potest legem moderari, et providere ne irrepant abusus. Clericus

1. S. Liguori. lib. III, n° 831. Id admitti potest si quæstio consideretur ad normam juris communis ; quod vero ad missionariòs attinet, Clemens IX graviter prohibuit, in Const. mox citata, ne *vel semel* se ingerant in mercaturis, seu negotiationibus.

ille vere negotiatur; percipit enim e suo commercio lucrum, de quo pro arbitrio disponere valet. Hæc sibi acquirit, et illæso jure cujusquam retinere in suum usum potest; esto quod animo habeat non ditescere, sed pauperibus subvenire, ecclesiam suam instaurare, aliudve opus pium prosequatur. Insuper sunt alia motiva legis : præter periculum cupiditatis, Ecclesia voluit clericos avocare a sollicitudinibus rerum sæcularium; porro qui negotiatur, licet in gratiam pauperum seu ad alium finem pietatis, implicatur sollicitudinibus, et multis periculis in detrimentum sui ordinis se exponit. Tandem voluntas lucra non sibi retinendi est aliquid occultum de quo non constat in foro Ecclesiæ, et sub cujus obtentu non semel latet cupiditas; ergo interveniat necesse est auctoritas superioris qui super lege dispenset, ac simul media opportuna præscribat ad removenda pericula negotiationis.

354. — II. Negotiatio secundæ speciei est aliquando licita, aliquando autem illicita, ratione diversi modi quo exercetur. Scilicet:

1° Non interdicitur clericis negotiatio cujus lucrum ab illorum labore et personali industria præcipue procedit : v. g., si ex marmore, vel lana, statuam aut tabellam arte sua conficiant; si hortulum locent quem suis manibus excolant ut fructus vendant... Id non reputatur in communi existimatione negotiatio a canonibus vetita. Confer textum S. Hieronymi, *Nunquam*, *de Consecratione*, dist. v, cap. XXXIII.

2° Non interdicitur clericis vendere res quæ sunt fructus sui fundi; titulo patrimoniali, aut beneficiali illum teneant, nihil refert. Ita omnes. Hinc licet clerico excolere agros sui patrimonii, fructus vendere, animalia emere saginanda ex pascuis sui fundi, vinum ex suis uvis, oleum ex suis olivis confici ac vendi curare, et alia his similia. Qui suum patrimonium excolit atque fructus vendit, non censetur negotiator.

3° Interdicitur negotiatio qua res emptæ, aut comparatæ

non ex proprio fundo, immutantur labore mercenarii conductitii, ut in alia forma vendantur lucri causa.

Probatur 1° *auctoritate doctorum* qui, etsi fateantur hujusmodi negotiationem non eam esse quam canones nominatim prohibuerunt, consentiunt nihilosecius illam includi in generali interdictione. « Negotiatio, ait Pirhing, « etiam improprie dicta, quando aliquid emitur ut mutatum postea vendatur, prohibita censeri debet clericis et « religiosis, tanquam minus decens eorum statui. Veluti « si clericus uvas emat ut vinum ex eis per famulos ad id « conductos exprimat et postea vendat... Tales enim negotiationes proxime accedunt ad negotiationes proprie « dictas seu mercaturas, ideoque per epikeiam quamdem « censendæ sunt etiam prohibitæ. » (In tit. NE CLERICI, n° 4.) Eodem prorsus modo alii ratiocinantur [1].

Probatur 2° *ex sacris canonibus*. Attendere potissimum debemus ad voluntatem legislatoris, juxta regulam juris quæ dicit *in legem peccare, qui verba legis complexus contra legis nititur voluntatem* (n° 38, p. 63) : atqui merito conjicitur voluntatem legislatoris esse ut prohibitio secundæ speciei negotiationis censeatur includi in lege generali; siquidem juxta communem existimationem est verum commercium, et clericos implicat iisdem sollicitudinibus, iisdemque periculis exponit ac venditio rerum immutatarum.

Prob. 3° *ex declarationibus S. Congregationis* quæ censuit non licere clericis oves, boves, aliaque ejusmodi animalia emere, eaque locationis aut societatis titulo conductori aut socio tradere ad percipiendum lucrum ex hujusmodi locatione sive societate. Eadem congregatio alias respondit licitum fore clericis, postquam in suis molendinis suum triticum, oleumve moluerint, alienum triticum et alienas olivas certa mercede constituta molere posse, modo ad hanc causam non se substrahant ab iis in quibus ex of-

1. Cf. Schmalzgrueber, n° 18; — Editor Theologiæ moralis P. Antoine, 20, 21.

ficio clericali incumbere debent, et dummodo non ad lucrum, sed ad necessaria vitæ pro se et sua familia, id faciant [1].

Hæc omnia in eumdem finem conspirant. Negotiatio secundæ speciei non ita absolute interdicitur clericis, quam negotiatio de qua priori loco diximus : tunc solum prohibita censetur, ad mentem canonum, quando vel fit eo modo qui dedeceat dignitatem clerici, eumve a suis officiis retrahat, vel fit intuitu lucri, ad divitias comparandas, non solummodo ad habenda necessaria vitæ. A primis sæculis SS. Patres legitimum reputaverunt clericos *artificiolum*, ut aiebant, habere quo opificio manuum suarum, vel etiam per operarium conductitium, lucrum moderatum ad sui sustentationem obtinerent.

Hinc concludas illicitum esse clericis et regularibus artem aromaticam exercere ut exteris vendant sive medicamenta composita, sive liquores, aliave id genus; quod etiam de arte libraria dicendum si hæc operentur ad lucrum. SS. Pontifices haud semel prohibuerunt ne religiosi quorumcumque ordinum et congregationum in urbe Roma ejusque districtu degentes, ullo modo sæcularibus, aut aliis religiosis et ecclesiasticis, pharmaca, seu medicamenta venderent, ut constat ex Brevi Benedicti XIV *Essendo Noi* 14 nov. 1740. Quod autem regularibus in Urbe degentibus constitutum fuerat, ex parte ad favorem Aromatoriorum de vibe, id ratio deducta ex sacris canonibus suadet ad omnes alios, ubivis locorum morentur, extendendum Si proinde sint regulares aut clerici, qui causa lucri, etiam in gratiam suæ communitatis, id sibi permittant, præsumendum est illos dispensationem super lege communi obtinuisse [2].

1. Ferraris, v° *Clericus*, art. III, n[is] 17-52.

2. Schmalzgrueber in tit. NE CLERICI VEL MONACHI, n[is] 21 et 25, quæstionem pro suo more solide tractat. Docet regulares non agere negotiationem sacris canonibus vetitam, si non ad lucrum, sed ad suis necessitatibus providendum. pharmaca sibi componant, et par-

355. — Negotiatio tertiæ speciei, seu quæ fit vel per cambium, vel per permutationes jurium incorporeorum, est clericis interdicta.

Quod ad cambium proprie dictum spectat, Clemens XIII ita definivit in Const. *Cum primum* : « Declaramus ac « definimus cambium activum natura sua esse actum « veræ negotiationis, ideoque omnibus ecclesiasticis veti- « tum censeri debere, tam proprio nomine quam per in- « terpositam personam, illud contrahere. »

Lex omne cambium attingit : cambium *manuale* quo scilicet permutatur, lucri causa, pecunia cum alia pecunia præsente, aurum, v. g. cum argento, moneta unius regionis cum moneta alterius : et cambium *locale* quo pecunia præsens permutatur cum pecunia in alio loco recipienda, aut vicissim. Qui cambium manuale exercent, dicuntur Gallice *changeurs ;* qui locale, *banquiers ;* utrique sunt negotiatores.

De diversis operationibus quæ fiunt in commercio ad permutationem et venditionem jurium incorporeorum, censuum, actionum et obligationum in societatibus commercialibus, idem pronuntiandum est ac de cambio. Clerici possunt, non secus ac laici, acquirere census, credita et *obligationes* societatum ; possunt eodem jure hæc vendere, cum sibi opportunum fuerit, quin censeantur commercium agere, sicut possunt emere et vendere bona mobilia. Si vero hæc in eum finem emant ut revendant majori pretio, ut fit in commercio chirographorum, et in negotatione censuum, transgrediuntur leges canonicas ; id enim in communi existimatione reputatur commercium : « L'achat des rentes sur l'État ou autres effets publics, « lorsqu'il a été fait en vue de spéculer par la revente, est « rangé parmi les actes de commerce, ait jurisperitus ma-

tem residuam exteris vendant. Id certum admittimus ; sed ne metas excedant, securius ipsis erit recurrere ad Sanctam Sedem, vel ad Episcopum.

« gnæ auctoritatis. Telle est la jurisprudence de la Cour « de cassation. » (Pardessus, *Cours de droit commercial*, tom. I, n° 10.)

356. — IV° *Utrum liceat clericis negotiari per interpositam personam?*

Constitutiones Benedicti XIV et Clementis XIII omne dubium sustulerunt, definiendo clericos vane et temerario putare quod effugiant peccatum coram Deo, et violationem canonum, dum per interpositam personam negotiantur. Ita statuit Benedictus XIV. « Omnes Constitutiones prædecessorum nostrorum contra clericos illicitos negotiatores... confirmamus... et ad clericos illicite sub alieno laici nomine quomodo libet negotiantes, proinde ac si per se ipsos ac proprio illorum nomine negotia ipsa illicite exercerent... perpetuo extendimus. »

Non licet proinde clericis negotiari per alium, etiamsi laicus interpositus suo proprio nomine operetur, si reipsa sit simplex mandatarius clerici; esset enim negotiatio palliata.

Nec etiam licet societatem commercialem cum laicis inire. Si quis autem pecuniam apud mercatorem collocet, fructum fixum vel indeterminatum pro vario exitu commercii recepturus, non reputatur negotiari, modo tamen abstineat ab omni gestione rerum in commercio positarum.

Dubium est circa emptionem *actionum* societatum commercialium. Actiones non sunt confundendæ cum *obligationibus*, de quibus supra. « L'action, *ait* Pardessus, est une « portion indivise dans la propriété de tout ce qui com- « pose le fonds social... Une action n'est pas la même « chose qu'une créance contre la Société. » (*Droit commercial*, t. IV, p. 92, 93.) Qui *actiones* emit, fit coproprietarius fundi socialis, particeps lucri et damni societatis, juxta regulas societatis, initasque conventiones. « L'associé com- « manditaire n'est passible des pertes que jusqu'à concur-

« rence des fonds qu'il a mis ou dû mettre dans la so-« ciété. » (*Code de Commerce*, art. 26.)

Ad solutionem igitur dubii propositi, attendere necesse est ad naturam societatis, ad illius scilicet objectum. Vel enim est societas vere et proprie commercialis, ad sensum canonum, inita pro emptione et venditione rerum, causa lucri percipiendi; vel non est proprio sensu commercialis, sed præcipue industrialis, qualis foret, v. g., societas quæ possidet gymnasium, agros, domus, auri fodinas, resque suas gerit per administros.

In priori casu illicitum videtur clericis emere, aut detinere *actiones*, quia licet non se directe immisceant gestioni societatis, habent nihilominus in ea partem: sunt coproprietarii fundi socialis, et negotiantur per interpositas personas, quod prohibuerunt SS. Pontifices, *quomodolibet* id fiat. In posteriori casu non videtur illicitum clericis emere *actiones*; sicuti clericus posset solus possidere, titulo dominii patrimonialis, agros, fodinas, gymnasium, et hæc retinere; ita pari ratione posset easdem res per partem actionum habere, cæteris consociatus, dummodo nihil operetur quod suum statum clericalem dedeceat, nihil quod sibi legibus canonicis fuerit interdictum. Societates viarum ferratarum possunt æquiparari aliis hujus secundæ speciei societatibus; unde probabile existimamus clericos non peccare contra legem canonicam, qui actiones emunt, licet censeamus satius ipsis fore si abstineant ut efficacius removeatur mentis anxietas et periculum cupidinis, ob incertos exitus lucri et damni [1].

1. Cf. dissertationem in collectione *Revue des sciences ecclésiastiques*, an. 1866, mense maii, insertam, de quæstione proposita : *Est-il permis aux ecclésiastiques et aux communautés religieuses d'acquérir ou de garder des actions dans les sociétés commerciales ou industrielles?*

Anno 1857, S. Congregatio Inquisit. ad dubium propositum, utrum licitum sit ecclesiasticis personis titulos super vias ferreas emere et lucrum ex ipsis proveniens accipere, respondit : « S. S.

Qui jure hæreditario obtinent institutum commerciale, tenentur, quamprimum moraliter possunt, illud alteri tradere et interea per mandatarium gerere res commercii, et licentiam ad hoc postulare a S. Congregatione si intra Italiam morentur; ab Ordinario loci, si versentur extra Italiam, quemadmodum præscripsit Benedictus XIV in Const. *Apostolicæ servitutis*, § 2.

ARTICULUS IV. — DE JURIBUS, DE PRIVILEGIIS ET IMMUNITATIBUS CLERICORUM [1].

357. — I° *Quæ sint jura clericorum in ordine ecclesiastico?*

1° Clerici jus habent gestandi vestem sui ordinis propriam, quo jure privari non possunt nisi per sententiam Episcopi in pœnam delicti.

2° Idonei sunt assequendis officiis spiritualibus et beneficiis et exercitio jurisdictionis sibi demandatæ, quod laicis non conceditur.

3° Partem sublimiorem tenent in Ecclesia dum sacris officiis publicis, processionibus, etc., assistunt, et laicos, cujuscumque dignitatis prærogativa donatos, præcedunt. Inter ipsos autem servatur regula præcedentiæ jure communi, aut locorum consuetudinibus, statuta. Regula generalis est ut præcedentia determinetur ratione dignitatis,

« concedit facultates R. R. Episcopis communicandas per organum « S. C. E. E., permittendi ecclesiasticis ut accipiant actiones *delle* « *strade ferrate*, de propria pecunia tantum. » Agebatur de viis ferratis Status Pontificii; occurrebant fortassis circumstantiæ peculiares quæ dubium Episcopis ingerebant, an expediret ecclesiasticos partem assumere in hac nova societate. — Vecchiotti, lib. II, cap. XIII, § 136.

1. Tit. DE FORO COMPETENTI, lib. II Decret.; — DE IMMUNITATE ECCLESIARUM, lib. III. — Cf. Suarez, *Defensio fidei*, lib. IV, *de Immunitatibus Eccl.*; — Bellarminum, *de Clericis*, cap. XXVIII-XXX; — Muzzarelli, *des Immunités*; — Gosselin, *Pouvoir du Pape au moyen âge. Introduction.*

officii, beneficii et ordinis : utque, cæteris paribus, inter æquales attendatur promotio ad dignitatem, canonicatum, rectoriam, beneficium, ordinem sacrum. Juxta decisiones S. Congregationis rituum, beneficium etiam simplex confert jus præcedentiæ in presbyteros ordinatione antiquiores; inter simplices sacerdotes hi præcedunt qui prius ordinati sunt, nulla habita ratione prioritatis in ordine diaconali, vel subdiaconali. Coadjutor, seu vicarius Parochi non habet jus præcedendi præterquam in functionibus in quibus supplet vices Parochi. Doctoratus nullam præcedentiam confert in processionibus, congregationibus, et sacris functionibus peragendis; quapropter sacerdotes doctores præcedere non debent cæteris sacerdotibus, in sacerdotio antiquioribus, non graduatis. (22 jan. 1678; 13 aug. 1701; 12 sept. 1705.)

Hinc sequitur inter presbyteros alicui ecclesiæ adscriptos, rationem non haberi prioritatis in adscriptione, sed prioritatis in ordinatione, si neuter ex illis habeat aliquod beneficium, seu alium titulum perpetuum, quod etiam ita responsum fuit a S. Cong. die 23 nov. 1675. Est ordo communiter servatus; verum « difficile est, in hac materia « præcedentiæ, certam regulam definire, ait Benedic« tus XIV; cum potissimum inhærendum sit consuetudini, « quæ pro locorum diversitate diversa est. » (*De Synodo*, lib. III. cap. x, n° 9.) Catalani citat doctores quibus et ipse assentitur, qui eodem sensu tenent « esse regulam gene« ralem in hac præcedentiæ, seu præeminentiarum ma« teria, ut totum faciat consuetudo et possessio, etiamsi « juris dispositioni adversetur. » (*Commentarium in Cæremoniale Episcoporum*, lib. II, cap. XXXIII, § 5.)

358. — II° *Quæ fuerint olim privilegia et immunitates clericorum in ordine civili*[1]?

I. Clerici fuerunt olim exempti in ordine civili ab one-

1. Cf. *Pouvoir du Pape au moyen âge*, Introduction, p. 142, n[os] 88-92.

ribus personalibus status civilis, v. g., a militia et officiis municipiorum, et gaudebant *privilegio fori;* id est, non poterant conveniri a judicibus laicis, sed judici ecclesiastico solummodo subdebantur, nisi forsan ipsi contra laicos agerent in causa mere sæculari, quo in casu applicabatur axioma *Actor sequitur forum rei.*

II. Clericis data fuit insuper exemptio realis ab omnibus oneribus, tributis, vectigalibus a laica potestate impositis; quapropter ipsa bona patrimonialia clericorum immunia censebantur a tributis. (Cap. *Clericis laicos*, 3, DE IMMUNIT. ECCLES., in VI°; Cap. *Quanquam*, 4, DE CENSIBUS, in VI°. Const. Urbani VIII *Romanus Pontifex*, §§ 6, 7, an. 1641 [1].) Rationem hujus immunitatis deduxerunt canonistæ ab exemptione personali clericorum; ex eo enim quod exempti censebantur a jurisdictione sæcularis potestatis, consequens esse dicebant, ut non tenerentur tributa præstare ex suis bonis.

Exceperunt tamen: 1° onera imposita rei datæ in feudum; 2° onera bonis etiam non feudalibus imposita in prima fundatione; 3° onera quæ annexa erant bonis antequam hæc bona ad viros ecclesiasticos devenirent. Ratio in aperto est: in uno casu res donatur sub conditione justa; in altero bona erant jam onere gravata; ergo, cum pactis standum sit, cum alias nemo valeat plus juris in alium transferre quam ipse habet, sequitur clericos obligatos esse ad subeunda hæc onera.

359. — III° *Quæ fuerint origo et fundamentum immunitatis clericorum?*

Non parvi refert indagare originem immunitatum status clericalis, ut vindicetur auctoritas Ecclesiæ in iis quæ ipsius juris sunt, ac simul explicentur causæ conflictuum qui sæpe inter utramque potestatem orti sunt.

1. Cf. Reiffenstuel, in tit. XLIX, lib. III, n° 242. — Schmalzgrueber, ibid., n° 22; — Devoti, lib. I, tit. I, § 8; — Suarez, *Defensio fidei; de immunit.*

Omnes doctores catholici consentiunt clericos eximi jure divino e jurisdictione sæculari, in iis quæ sunt ordinis spiritualis et sacri ministerii; at ubi de immunitate in ordine rerum temporalium quæstio venit, non una est omnium sententia. Alii immunitates clericorum e jure divino repetunt; alii e jure canonico, scilicet ab auctoritate Ecclesiæ; alii a concessionibus principum sæcularium.

360. — I[a] Opinio, quæ immunitates status clericalis repetit e jure divino, fulcitur auctoritate Scripturarum, ipsa antiquitate immunitatum, declarationibus, tum conciliorum, tum SS. Pontificum, et ratione theologica.

1° *Auctoritate scripturarum.* Christus dixit ad Petrum : « Reges terræ a quibus accipiunt tributum vel censum? a « filiis suis, an ab alienis? Et ille dixit : Ab alienis. Dixit « illi Jesus ; Ergo liberi sunt filii. Ut autem non scandali« zemus eos, vade ad mare, et mitte hamum; et eum pis« cem qui primus ascenderit, tolle et, aperto ore ejus, in« venies staterem; illum sumens da eis pro me, et te. » (S. Math., cap. XVII, 24-26.) Exinde plures deducunt clerum, in persona Petri repræsentatum, liberum esse ab obligatione solvendi tributa.

2° *Antiquitate immunitatum.* Quando traditio est constans et perpetua, ait Suarez, ostendere solet jus divinum, præsertim quando non apparet ratio illam tribuendi institutioni apostolicæ. Talis autem videtur traditio exemptionis clericorum; est tam antiqua ut nullum illius agnoscatur initium; nam pro temporum opportunitate semper servata est, præcipue vero temporibus imperatorum conversionem ad fidem christianam secutis. Sub imperatoribus paganis non potuit quidem exsecutioni mandari respectu magistratuum infidelium qui Ecclesiæ non parebant; jus autem Ecclesiæ non defuit, cujus signum est quod prælati ecclesiastici hoc jus observare fecerunt inter ipsos fideles, quantum fieri poterat. (*Defensio fidei*, lib. IV, cap. VIII.)

3° *Declarationibus SS. Pontificum et Conciliorum.* Boni-

facius VIII dixit : « Ecclesiæ, ecclesiasticæque personæ, ac « res ipsarum, non solum jure humano, *quinimo divino*, a « sæcularium personarum exactionibus sunt immunes. » (Cap. *Quanquam*, 4, DE CENSIBUS.) Leo X promulgavit in concilio Lateranensi Const. *Supremæ dispensationis*, in qua legitur : « Cum a jure *tam divino* quam humano laicis « nulla potestas in ecclesiasticas personas attributa sit, « innovamus omnes constitutiones... in favorem libertatis « ecclesiasticæ. » Tandem, ut cætera omittamus, concilium Tridentinum his verbis hortatur principes : « Confi- « dens eos ut catholicos, quos Deus sanctæ fidei Ecclesiæ- « que protectores esse voluit, jus suum Ecclesiæ restitui « non tantum esse concessuros... nec permissuros ut offi- « ciales, aut inferiores magistratus, Ecclesiæ et personarum « ecclesiaticarum immunitatem *Dei ordinatione* et canonicis « sanctionibus constitutam... violent. » (Sess. XXV, cap. XX.)

4° *Ratione theologica.* Episcopi per Spiritum Sanctum constituti sunt rectores Ecclesiarum, ac rerum et personarum ad eas pertinentium judices; atqui, inquiunt, maxime repugnat quominus qui divina ordinatione constituuntur judices fidelium, ab iisdem judicentur, pastores ab ovibus. Non minor aderit inordinatio ac rerum confusio, si duplex potestas diversi ordinis, mundana et spiritualis, concurrat in idem objectum, de iisdem personis et rebus judicet... Ergo dicendum est immunitatem clericorum jure divino inniti. Ita Suarez, Barbosa, Fagnan, Engel, Reiffenstuel, qui hanc sententiam multis argumentis propugnat, in tit. *de Foro competenti*, § 9.

361. — II^a^ opinio, quæ scilicet repetit immunitatem e jure canonico, duplici potissimum ratione fundatur, auctoritate canonum, et jure divinitus insito potestati ecclesiasticæ.

1° *Auctoritate canonum.* Multæ sunt canonicæ sanctiones quibus Ecclesia statuit atque communivit privilegia immunitatesque clericorum, inflicto anathemate in omnes etiam

reges et imperatores qui hujusmodi immunitatibus derogare, qui hæc jura perturbare præsumerent. Nonnullos textus mox proferebamus in explanatione primæ opinionis; alios plures reperies in Decretalibus, et in decreto Gratiani, dist. XCVI, et caus. XI, q. 1. Porro, si Ecclesia non potuisset jure sibi proprio statuere de immunitate clericorum a foro sæculari, hæc decreta non protulisset, nec in principes animadvertisset. Qua enim ratione tentasset pœnis plectere imperatores ob violatas immunitates, si ab iisdem principibus privilegium earumdem immunitatum obtinuisset?

2° *Ratione theologica.* Præterea, Ecclesia habet quidquid necessarium est ad tuendum honorem, dignitatem et libertatem ordinis clericalis, prout ratio temporum permiserit : atqui immunitates clericorum maxime conducunt ad dignitatem ordinis clericalis et libertatem sacri ministerii. Valde refert ad bonum regimen Ecclesiæ, ait Covarruvias, « quod ministri Ecclesiæ non se implicent negotiis « sæcularibus, cum non possent commode vacare ministe« rio divino, si trahi possint et conveniri apud judices « sæculares. Ergo utile quidem est, denique necessarium « ad liberius et rectius ministrandum Ecclesiis, quod cle« rici et eorum res sint a judicibus sæcularibus immunes. » (*Practicarum quæstionum*, cap. XXXI.) Hæc fusius evolvere minime necesse est; omnes siquidem norunt quantum detrimenti apud vulgares homines patiatur clerus, et exinde ipsamet religio, ex traductione clericorum ad tribunalia sæcularia.

3° Theologi secundæ opinioni addicti exinde concludunt Ecclesiam potuisse jure sibi proprio inducere disciplinam immunitatum; nec tamen volunt eamdem disciplinam dici jure divino constitutam, quia non arbitrantur peremptoria esse argumenta prioris sententiæ.

Ad textum S. Matthæi, respondent Christum, quatenus filium Dei naturalem, liberum fuisse ab onere solvendi

tributa, cum sit filius summi omnium regis; non eadem vero immunitate donari filios Dei adoptivos quales sunt, non solum clerici, sed et omnes christiani. Dici aliunde potest plures e SS. Patribus et ex modernis Scripturarum interpretibus textum S. Matthæi intelligere de tributo speciali quod solvebatur a Judæis in honorem Dei, et templo Hierosolymitano inserviebat; neutiquam vero de tributo civili solvendo imperatoribus; unde nihil ad quæstionem præsentem refert. (Cf. La Ste Bible. Evang. selon S. Mathieu... Commentaires par M. Fillion, chap. XVII).

Ad textus decretalium et conciliorum, quibus dicitur clericos *jure divino*, *ordinatione Dei*, exemptos esse a jurisdictione sæculari, respondent clericos eximi quidem jure divino in omnibus causis ordinis supernaturalis; quoad vero alias causas, maxime consonum fuisse ordini providentiali ut eximerentur, quo liberius vacent sacro ministerio, et major reverentia ipsis præstetur. Id procul dubio sufficit, inquiunt, ut dici potuerit exemptionem clericorum esse jure divino, seu divina ordinatione sancitam. « Frequenter dicitur, ait Covarruvias, aliquid jure « divino statutum ex eo quod a veteri lege divina aut alia « Veteris Testamenti auctoritate originem duxerit. Atque « ideo cum aliquot in locis Veteris Testamenti constet « sacerdotes ex principum privilegiis exemptos fuisse a « tributis, fit sane ut apud pontificias sanctiones scriptum « sit hanc exemptionem jure divino, aut lege divina induc- « tam fuisse, præsertim quia plerumque jus divinum dici- « tur quod in vetustissimis Ecclesiæ conciliis ad imaginem « et imitationem Veteris Testamenti fuerit statutum. » (Loco citato.) Ipse Bellarminus non aliter rem intellexisse videtur; cum enim asseruerit exemptionem clericorum in rebus politicis, tum quoad personas, tum quoad bona, introductam esse jure humano pariter et divino, hæc notat : « Observandum est nos per jus divinum non intelligere « præceptum Dei proprie dictum quod exstet expresse in

« sacris litteris; sed quod ab exemplis vel testimoniis Tes-
« tamenti Veteris, vel Novi, per quamdam similitudinem
« deduci possit, atque hinc fortasse conciliari poterunt
« theologorum et jurisperitorum sententiæ... » Item, quando refert easdem exemptiones ad jus naturale, animadvertit agi de præceptis juris naturalis, « quæ dedu-
« cuntur quidem ex principiis juris naturæ, sed per con-
« sequentiam non absolute necessariam, nec omnino
« evidentem, et ideo egent humana constitutione. » (Bellarminus, *de Clericis*, lib. I, cap. XXVIII et XXIX.)

Ad argumentum e ratione depromptum, reponunt nullatenus repugnare eamdem personam superiorem esse in uno ordine et in altero inferiorem; clericum scilicet subdi potestati sæculari quatenus civem, dum non alium judicem agnoscat præter Episcopum quatenus est clericus. Eadem ratione ipsi reges christiani obnoxii sunt jurisdictioni pastorum in causis supernaturalibus, et præcellunt in causis regiminis rerum temporalium. Hæc sunt consectaria distinctionis duplicis societatis. Si difficultates occurrant in praxi et conflictus exinde quandoque oriatur, id provenit ex humana infirmitate, nec est ratio sufficiens asserendi clericos eximi jure divino a potestate sæculari principis.

Ita Dom. Soto, Schmalzgrueber, Wiestner, Gonzalez et alii plures; adeo ut juxta Suarez *duæ opiniones contradictoriæ*, Iª scilicet et IIª, *sint valde communes apud catholicos* (Suarez, *Defensio fidei*, lib. IV, cap. VIII, n^is 1 et 9); et Gonzalez sic concludat : « Dicendum cum communi inter-
« pretum exemptionem hanc vere esse juris positivi; sed
« quia valde conformis est juri divino, juris etiam divini
« dici et lato modo ad jus divinum spectare potest. » (In tit. DE IMMUNITATE ECCLESIARUM, XLIX, cap. IV, nº 8.)

362. — IIIª opinio tenet immunitatem clericorum in rebus temporalibus ortum habuisse e concessionibus principum. Qui illam propugnant, probare enituntur ex prin-

cipiis veterum interpretum Scripturarum, ex origine historica immunitatum, et jure naturali.

1° *Principio generali veterum interpretum Scripturarum de auctoritate principis sæcularis.* Doctores priorum sæculorum qui commentati sunt verba S. Pauli : *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit*, aut qui disseruerunt de officiis christianorum erga magistratus, dixerunt omnes Christifideles, clericis minime exceptis, subesse auctoritati principis sæcularis in iis quæ ad ordinem temporalem referuntur, et obligari legibus civilibus. « Beatus Apostolus, ait S. Joannes Chrysostomus, ostendens hoc omnibus imperari sacerdotibus et monachis, non sæcularibus tantum, hoc ab exordio declarat dicens : *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit.* Etsi apostolus sit, etsi evangelista, aut propheta, etsi quivis alius ; neque enim hæc subjectio pietatem subvertit. » S. Gelasius, in Epistola ad Anastasium, dixit : « Quantum pertinet ad ordinem publicæ disciplinæ, cognoscentes imperium tibi superna dispositione collatum, legibus tuis ipsi quoque parent religionis Antistites [1]. »

2° *Origine historica immunitatum.* Primum documentum certum disciplinæ de immunitate reperitur in rescripto Constantini ad Anulinum proconsulem Africæ, an. 313, in quo nimirum imperator clericos eximit ab oneribus publicis, ne deducantur a suis officiis erga Deum, sed liberius se devoveant divino ministerio. Hanc legislationem paulisper deinde immutatam Justinianus redegit in suo Codice, ut eadem per omnes partes imperii servaretur. Clerici et Monachi coram judice ecclesiastico se sistebant in causis civilibus et coram judice sæculari in casu appellationis ; in causis vero criminalibus res ad tribunal ecclesiasticum vel

1. Labbe, tom. IV, col. 1182. Eadem reperiuntur in litteris Papæ Symmachi, ad Anast., *ibid.*, col. 1298. Vide Epistolam S. Gregorii Magni, lib. III, Ep. 65, alias 62. Item Ep. Gregorii II ad Leonem. Labbe, t. VII, col. 18 et 26.

ad sæculare deferebatur, pro arbitrio actoris. Episcopi, in quacumque causa, ad solum tribunal ecclesiasticum venire compellebantur, quod fuit ea ætate privilegium ipsis peculiare. Subsequentibus sæculis magis adhuc extensæ fuerunt immunitates apud plerasque gentes catholicas ; ac tandem res eo devenerunt ut quivis clericus omnino subduceretur judici sæculari, exceptis quibusdam causis fori mixti, et causis feudalibus [1]. Hæc initia, vicissitudines et progressus privilegiorum ordinis clericalis probant, juxta patronos tertiæ opinionis, immunitates clericorum, nec e jure divino, nec e jure canonico, sed e jure civili ortas esse.

3° *Ratione, seu jure naturali.* Omnes ejusdem reipublicæ cives, seu incolæ regionis, quatenus sunt membra communitatis civilis, jure naturæ subduntur auctoritati publicæ, et Christus ab ea lege generali non excepit clerum nisi in his quæ sunt ordinis supernaturalis : atqui Ecclesia non potest dissolvere vinculum istud subjectionis cum detrimento jurium Principum in temporalibus. « Jus positi- « vum, ait Medina, non dissolvit obligationem naturalem « aut divinam quæ præerat, sicut nec lex evangelica de- « bita prius contracta tollit, sive sit debitum carnis, sive « debitum pecuniarum, sive alterius obedientiæ... Ac « proinde nec debitum subjectionis et obedientiæ, quam « quis alteri certa lege speciali debet, tollitur eo ipso quod « quis ordinem clericalem accipit, nisi majorum auctori- « tate interveniente... Videtur igitur, in quæstione præsenti, « imperatorum concessionem potius quam legis divinæ « institutionem locum habere, etiamsi rationi consenta- « neum sit clericos in sortem Dei electos ab omni tributo « laicis solvendo, simul et a potestate sæculari exemptos « esse debere. » (Medina, *de Restitutione*, quæst. xv.)

1. Thomassin, tom. III, lib. I, *de Immunitatibus personarum et terrarum Ecclesiæ*, cap xxxiii-xlviii. — Codex Theodosii, lib. XVI. — *Novellæ* 37, 43, 83, 86, 123, 131. — Codex Justiniani, lib. I, tit. iv, *de Episcopali Audientia*. — *Pouvoir du pape au moyen âge*, pag. 171.

Hæc tertia opinio patronos habuit plures doctores veteris scholæ Parisiensis et nonnullos aliarum gentium : accepta est præsertim viris politicis quorum placita retulimus in prima parte *Prælectionum*, n° 61, pag. 99. Sed opponitur doctrinæ communissimæ theologorum et admitti non potest, nisi cum restrictionibus necessariis quibus integra maneat auctoritas Ecclesiæ. Pius IX recensuit inter errores Fr. de Paula Vigil, cujus librum proscripsit Litteris Apostolicis, an. 1851, quod asseruerit *Ecclesiæ et personarum ecclesiasticarum immunitatem* Dei ordinatione et canonicis sanctionibus constitutam, *a jure civili ortum habuisse*. Idem Pontifex condemnavit in Allocutionibus consistorialibus assertum et praxim virorum politicorum qui prætendunt ecclesiasticum forum pro temporalibus clericorum causis, sive civilibus, sive criminalibus de medio tollendum esse, etiam inconsulta et reclamante Apostolica Sede. Citantur Allocutiones in *syllabo*, sub Pontificatu Pii IX exarato, nostræ ætatis errorum, n[is] 30, 31, 32.

363. — His expositis quid dicendum de origine et fundamento immunitatum, paucis concludemus.

1[um] Clerici non sunt exempti ab obligatione legum civilium quæ non repugnant sacris canonibus, vel officio clericali. Etenim, ait Bellarminus, « clerici, præterquam « quod sunt clerici, sunt etiam cives et partes quædam rei- « publicæ civilis. Igitur ut tales debent vivere civilibus « legibus... magna perturbatio et confusio in Ecclesia « oriretur, si clerici non servarent leges in commerciis civi- « libus et humanis.» Huc veniunt argumenta tertiæ opinionis ex interpretibus scripturarum et ex jure naturali deducta. « De hac re, ait Vecchiotti, non potest amplius dubitatio « moveri [1].»

1. Bellarminus, *de clericis*, lib. I, cap XXVIII, n° 10. — Vecchiotti, *Inst. Can.* lib. II, § 3. Vid. insuper lib. III, § 71. — Notandum tamen Bellarminum loqui de obligatione directiva, non coactiva, ob privilegium fori.

II^{um} In his quæ vere et proprie spiritualia sunt, quæ scilicet directe referuntur ad sacramenta, cultum divinum, observantias ecclesiasticas, quæstiones de doctrina fidei et disciplina canonica, clerici sunt jure divino exempti a potestate et jurisdictione principis sæcularis. Est de fide. Hanc immunitatem demonstrant argumenta primæ opinionis.

III^{um} Ecclesia potest, jure proprio, statuere immunitates personales a foro sæculari quas necessarias judicaverit ad dignitatem ordinis clericalis; et immunitates locales, ad reverentiam locis sacris debitam. Accepit a Christo potestatem determinandi atque statuendi ea quæ requirit bonum regimen societatis christianæ : porro, præter jura quibus clerici divina ordinatione potiuntur in exercitio sui ministerii, aliæ sunt immunitates moraliter necessariæ, v. g. : exemptio a militia, ab onere officiorum civilium, a servitutibus personalibus, et aliis hujusmodi quæ nec indoli, nec officiis status clericalis ullatenus conveniunt. Ergo Ecclesia de his proprio jure statuere potest, ac reipsa sæpius statuit, præcipiendo clericis ne se immisceant professionibus quæ suum statum dedecent, ne compareant coram judice sæculari cum detrimento sui ordinis, etc..., et ipsismet etiam magistratibus, si christiani essent, vetando sub comminatione censurarum, ne hæc a clericis requirerent.

Id probant argumenta secundæ opinionis. Maximo tamen cum moderamine Ecclesia usa est hac potestate, habita ratione temporum, ut, quantum fieri poterat, sibi consentientes principes haberet, removereturque omnis occasio conflictuum.

IV^{um} Principes christiani sponte sua concesserunt clericis privilegia quæ non erant necessaria ad libertatem sacri ministerii. Quemadmodum a pluribus oneribus eximebantur, privilegiisque in societate donabantur qui in bello, seu aliis negotiis fortiter gestis, de republica bene

meriti erant; ita voluere, assentientibus populis, in signum grati animi, et ob majorem reverentiam ordini clericali exhibendam, viros ecclesiastico ministerio addictos pluribus privilegiis cohonestari.

V^um Principes sæculares nequeunt derogare proprio nutu immunitatibus quas in favorem status clericalis Ecclesia statuit intra limites sui juris; nec iis etiam privilegiis quæ ipsi in perpetuum concesserunt ordini clericali, quando jura hujusmodi mutuo consensu utriusque potestatis per Concordata, aliosve actus similes, sancita sunt.

In primo casu vis injusta inferretur in jurisdictionem ecclesiasticam; in altero autem violaretur jus naturale et gentium quo reguntur pactiones consensu partium initæ; ea est enim conditio pactorum inter duas societates sicuti et contractuum inter privatos, ut immutari non debeant sine mutuo contrahentium assensu. Neminem quidem latet advenire quandoque talem immutationem in moribus et regimine societatis, ut necessarium sit veteribus institutis nova subrogari, novas proinde conventiones iniri; Ecclesia harum necessitatum rationem habet, ultroque se paratam semper exhibuit ad ineundam viam qua cuncta meliori modo concilientur in bonum commune; at merito conqueritur de violato jure, si quid, ipsa non audita nec assentiente, immutetur in iis quæ Concordata definierunt.

Idem dicendum arbitramur de privilegiis absque ulla restrictione in futurum concessis a Principe ordini clericali, et ab Ecclesia acceptatis; non potest illa retrahere, nisi forte talis mutatio in rebus publicis intercesserit, ut hæc privilegia nociva forent ordini societatis. Ratio est quod concessio facta, non gratuito et ad tempus, sed in testimonium gratitudinis, et in remunerationem pro præstitis officiis et in perpetuum, eidem societati confert jus cui derogare pro mero arbitrio nefas est [1].

1. Suarez, lib. IV, cap XXX, n^is 3-14. — Salon, *de Justitia et Jure* quæst. LXVII, art. I, conclusio V^a.

VI^um Immunitates ecclesiasticæ limitatæ fuerunt successu temporum et attenta mutatione morum, cum expressa concessione S. Sedis quoad quosdam articulos, et, pro nonnullis aliis, ex illius tolerantia.

« Pro servanda immunitate reali, ait D. De Angelis, « non putavit S. Sedes amplius insistere neque reclamare « et toleravit quod Ecclesia et clerici relate ad bona essent « in eadem conditione ac cæteri laïci. Hinc est quod in « constitutione *Apostolicæ Sedis* disparuerint omnes cen- « suræ latæ contra eos qui super bonis Ecclesiæ vel cleri- « corum imponunt taxas, prout superioribus canonibus « plectebantur. Dici proinde potest immunitatem realem, « saltem ex non reclamatione Ecclesiæ, vel ex ejus taciturnitate cessasse[1]. »

Immunitates personales fuerunt sub multiplici respectu restrictæ. Servatur privilegium *canonis*, ita dictum a canone 15° concilii Lateranensis, quo in tuitionem et reverentiam status clericalis et regularis, excommunicationi subditur qui in clericum vel monachum, violentas manus, contra jus, ex malitia injecerit — Quoad privilegium seu immunitatem *fori*, S. Sedes condemnat et excommunicatione specialiter S. Pontifici reservata innodatos declarat « edentes « leges vel decreta contra libertatem aut jura Ecclesiæ... « Cogentes, sive directe, sive indirecte, judices laïcos ad « trahendum ad suum tribunal, præter canonicas disposi- « tiones, personas ecclesiasticas. » Censura proinde non attingit ministros subordinatos, uti milites, apparitores, et forte nec ipsos judices qui tenentur vi legis civilis, seu ad instantiam partium trahere ad suum tribunal personas ecclesiasticas; hi enim non sunt proprie cogentes, sed potius coguntur. Nec etiam probabiliter attingit illos qui, cum nullum aliud medium habeant jus suum prosequendi et propriæ indemnitati consulendi, in necessitate sunt citandi

1. *Prælectiones Juris Can.*, lib. III, in tit. XLIX, n° 4.

clericos, a quibus injuste læsi sunt, ad tribunal laicum, in causis sive civilibus, sive etiam criminalibus.

Subsistit denique pars saltem immunitatum localium; nam Const. *Apostolicæ Sedis* excommunicantur « immu- « nitatem asyli ecclesiastici ausu temerario violare jubentes « et violantes. »

Hæc citare sufficiat quæ in decursu fusius explicabuntur (n[is] 564, 735, 795). Cæterum non præsumimus hisce annotationibus solvere quæstionem valde complexam et difficillimam immunitatis ecclesiasticæ; nostrum sensum in eo, sicut in aliis omnibus, submittimus judicio Sanctæ Sedis, cujus est definire quid temporibus hodiernis servari debeat juris canonici, quid vero dimitti, circa præsentem materiam.

SECTIO III[a]

DE SCHOLIS CLERICORUM

Persolutis quæstionibus de clericorum statu, ordinatione, obligationibus et privilegiis, disserere opportunum ducimus de clericorum collegiis quæ studiorum causa et cultus publici instituta sunt, nempe de scholis clericalibus, et de capitulis. Incipiemus a scholis, quæ in triplicem classem distribuuntur. Aliæ erectæ sunt in gratiam puerorum, qui rudimenta litterarum artesque liberales ediscunt; aliæ destinantur clericis, qui proxime disponuntur ad susceptionem ordinum, et ad exercitium sacri ministerii; aliæ tandem ordinantur ad explanationem eruditam et scientificam disciplinæ sacræ.

ARTICULUS II. —, DE SEMINARIORUM INSTITUTIONE.

364. — I° *Quæ sint obligationes et jura Episcoporum quoad seminariorum institutionem?*

Cum recta et accurata institutio cleri ad religionis prosperitatem, atque ad sanam doctrinam tuendam magnopere conducat, Romani Pontifices et sanctissimi Præsules suas omnes curas cogitationesque in id præsertim singulari vigilantia conferre nunquam intermiserunt, ut omnes in sortem Domini vocati ad pietatem sedulo fingerentur, ac litteris et disciplinis potissimum sacris rite imbuerentur. Quapropter multi canones ad hunc finem edicti sunt ab

antiquis temporibus, ut essent singulis in præcipuis civitatibus prope Ecclesiam cathedralem magistri qui pueros edocerent. Hæc præ cæteris statuit conc. Lateranense, an. 1162 : « Quoniam Ecclesia Dei sicut pia mater provi-« dere tenetur ne pauperibus qui parentum opibus juvari « non possunt, legendi et proficiendi opportunitas subtra-« hatur, per unamquamque Ecclesiam cathedralem magis-« tro qui clericos ejusdem et scholares pauperes gratis do-« ceat, competens aliquod beneficium præbeatur. » (Cap. *Quoniam*, 1, DE MAGISTRIS.) Eamdem legem innovavit aliud concilium Lateranense sub Innocentio III celebratum sæculo decimo tertio : « Nos prædictum roborantes statutum, « adjicimus ut non solum in qualibet cathedrali Ecclesia, « sed etiam in aliis quarum sufficere poterunt facultates, « constituatur magister idoneus, a Prælato, cum capitulo, « qui clericos Ecclesiarum ipsarum gratis in grammatica « facultate ac alios instruat juxta posse. » Cap. (*Quia nonnullis*, 4, eod. tit.)

Percelebris est constitutio quam ætate recentiori edidit concilium Tridentinum, et cujus verba ponderare oportet : « Cum adolescentium ætas, nisi recte instituatur, prona « sit ad mundi voluptates sequendas, et nisi a teneris annis « ad pietatem et religionem informetur, antequam vitio-« rum habitus totos homines possideat, nunquam perfecte « ac sine maximo ac singulari propemodum Dei omnipo-« tentis auxilio in disciplina ecclesiastica perseveret; « sancta synodus statuit ut singulæ cathedrales, metropo-« litanæ, atque his majores Ecclesiæ, pro modo facultatum « et diœcesis amplitudine, certum puerorum ipsius civita-« tis et diœcesis, vel ejus provinciæ, si ibi non reperiantur, « numerum in collegio ad hoc prope Ecclesias ipsas vel « alio in loco convenienti, ab Episcopo eligendo, alere ac « religiose educare, et ecclesiasticis disciplinis instituere « teneantur. » (Sess. XXIII, cap. XVIII, *de Reform.*)

Hujusmodi institutum quod veteres tanta vigilantia ac

sollicitudine commendaverunt, quodque synodus Tridentina utilissimum suo tempore existimabat, his præsertim temporibus necessarium est, « quibus, ait Pius IX, « Ecclesiæ rationes omnino postulant ut magis optimorum « sacerdotum sobolescat copia, qui virtutum omnium or- « natu fulgentes, ac sana solidaque pollentes doctrina, va- « leant proprii ministerii muneribus pie sciteque perfungi, « christianam plebem sedulo erudire, animarum saluti ac- « curate consulere, errantes ad veritatis et justitiæ semi- « tas reducere, ac Dei et sanctæ Ecclesiæ causam strenue « scienterque defendere [1]. » Parentes plerumque non satis provident de religiosa puerorum educatione; in scholis vero quæ laicis sunt destinatæ multa desiderantur ad informationem vitæ christianæ, ac sæpius gravissima pericula urgent, adeo ut, nisi speciales constituantur scholæ pro institutione clericali puerorum, perpauci admodum ad sacrum ministerium idonei assumerentur, paulatimque in his nostris regionibus deficeret tribus levitica.

365. — II. Jam vero, ut ad quæstionem propositam redeamus, quæ sint jura atque obligationes Episcoporum ex prænarratis colligitur.

Concludendum est : 1° Episcopis jus inesse, officio suo divinitus annexum, erigendi majora et minora seminaria junioribus pueris ad statum clericalem informandis; ac simul præscribendi methodum quam magistri sequantur, libros quibus alumni uti debeant, exercitia quibus vacent, uno verbo rationem studiorum et vitæ disciplinam. Cum ea sit necessitas scholarum clericalium, ad conservationem fidei et accuratam cleri institutionem, nemini catholico dubium est quin hæc cuncta sollicitudini pastorali Episcoporum jure divino committantur. Ea potissimum ratione Antistites Galliarum libertatem seminariorum minorum a regimine Universitatis civilis, tanta unanimitate vindica-

1. Litteræ apostolicæ *Cum Romani*, quibus seminarium Pium instituitur ann. 1853.

verunt, nihilque intermiserunt ut sibi integra servaretur.

Concludendum est : 2° Episcopos teneri jure canonico erigere seminarium juniorum clericorum in sua diœcesi, nisi tamen pro exiguitate loci, aut penuria facultatum, opportunius existiment clericos in seminario provinciæ, aliove loco convenienti, religiose educare.

Leges a conciliis edictæ non fuerunt servatæ, per diuturnum tempus, cum ea cura quam tanti momenti negotium requirebat. Sanctus Carolus Borromeus summam diligentiam adhibuit observationi decretorum concilii Tridentini; at pauci eamdem sollicitudinem habuerunt, adeo ut Benedictus XIII, Const. *Credita nobis*, an. 1725, ad omnes Episcopos Italiæ et insularum adjacentium directa, conquestus sit quod *in plerisque locis* minime reperirentur seminaria erecta, ac simul districte injungendum, præcipiendum et mandandum duxerit ut in singulis cathedralibus, in quibus hactenus seminarium erectum non fuisset, quamprimum erigeretur et omnino institui curarent Episcopi. Idem iterum injunxit Benedictus XIV per litteras apostolicas *Ubi primum*, an. 1740.

In Galliis concilia provincialia, post Tridentinum celebrata, maximo studio decretum de seminariorum erectione amplexata sunt; erat quippe omnibus persuasum nihil cogitari posse efficacius ad reddendum Ecclesiæ pristinum nitorem, et clero sacerdotioque decus pristinum, quam hæc pia instituta in quibus clerici a teneris annis ad pietatem et disciplinam informarentur. Attamen quidquid conati fuerint plures Præsules exemplo sancti Caroli, seminaria felici successu non processerunt, usquedum Deus suscitaverit quosdam sacerdotes qui omnes suas operas vitamque seminariis devoverunt [1].

366. — II° *Quid decreto concilii Tridentini præscriptum sit pro regimine seminariorum?*

1. Cf. *Vie de S. Vincent de Paul*, liv. II, chap. XI; — *Vie de M. Olier*, tom. I, liv. IX; — *Notes sur l'établissement des séminaires en France.*

Decretum concilii multa complectitur quæ ad alumnorum admissionem, ad rationem studiorum et disciplinæ, tandem ad regimen spirituale et temporale seminarii referuntur.

I. *De alumnorum admissione* statuitur : « Recipiantur « qui ad minimum duodecim annos, et ex legitimo matri« monio nati sint; ac legere et scribere competenter nove« rint, et quorum indoles et voluntas spem afferat eos ec« clesiasticis ministeriis perpetuo inservituros. Pauperum « autem filios præcipue eligi vult (sancta synodus); nec « tamen ditiorum excludit, modo suo sumptu alantur, et « studium præ se ferant Deo et Ecclesiæ inserviendi... »

Verba concilii indicare videntur omnes alumnos cujusvis ætatis in eodem seminario institui, licet divisos in tot classes quot Episcopo videbitur, juxta numerum, ætatem, ac in disciplina ecclesiastica progressum. Sed mens concilii non fuit prohibere quominus plura erigerentur collegia; alia in favorem puerorum, aliud vero pro adolescentibus qui theologiæ student, ac proxime disponuntur ad sacros ordines.

Conditionem appositam de legitimis natalitiis puerorum ita servandam duxit S. Congregatio ut, ann. 1595, ad dubium propositum, responderit spurios admittendos non fore ab Episcopo in seminariis, ne exceptis quidem qui super defectu natalium dispensationem obtinuerint ad recipiendum beneficia, canonicatum et dignitatem, nisi specialem insuper veniam habeant ingrediendi seminarium. (Giraldi, *Expositio juris pontificii*, part. II, sect. CVIII.)

Aliam conditionem pensare sedulo juvat, ut nimirum alumni præ se ferant signa vocationis ad statum clericalem ; unde merito deducimus mentem concilii nullatenus fuisse ut in eodem seminario clerici ac laici insimul instituantur : expressis enim verbis decrevit filios ditiorum non esse admittendos, nisi *studium præ se ferant Deo et Ecclesiæ inserviendi*. Commixtio laicorum cum clericis in seminariis mi-

noribus multis incommodis obnoxia est; plurimum namque obstat ne juniores pueri in sortem Domini vocati clericalem indolem induant.

Demum necesse est ut alumni recipiendi examinentur, atque de illorum idoneitate ad sacrum ministerium sufficienter constet. Si de parvulis agatur, concilium nihil aliud requirit præter quod legere et scribere competenter noverint; qui vero admitti postulant in seminario majori, debent humaniorum litterarum curriculum absolvisse [1].

367. — II. *De studiorum ratione et pietatis exercitiis*, hæc eodem decreto continentur : « Ut in disciplina ecclesiastica « commodius instituantur, tonsura statim atque habitu « clericali semper utentur : grammatices, cantus, computi « ecclesiastici, aliarumque bonarum artium disciplinam « discent : sacram Scripturam, libros ecclesiasticos, homilias « sanctorum, atque sacramentorum tradendorum, maxime « quæ ad confessiones audiendas videbuntur opportuna, « et rituum ac cæremoniarum formas ediscant. Curet « Episcopus ut singulis diebus Missæ sacrificio intersint, « ac saltem singulis mensibus confiteantur peccata; et « juxta confessoris sententiam sumant corpus Domini J. C.; « Cathedrali et aliis loci Ecclesiis diebus festis inser-« viant. »

1. Exempli causa referemus quod statuit Pius IX quoad seminarium Pium : « Cum in seminario Pio studiorum curriculum « a philosophia initium ducere debeat, clerici petitores specimen ex-« hibere tenentur de humaniorum litterarum, rhetoricæ artis, et lin-« guæ Latinæ peritia, quam scripto experiantur oportet : 1° super « argumento quod ex improviso propositum Latina soluta oratione, « velut in rhetoricis scholis fieri solet, erit componendum, tractan-« dum et scribendum; 2° item in Latina poesi super argumento quod « pariter extempore erit proponendum; 3° in extemporali Italica « translatione alicujus clarissimi auctoris Latini. » Alias conditiones indicat eadem Constitutio : « Nemo admittatur nisi ex anteactæ vitæ « ratione ad sacerdotium se vocari sentiat; qui hujusmodi vocatione « caret, quamvis bonos præ se ferat mores, ac sui spem exhibeat, « dimittetur..; sano præterea sint corpore, lingua minime impedita, « et adspectu non deformi. » Tit. IV, VI.

Multa annotanda essent ad sensum hujus decreti, quæ brevitatis causa prætermittimus. Hæc pro instituto sufficiant :

1° Quod concilium præscribit de tonsura et habitu clericali, confirmat assertionem modo datam, scilicet seminaria, etiam minora, eo unice tendere debere ut ecclesiastici viri instituantur, bono Ecclesiæ in muneribus sacri ministerii olim profuturi.

2° Facultates addiscendæ in seminario majori sunt : theologia dogmatica et moralis, divinorum librorum scientia, historia ecclesiastica, jus canonicum, sacri ritus, et quæ ad sacramentorum dispensationem regimenque parochiarum maxime opportuna videntur. Valde refert ad illarum scientiarum rationem, ut studia majoris seminarii a philosophia initium ducant, quemadmodum recens constitutum fuit pro seminario Pio, et communius servatur in Galliis, quia maxima est connexio inter philosophiam et sacram theologiam ; experientia insuper satis compertum est philosophiam eo modo traditam in minoribus seminariis, seu aliis collegiis, qui junioribus alumnis ad statum etiam laicalem sæcularesque artes destinatis conveniat, insufficientem omnino haberi clericis, ut recte disponantur ad theologiæ studium.

Quod ad cantum spectat, abs re non erit animadvertere Benedictum XIII jussisse per Const, *Credita nobis*, cantum ad præscriptum concilii clericis ediscendum, esse cantum planum, qui communiter *Gregorianus* appellatur; de quo etiam Pius IX pro seminario Pio statuit : « Cantus Gregorianus, omni alio rejecto, tradetur. » (Tit. v.)

3° Concilia provincialia præscripserunt ut « linguæ Lati- « næ usum, quæ est ipsius Ecclesiæ lingua et scientiæ catho- « licæ instrumentum, aiunt patres concilii Parisiensis, omni « conatu foveant ac tueantur. Ideoque semper, aut fere « semper, in philosophicis et theologicis exercitationibus

« latine loquantur, tum magistri, tum etiam discipuli. » Quoad vero materiam studiorum, indixerunt ut philosophiæ juxta methodum scholasticam, et saltem per annum, operam dent omnes qui ad clericalem statum se disponunt ; ut theologicis ac sacrarum Scripturarum studiis adjiciantur prælectiones de jure canonico, de historia ecclesiastica, de administratione spirituali et temporali parœciarum, cum exercitationibus eloquentiæ sacræ. (Concilia provinciarum Parisiensis, Turonensis, Remensis, Burdigalensis.)

4° Alumni seminarii inserviunt Cathedrali et aliis loci Ecclesiis pro locorum opportunitate, ut sacro ministerio assuescant simulque curas ab ineunte tirocinio clericali impendant in cultum publicum ; sed ratio habenda est studiorum ac disciplinæ, ne exinde detrimentum patiantur. Dubium olim propositum est S. Congregationi, an etiam alumni qui propriis sumptibus aluntur, teneantur ad præstandum hoc servitium Ecclesiis. Responsum fuit affirmative, cum clausula : « Partes Episcopi esse ita moderate et pru- « denter se gerere in hac facultate, ut hinc seminarium « ipsum nullum detrimentum patiatur. » Benedictus XIII Episcopis præterea interdixit ne pro se, vel suis vicariis aut familiaribus quibuscumque, utantur sub quovis prætextu famulis, aut officialibus, vel lectoribus, magistris, sacerdotibus et clericis seminarii, hoc addito : « Non tamen prohi- « bere intendimus Episcopo pontificalia exercenti, ne « cæremoniarum magistro vel sacerdotibus a seminario « retentis uti possit ; imo ut eorum opera et assistentia in « ejusmodi sacris functionibus libere uti valeat, plenam ipsi « Episcopo tribuimus facultatem. » (Giraldi, *Expositio juris pontificii*, part. II, sect. CVIII.)

368. — III. *De regimine spirituali et temporali seminariorum* multa præscripsit concilium, hæc præsertim :

1° Quoad regimen spirituale «... quæ omnia (in præce- « dentibus memorata) atque alia ad hanc rem opportuna « et necessaria, Episcopi singuli cum consilio duorum ca-

« nonicorum seniorum et graviorum quos ipsi elegerint, « prout Spiritus sanctus suggesserit, constituent; eaque « ut semper observentur, sæpius visitando operam da- « bunt. »

Consilium proinde duorum canonicorum adhibere debet Episcopus in constituendis regulis seminarii, in admissione alumnorum et expulsione dyscolorum, in electione rectoris, prorectoris, professorum (excepto tamen si administratio seminarii ordini regulari commissa sit), in delectu librorum, in visitatione seminarii; uno verbo, in omnibus quæ ad rationem studiorum, ad pietatis disciplinam spectant. Hæc agere, constituere, decernere, non valet Episcopus, nisi habito consilio cum canonicis, etsi non teneatur sequi illorum vota, sed possit sua providentia res componere.

S. Congregatio declaravit canonicos semel electos non mutandos arbitraria voluntate; sed servandos esse in suo officio, nisi gravis ratio illos amovendi intercesserit[1].

2° Pro regimine temporali aliud consilium Episcopo assignatur; concilium statuit ut quæ ad collegii fabricam instituendam, ad mercedem præceptoribus et ministris solvendam, ad alendam juventutem, opportuna erunt, Episcopus provideat « cum consilio duorum de capitulo, « quorum alter ab Episcopo, alter ab ipso capitulo eli- « gatur; itemque duorum de clero civitatis quorum qui- « dem alterius electio similiter ad Episcopum, alterius vero « ad clerum pertineat. »

Conjicimus hanc electionem fieri ab universo clero diœcesis, saltem a parochis et beneficiatis, siquidem concilium eam clero tributam esse voluit. Consiliarius seligi quidem debet e clero civitatis, ut præsto sit quoties opus fuerit, sed ipsamet electio fit ab universo clero, quia cum omnes beneficiati gravari debeant novis oneribus ad subveniendum

1. Giraldi, part. II, sect. CIX et CX ; *Thesaurus resolutionum,* t. VII, ann. 1736, pag. 212.

sumptibus necessariis, si indigeat seminarium, totius cleri interest ut accurate administrentur bona temporalia. (*Thesaurus resol.*, tom. LXI, p. 160.)

Quatuor consiliarii eliguntur in perpetuum, non secus ac cæteri de quibus modo agebamus, eo sensu quod non mutandi sint absque gravi ratione ; suffragium similiter habent consultativum, non decisivum.

Consultatio deputatorum requiritur ad detrahendum partem aliquam ex fructibus integris mensæ episcopalis et capituli, nec non beneficiorum diœcesis, et ad applicandum atque incorporandum hanc partem seminario, et etiam pro casu in quo oritur aliqua difficultas unde perturbaretur institutum seminarii [1].

Controversum fuit an præter duas commissiones indicatas, tertia adhibenda sit pro annua redditione rationis regiminis temporalis ; de qua statuit conc. Tridentinum : « Rationes reddituum seminarii Episcopus annis singulis « accipiat, præsentibus duobus a capitulo, et totidem a « clero civitatis deputatis. » Communior interpretatio, quam sua auctoritate firmavit S. Congreg., est non novam requiri deputationem a secunda distinctam, sed redditionem rationum excipiendam esse a quatuor deputatis, quorum duo ex capitulo assumentur, unus electus ab Episcopo, alter a capitulo, et duo ex clero, unus ab Episcopo, alter a clero [2].

369. — IV. *De unitate seminarii in singulis diœcesibus* legitur in decreto : « In Ecclesiis amplas diœceses haben- « tibus, possit Episcopus unum vel plura in diœcesi, prout « sibi opportunum videbitur, habere seminaria ; quæ ta- « men ab illo uno quod in civitate erectum et constitutum « fuerit, in omnibus dependeant. » Verba sunt concilii, ex quibus concludimus intentionem concilii fuisse, ad ser-

1. Giraldi, part II, sect. CX; — Pignatelli, tom. IX, *Consult.* LXXI. nº 62; — Benedictus XIV, *de Synodo*, lib. V, cap. XI, nis 5-10.

2. *Thesaurus Resol.*, tom. CXIV. — Die 31 mart. an. 1855.

vandam unitatem in institutis quæ in eumdem finem conspirant, ut singula eidem rectori qui majori seminario præest, subdantur, iisdemque consiliariis in regimine tum spirituali, tum temporali, omnium scholarum clericalium suæ diœcesis, Episcopus utatur.

370. — *Nota* 1° : Cum ex decretis concilii Tridentini seminaria ad Episcopos omnino spectent, adhibito deputatorum consilio, Episcopus non potest, absque beneplacito apostolico, seminarium committere Ordini regulari, seu alteri cuilibet Congregationi ; siquidem hujusmodi concessio derogat decreto concilii. Privat nimirum futuros in eadem sede episcopali titulares jure singulis Episcopis asserto, nominandi rectorem, ac magistros sui seminarii ; et amovet commissiones deputatorum e clero.

Hinc Antistites Ecclesiarum consueverunt recurrere ad Sanctam Sedem, quoties in votis habuerunt committere seminaria administrationi clericorum regularium cujuslibet instituti, et ipsa Sedes, dum benigne postulatis annuit, conditionem apponere nunquam prætermisit : *ita tamen ut alumni nominentur ab Episcopo, et seminarium sit sub patrocinio, protectione et subjectione Episcopi.* Seminarium natura ipsamet rei, est semper ac necessario schola episcopalis ; nulla ratione, sub quovis prætextu, seu vi cujuslibet concordati, subduci potest jurisdictioni Ordinarii loci.

371. — *Nota* 2° : In Galliis Episcopi sedula cura instituerunt in omnibus diœcesibus, ad præscriptum concilii Tridentini, seminaria clericorum. Quando communitatibus seu congregationibus demandant curam seminariorum, sibi suisque successoribus jus reservant aliter eorum regimini providendi, si opportunum postea judicaverint, adeo ut plenam ea de re libertatem retineant. In eo solum a decreto Trid. recesserunt, quod sive sua seminaria commiserint presbyteris diœcesis, sive congregationibus, non videtur quod commissiones ullibi instituerint modo quem

concilium indixit. — Insuper usu non servatur in minoribus seminariis ut pueri tonsura clericali statim initientur, vel etiam habitu clericali utantur, quod visum fuit dimittendum prudentiæ superiorum.

Quas ob causas Præsules nostri, etiam ab initio, ordinaverint sua respectiva seminaria, non convocatis commissionibus deputatorum a capitulo et clero, conjicere licet ex circumstantiis, ex modo præsertim quo fuere erecta seminaria : 1° Necessitas assumendi duos canonicos in consilium pro regimine spirituali seminarii, videri potuit consectarium, seu applicatio regulæ generalis vi cujus olim Episcopi omnia negotia diœcesis una cum suo capitulo regebant ; quapropter cum eidem regulæ in Galliis, sicut in aliis Ecclesiis, usu contrario esset quoad directionem scholarum clericalium et alias materias derogatum, Episcopi non arbitrati sunt se leges canonicas transgressuros, si abstinerent a consiliis capituli exquirendis in iis quæ erant regiminis seminarii. 2° Necessitas item providendi regimini temporali seminariorum, exploratis votis deputatorum a capitulo et a clero, eo præsertim fine probabiliter imposita fuit Episcopis, ut facultate sibi data uterentur partem aliquam sumendi ex omnibus beneficiis, illamque seminario incorporandi, atque uniendi seminario beneficia simplicia, et alia hujusmodi peragendi quæ totius cleri causam afficiebant ; cum autem Episcopi nullam taxam clericis imposuerint, et si quædam beneficia simplicia unierint, id in cœtibus synodicis cleri diœcesani præstiterint, necessarium non duxerunt habere in consiliis deputatos cleri et capituli. 3° Tandem, cum ab exordio seminaria erecta sint a Congregationibus sæcularibus quæ melius noverant normam seminariorum, aptioremque methodum clericos educandi, minoris utilitatis tunc temporis visæ sunt commissiones deputatorum ; quinimo timendum forte fuisset, ne impedimentum potius huic salubri instituto afferrent.

Quacumque ratione ad sic agendum adducti fuerint,

certum est venerabiles Domini sacerdotes, qui tanta sollicitudine tantoque zelo instaurandæ disciplinæ operas dederunt institutioni seminariorum in Galliis, inter quos unum citabimus sanctum Vincentium a Paulo, optima fide existimasse se non recedere a mente Sanctæ Sedis, instituendo et regendo seminaria sine commissionibus de quibus statuit concilium, temetsi decretum minime ignoraverint. Idem dicendum de tot Antistitibus quos studium disciplinæ commendavit. Neminem aliunde latet quam uberes fructus ex suis seminariis, ea ratione institutis, Ecclesia Galliarum reportaverit; de quo non semel Episcopis, cum relationem status suarum diœceseon afferebant, SS. Pontifices paterno affectu congratulati sunt.

Hæc si attente considerentur, concludendum erit, præsentem rerum ordinem tam diuturna et constanti consuetudine firmatum, a prima scilicet origine seminariorum apud nos ad Concordatum, et a Concordato an. 1801 ad nostram ætatem, tanto fructu ad clericorum institutionem observatum, atque tacito saltem assensu Sanctæ Sedis probatum, tuto servari posse, donec Sancta Sedes disciplinam Ecclesiarum Galliæ mutandam esse judicaverit.

Articulus II. — De universitatibus seu Academiis.

372. — 1° *Quid sint Universitates catholicæ, et qua auctoritate canonice constituantur?*

I. Universitates appellantur scholæ publicæ in quibus sacra doctrina, scientiæ humanæ, artesque liberales traduntur.

Prima Universitatum initia comperimus in domibus episcopalibus, ubi olim sub magisterio Archidiaconorum clerici disciplina, litteris ac theologia informabantur. Hæc deinceps, ab octavo præsertim sæculo, felici successu exculta sunt in monasteriis quorum plurima floruerunt studio litterarum, ita disponente divina Providentia in bo-

num Ecclesiæ universalis, quando Episcopi plerumque non sufficiebant institutioni clericorum. Tandem erectæ sunt in præcipuis urbibus scholæ publicæ ad quas viri periti dialecticæ, Scripturarum et theologiæ, multos discipulos attraxerunt ; ex illis autem scholis prodierunt Universitates Parisiensis, Bononiensis, Salmanticensis, Lovaniensis, Oxoniensis, et plures aliæ, quarum præcipuas tantum, honoris causa, memoramus[1].

II. Universitates proprie dictæ, quæ nimirum tradunt sacram disciplinam Scripturarum, theologiæ, juris canonici, etc., cum cæteris humanis scientiis, non possunt constitui regulariter nisi auctoritate Ecclesiæ ; cui sacrum fidei depositum commissum est cum magisterio docendi veritates revelatas, simul et doctrinas cum eis necessario connexas, quatenus ad revelatas referuntur.

Ipsæ humanæ scientiæ subduntur auctoritati Ecclesiæ, quatenus : 1° Ecclesia lumen fidei hominibus præfert in tenebris inscitiæ circa originem et finem ultimum rerum, ac certo definit quæstiones morales quæ difficultatibus inextricabilibus obvolvuntur, si ratio humana sibi dimissa præsumat ea discutere. 2° Judicat de erroribus, de falsis conclusionibus quæ cultores scientiarum humanarum abusu rationis et ignorantia, inducerent contra veritates revelatas. « Non pertinet ad eam, ait S. Thomas, probare principia aliarum scientiarum, sed judicare de eis. Quidquid « enim in aliis scientiis invenitur veritati hujus (fidei) « scientiæ repugnans, totum condemnatur ut falsum. Inde « dicitur II Corinth., x, 4, *consilia destruentes et omnem « altitudinem extollentem se adversus scientiam Dei.* » (Pars, 1ª Quæst. I, art. vi, ad. 2.) Catholici igitur scientiarum

1. Quum non debeamus, pro operis instituto, originem, progressus et discrimina Universitatum præcipuarum enarrare, indicabimus *Historiam Universitatis Parisiensis*, 6 vol. in-fol.; item, *Histoire de l'Université de Paris*, par Crévier, 7 vol. in-12, ubi multa reperiuntur de Universitatibus Galliæ, Italiæ, Hispaniæ, etc.

cultores hoc principium præ oculis habeant, ne incauti decipiantur fallaci specie philosophiæ.

Hoc servato ordine, homines rerum studiosi tutantur contra periculum erroris, legitima singulis manet libertas investigationis, et omnes scientiæ in eumdem finem ulterius conspirant.

Alexander IV in Brevi *Parisius*, an. 1250, ad magistros scholæ Parisiensis, scientiarum correlationes in Universitate rite ordinata, sic explicabat : « Hic conversantur et « degunt scientiæ, hic firma et læta societate convivunt; « inter quas sacra et venerabilis theologia locum altiorem « obtinet; præest enim reliquis ut superior, et tanquam « inferiores cæteræ sibi subsunt... Ad hanc singulæ in viis « suis levant et habent intuitum ut... inoffense incedant « et gressum ad aliquod inconveniens non impingant[1]. » Ipsa societas civilis plurimum exinde commodum reportat, quandoquidem compertum est : « Litterarum cognitionem, liberalesque doctrinas et disciplinas quibus « juventus in publicis gymnasiis instruitur et eruditur, « magnam rei publicæ christianæ, si cum pietate conjungantur, afferre utilitatem ; tunc enim civitates et « regna optime administrantur, cum sapientes atque « intelligentes gubernacula possident. »

Non mirum igitur si olim nulla erecta sit Universitas quæ non committeretur regimini Ecclesiæ, ab illaque approbationem cum privilegiis obtineret ; quod et præsenti adhuc ætate servandum est quoties vera formatur Universitas. Quonam jure Princeps sæcularis constitueret collegia ad docendum disciplinas ecclesiasticas, Scripturas sacras, theologiam, jus canonicum, aliaque his affinia?... Cum Episcopi Belgarum curam impenderent in instaurandam Universitatem Lovaniensem, recurrere non omiserunt ad Ecclesiam Romanam, et Gregorius XVI, felicis

1. *Bullarium F. Prædicatorum*, tom. I, pag 322.

recordationis, ad illorum postulata respondit : « ... Hanc « vos rationem secuti, id egistis, quod ab antiquis tempo- « ribus consuetudo induxit, quodque debita huic Sedi « reverentia et observantia merito exigit. Cum enim ad « Rom. Pontifices, pro credito ipsis officii munere, « maxime pertineat fidem catholicam tueri, sanctæque « ejus doctrinæ integrum depositum intemeratumque « custodire, eorum quoque esse debet sacrarum discipli- « narum quæ publice in universitatibus traduntur, insti- « tionem moderari. Atque hæc causa fuit cur catholici « etiam principes, cum de ejusmodi academiarum studiis « statuendis cogitarent, Apostolicam Sedem consulendam, « ejusque auctoritatem exquirendam duxerint. Hinc cele- « briores illustrioresque Universitates, non nisi ex sen- « tentia et assensu RR..PP. constitutas, gravissimæ illa- « rum historiæ amplissime testantur. »

373. — II° *Quodnam sit regimen Universitatum in genere?*

Singulæ Universitates sua peculiaria statuta habent : quædam tamen sunt omnibus communia, quæ ad solvendam propositam quæstionem paucis exponere necesse est, ex iis præsertim quæ ad regimen generale Universitatum, ad professores facultatum et ad collationem graduum referuntur.

I. In quavis Universitate numeris omnibus absoluta, sunt plures facultates ut auditores possint proficere in omni disciplinarum varietate, quique primorum studiorum cursum expleverint, opportunitatem habeant acquirendi uberrimam cognitionem doctrinarum quibus jam se excoluerunt. Sunt præsertim facultates litterarum, philosophiæ, theologiæ, juris canonici et civilis, medico-chirurgiæ, scientiarum matheseos et physicæ. Singulæ autem facultates habent tot cathedras quot variis partibus scientiæ sufficere possint, v. g. : facultas theologiæ complectitur studium philologiæ sacræ, divinarum Scripturarum, theolo-

giæ dogmaticæ et moralis, liturgiæ, traditionis SS. Patrum, historiæ ecclesiasticæ...

374. — II. Universitati præest cancellarius aut rector: singulis facultatibus præsunt decani, juxta singularum Academiarum statuta.

Exempli causa citemus Universitates constitutas in ditione temporali S. Sedis, quales ordinavit Leo XII per litteras apostolicas *Quod divina sapientia*, an. 1824. Porro, distinctione facta inter primarias et secundarias Universitates, statuitur præsidem Romanæ Universitatis esse archicancellarium, qui titulus collatus est Cardinali Camerario; et cancellarium universitatum minorum esse Archiepiscopum vel Episcopum civitatis. Archicancellarii et cancellarii optimo Universitatum regimini advigilant, et dant operam ut constitutiones et regulæ serventur. Habent jurisdictionem vi cujus possunt animadvertere in eos qui intra fines Universitatum delicta commiserint. Præsunt electioni professorum, publicæ graduum academicorum collationi, ac præmiorum distributioni.

Præter archicancellarium seu cancellarium, existit in singulis Universitatibus rector, cujus munus est providere ne disciplina a professoribus, auditoribus et famulis tenenda, violetur; calendarium anni scholastici conficit, ac prælectionum horas convenienter distribuere debet, ut quilibet auditorum valeat illis interesse quæ ipsi præscribuntur ad gradus capessendos. Primum locum obtinet rector post cancellarium, et si cancellarius absit aut impediatur, vices illius gerit cum eadem auctoritate.

Unicuique facultati præest decanus, qui cum suæ facultatis collegio, atque servatis regulis constitutis, ea providet quæ ad regimen, decus, atque prosperitatem facultatis conducant. Scopus et officium collegii est insuper examina habere, et suffragia ferre in deligendis professoribus et collatione laurearum aliorumque graduum academicorum. — Nemo in collegium facultatum adsciscitur,

nisi morum integritate commendetur et in aliqua publica universitate doctoris lauream ejusdem facultatis assecutus sit.

375. — III. Professores communiter deliguntur per concursum, prius exhibito testimonio scientiæ et morum, inter eos qui laurea doctorali donati sunt in ea disciplina quam tradere debent. Professores tenentur ad præscriptum constitutionis Pii IV, datæ an. 1564, emittere publicam professionem fidei; quo enim certius Ecclesiæ constet fidei puritatem integram custodiri in scientiis, doctrinisque quibuslibet tum tradendis, tum addiscendis, decrevit sua constitutione Pius IV quod deinceps nullus doctor, magister, regens, vel alius cujuscumque artis et facultatis professor, sive clericus, sive laicus, vel cujusvis ordinis regularis sit, in quibusvis studiorum generalium Universitatibus, aut gymnasiis publicis... lectoris cathedram assequi, vel jam obtentam retinere valeat, nisi dictam professionem emiserit.

Leo XII professoribus Universitatum suæ ditionis temporalis indixit ut cursu typis impresso utantur et horæ dimidium in explicando insumant; tempus autem quod superest, in interrogandis et exercendis auditoribus. Professores sacrorum et legalium studiorum, item professores logicæ, metaphysicæ et ethicæ, lingua Latina uti debent in explicationibus : professores eloquentiæ, linguarum et aliorum hujusmodi studiorum, lingua Latina vel vernacula loquuntur, prout res de quibus agunt expostulant.

Professores semel canonice electi nequeunt pro arbitrio e cathedra depelli. Si graviter suo officio deliquerint, cancellarius aut rector eos a munere exercendo ad tempus removere potest; sed privatio tituli neutiquam infligitur nisi instituto judicio, lataque sententia, juxta statuta uniuscujusque universitatis.

376. — IV. Gradus in Universitate his conferuntur, quibus authentica sit significatio meriti, scientiæque adeptæ.

Tres gradus numerantur, scilicet : baccalaureatus, licentia et doctoratus.

Juxta præscriptum Leonis XII pro Universitatibus ditionis S. Sedis baccalaureatus et licentia his solum conceduntur qui, examine instituto, digni renuntiati fuerint a tribus membris collegii per rectorem designandis. Examen pro baccalaureatu habetur de omnibus quæ primo anno cursus scholastici; pro licentia, de iis quæ secundo et tertio anno traduntur. Qui vero lauream petunt in facultate theologica, experimentum subeunt de omnibus quæ universam disciplinam respiciunt : requiritur ut duobus saltem annis, tum sacræ Scripturæ, tum historiæ ecclesiasticæ prælectiones audierint, et etiam ut integrum cursum theologicum absolverint quem duo professores quatuor annis conficiunt. Qui studiis absolutis in alia aliqua publica Universitate, vel in seminariis episcopalibus, exoptant laurea insigniri, possunt admitti a rectore ad experimentum, cum prius exhibuerint testificationes de studiis recte peractis. Duplex experimentum subeunt : primum verbaliter, interrogationibus vel argumentationibus; alterum scriptis, exarando dissertationem latino sermone de argumento proposito, absque librorum aut scripturarum præsidio. — Baccalaureatus et licentia possunt conferri privatim ; laureæ autem publice semper conferuntur in aula Universitatis, solito apparatu. Extranei qui baccalaureatu aut licentia præditi non sunt, possunt hos duos gradus una cum laurea adipisci.

In veteri Universitate Parisiensi difficiliores erant conditiones ad periclitandam candidatorum doctrinam. Antequam aliquis ad baccalaureatum contenderet, oportebat ut lauream artium obtinuisset, biennio in studiis rerum philosophicarum impenso. — Adepta laurea artium, operam dabat per triennium studiis theologicis, quibus persolutis, bis sui periculum faciebat, subeundo primum examen publicum de philosophia, alterum de attributis divinis,

Trinitate, Angelis, etc. Si autem duplici huic prævię probationi satisfecerat, admittebatur ad sustinendam thesim (*tentativa* dicebatur), quæ per quinque horas protendebatur. — Licentia his solummodo conditionibus conferebatur : 1° ut baccalaureus per tempus determinatum, id est saltem biennium, scholas publicas theologiæ frequentavisset ; 2° ut per idem tempus singulis thesibus præsens adfuisset, et sua vice argumenta proposuisset : 3° ut tres theses solemnes ipse propugnavisset, scilicet : *Minorem*, de sacramentis in genere et in specie, per quinque horas ; *Majorem*, de religione, de Ecclesia et de controversiis catholicorum cum hæreticis, per decem horas ; *Sorbonicam*, de gratia, incarnatione, etc., a sexta hora matutina ad sextam vespertinam. Conditionibus impletis, baccalaurei, oratione publica ab uno ex illis habita, postulabant *missionem a schola*, unde plures conjiciunt ortam esse denominationem *licentiæ* (licentiatus a schola) ; quam alii interpretantur de licentia data gradum supremum doctoratus capessendi, cum voluerint. — Doctoratus laurea conferebatur post novas exercitationes et publicam thesim. Qui tamen hunc gradum assecuti fuerant, non idcirco idonei reputabantur ad obeundum munus magisterii in scholis Universitatis, nec admittebantur ad comitia, seu ad collegium facultatis, nisi aliam thesim cum laude sustinuissent, quam ultimam probationem *Resumptam* vocarunt [1].

377. — Præter doctores qui gradus academicos assecuti sunt servando regulas exercitationum publicarum, et qui dicuntur *graduati in forma*, alii titulum doctoris obtinent beneficio S. Pontificis, vel alicujus Prælati majoris cui Pontifex id jus tribuerit, vel etiam ab Universitatibus quæ honoris causa sibi cooptant extraneos quos ex fama publica, et imprimis ex operibus in lucem editis, hac laude dignos existimant.

1. Boyer, *Notice sur l'ancienne Faculté de théologie de Paris et la Sorbonne*.

378. — III° *Quæ sint privilegia Universitatum et graduatorum?*

I. Universitates plurima privilegia obtinuerunt a Sancta Sede, præsertim : 1° facultatem publice in scholis docendi theologiam ac sacros canones; 2° facultatem gradus academicos conferendi qui ubique valeant, adeo ut graduati potiri possint juribus sui tituli in omnibus Ecclesiis; 3° immediatam subjectionem S. Ecclesiæ Romanæ, in iis quæ attinent ad regimen generale et jura Universitatis.

Sæpius SS. Pontifices elegerunt et deputaverunt Episcopum loci in præsidem et cancellarium Universitatis, cum jure eam regendi et gradus conferendi, de consilio et assensu doctorum; at nonnullas e celebrioribus Universitatibus in suam et Beati Petri peculiarem clientelam susceperunt, statuendo ab alia quacumque ecclesiastica jurisdictione liberas fore. Id in specie Universitati Parisiensi olim concessum esse plura monumenta tradunt, et testabatur Clemens XI in constitutione *Circumspecta Romanorum*, an. 1716, qua theologiæ facultatis *immunitates, libertates, prærogativas et singula privilegia, præfato immediatæ subjectionis S. Sedi duntaxat excepto*, suspendebat, ob agendi rationem plurium doctorum hujus facultatis in causa Bullæ *Unigenitus*.

II. Doctoratus, ac etiam licentia, clericum idoneum efficit ad certa officia suscipienda pro quibus canones gradus requirunt, atque ad delegationes apostolicas obeundas, ut alibi explicatur. Sic, v. g., Vicarius capitularis seligendus est, cæteris paribus, inter doctores vel licentiatos.

Doctoratus insuper inducit præsumptionem legalem doctrinæ et integritatis, quæ graduatum eximit ab onere novi testimonii, si quod examen sit requisitum ad consecutionem officii, et tribuit jus prælationis in cæteros quando agitur de collatione quorumdam beneficiorum.

Inter doctores assignantur gradus præeminentiæ, qui

nec uno et eodem modo ubique servantur. Communius doctores *in theologia* sedent ante doctores *in jure*. Qui pluribus gradibus insigniuntur, illos præcedunt qui unum duntaxat habent : unde doctor in theologia et jure præfertur ei qui solam lauream theologalem obtinuit ; doctor in utroque jure præfertur doctori in jure canonico duntaxat.

379. — Ex principiis positis sequitur facultates theologiæ, a gubernio civili Galliarum in Universitate constitutas, non posse suis alumnis conferre gradus qui vim habeant in Ecclesia, siquidem auctoritas Sanctæ Sedis illas neutiquam approbavit ; imo multa certe obstant quominus approbentur, quamdiu immutatus non fuerit illarum status.

Annis proxime elapsis, Episcopi Galliarum novorum Institutorum fundamenta ponere studuerunt, Parisiis, Andegavi, Insulis in diœcesi Cameracensi, Lugduni et Tolosæ, quæ locum tenerent veterum Universitatum. Hæc tentamina S. Sedes approbavit, et donec forma canonica data fuerit, indulsit ut primos gradus academicos candidatis conferre possint Episcopi. Optandum valde, ut remotis impedimentis quæ hucusque obstant quominus creentur cum omnibus facultatibus, Universitates catholicæ ad felicem exitum tandem perducantur.

SECTIO IVª

DE CAPITULIS ECCLESIARUM CATHEDRALIUM ET COLLEGIATARUM

A scholis clericalibus ad capitula, quæ sunt collegia clericorum instituta cultus publici causa, progredimur. Dicendum erit de natura atque constitutione capitulorum; de illorum erectione, statutis, juribus et obligationibus. Singulæ quæstiones plura complectuntur majoris momenti in disciplina ecclesiastica [1].

ARTICULUS I. — DE NATURA ET CONSTITUTIONE CAPITULORUM.

* 380. — I° *Quid et quotuplex sit capitulum; quid sint canonici?*

I. Capitulum est collegium clericorum qui, sub prælato constituti, unum corpus efficiunt, et ab Ecclesia cultui publico addicuntur.

Nomen *capituli* plures deducunt e voce *caput;* quia clerici non veniunt in communitatem nisi quatenus sub uno Prælato, veluti membra sub suo capite, constituuntur : juxta alios hæc denominatio ortum habuit ab usu

1. Lib. III *Decretalium*, tit. DE PRÆBENDIS; — DE CLERICIS NON RESIDENTIBUS; — NE SEDE VACANTE ALIQUID INNOVETUR; — DE HIS QUÆ FIUNT A MAJORI PARTE CAPITULORUM; — Barbosa, *de Canonicis;* — Benedictus XIV, *Institutione* CVII; — Andreucci, *de Tuenda Pace et Concordia inter Episcopum et capitulum;* — *Conférences d'Angers*, VI et VII Conf. *sur les États;* — Ducasse, *Traité des droits et des obligations des chapitres*; — de Sambucy, *de l'Harmonie des Évêques avec leurs chapitres*, in-8, Paris, 1845.

qui semper viguit legendi capitulum regularum, vel sacræ Scripturæ, intra divinum officium, ad horam Primæ.

Quidquid sit de etymologia nominis, ad notionem capituli attendamus :

Dicitur 1º *Collegium clericorum;* quod subindicat clericos convenire in plurali numero, ut constituatur capitulum. Requiritur ut sint saltem tres numero, juxta vulgare effatum *Tres faciunt capitulum*, quod a jure Romano desumptum fuit, scilicet a lege *Neratius* 85 ff. *de verborum significatione*, quæ sic habet : « Neratius priscus dixit « tres facere collegium, et hoc magis sequendum est. » Omnis communitas rite ordinata deliberare quandoque debet de negotiis propriis; porro deliberatio requirit tres saltem personas, ut, in casu diversitatis sententiarum, negotia concludi possint majori numero suffragiorum. Nihilominus tamen, si capitulo semel constituto, pleraque membra deficiant adeo ut duo solummodo supersint, vel etiam unum, capitulum adhuc subsistit, suum titulum canonicum suaque jura conservat. « Quod dictum est tres « saltem requiri ad capitulum, ait Fagnan, verum est ab « initio, sed postea jus collegii etiam in uno retinetur. » In cap. *Nullus*, nº 30, DE ELECTIONE. Ita celebriores canonistæ, qui ex illo principio practica consectaria magni quidem momenti deducunt, ut infra videbitur.

2º *Qui sub prælato constituti*... essentiale est omni communitati ut ipsi aliquis præsit. Capitulum cathedrale, quatenus est senatus et consilium Episcopi, non alium præsidem habet quam ipsum Episcopum; quatenus vero est corpus propria habens negotia, sub alio prælato constituitur, nempe decano, priore aut præposito, aliove quovis titulo donetur.

3º *Unum corpus morale efficiunt*... quod ex præcedentibus sufficienter explicatur. Signum communitatis canonice erectæ est sigillum publicum, quod scilicet publica auctoritate nititur, et attribuitur principi, episcopo, capitulis,

judici, etc., ut scripturæ ad suam jurisdictionem seu officium attinentes vim habeant in foro externo. Clerici ejusdem Ecclesiæ beneficiati non possunt habere hujusmodi sigillum commune, nisi efficiant capitulum rite constitutum. (Cap. *Dilecta*, 14, DE EXCESSIBUS PRÆLATORUM.)

4° *Et ab Ecclesia cultui publico addicuntur.* Est officium commune et proprium omni communitati clericorum, quæ venit sub nomine capituli.

II. Capitulum duplex distinguitur : aliud Ecclesiæ cathedralis, aliud Ecclesiæ collegialis.

Capitulum Ecclesiæ cathedralis illud nuncupatur quod erectum est in Ecclesia cathedrali, ut officium publicum chori persolvat, Episcopo auxilietur in regimine diœcesis, atque, sede vacante, illum suppleat in hoc regimine; illud merito dixerunt senatum et consilium Episcopi. Repræsentat presbyterium quod olim una cum Episcopo, et sub ductu præsulis, Ecclesiam regebat, sine quo Episcopus nihil determinare consueverat. « Quamquam, ait P. Thomassin, nulla esset communis vitæ societas inter clericos « Ecclesiarum cathedralium per priora sæcula, nec inter « se, nec cum Episcopo, coalescebant tamen illi in unum « quoddam veluti corpus cum eo, et in partem sollicitu- « dinis, atque in imperii sacri quamdam societatem ve- « niebant... Clerus Romanæ Ecclesiæ formam præ se fert « ejus cleri qui olim singulis in cathedralibus Ecclesiis « Episcopo copulabatur. Constat enim Romani Pontificis « clerus presbyteris diaconisque cardinalibus, cum Ponti- « fice, et sub Pontifice conspirantibus et collaborantibus in « consistorio, de negotiis omnibus quæ ex universo chris- « tiano orbe Romam referuntur. » (*Vetus et Nova Disciplina*, part. I, lib. III, cap. VII.)

In eo statu hucusque remansisse Capitula cathedralia ex pluribus argumentis deducimus, imprimis ex tenore Concordatorum et ex constitutionibus occasione Concordatorum datis. Pius VII rationem affert, in Bulla *Christi Do-*

mini, de articulo Concordati relativo ad Capitulum : « Cum « Episcoporum consilio suæque Ecclesiæ administrationi « consulere necesse sit, illud non omisimus ut iidem Epis- « copi unum habeant in Ecclesia cathedrali capitulum. » In Concordato quod Pius IX iniit cum gubernio civili Hispaniarum an. 1851, dicitur : « Cathedralia capitula Ar- « chiepiscoporum et Episcoporum senatum consiliumque « constituere. » (Art. xv.)

Capitulum collegiatæ in alia Ecclesia quam cathedrali erigitur, nec sua institutione destinatur ad juvandum Episcopum in regimine diœcesis. Distinguitur Ecclesia collegiata *insignis* a collegiata communi. Insignes collegiatæ reputantur, quas Sancta Sedes hoc titulo decoratas esse voluit, aut quæ in communi existimatione tales habentur; hæc enim qualitas ex facto pendet, si Ecclesia sit constituta in loco conspicuo, si multis præbendis ditetur, si dignitatibus sit illustris. « Doctores, ait Card. Petra, pro « inspiciendo an collegiata sit insignis, rem arbitrio judicis « relinquunt, ad instar probationis nobilitatis. » Quod vero sit discrimen in praxi inter collegiatam insignem et communem, idem canonista indicat : « Scire collegiatam « esse insignem, vel non, ad plura confert, tum ob diffe- « rentiam residentiæ et servitii chori inter unam et aliam, « tum etiam ad alios effectus inductos per concilium Trid., « sess. xxiv, cap. xii, *de Reform.* » (*Comment.* in Const. vii Innocentii IV, sect. ii, n° 35, tom. III.) Canonici collegiatæ non insignis eximi possunt a servitio chori ob varias causas, et præsertim longævæ consuetudinis causa, quæ non admittuntur a jure ubi de canonicis collegiatæ insignis agitur. Præterea, votum quod emittit concilium Trid. ut dignitates omnes et dimidia saltem pars canonicatuum in cathedralibus et in collegiatis insignibus conferantur tantum doctoribus, aut saltem licentiatis in theologia vel jure canonico, non refertur ad collegiatas communes.

III. Ex data definitione capitulorum, sequitur responsio

ad partem ultimam quæstionis propositæ: *quid sint canonici?*

Canonici sunt clerici qui, titulo inamovibili, deputantur ad chorum et ad celebrationem officiorum divinorum in Ecclesia cathedrali, vel in collegiata.

381. — *In quot classes distinguantur canonici?*

Triplex est ordo canonicorum : alii sunt præbendarii, alii supranumerarii cum expectativa præbendæ vacaturæ, alii demum honorarii.

PRÆBENDARII dicuntur qui simul cum canonia præbendam habent. *Canonia* est titulus quo aliquis fit membrum capituli, habet stallum in choro et suffragium in cœtu capitulari; *præbenda* autem dicitur jus percipiendi proventus bonorum temporalium qui titulo sunt annexi. Obligationes et jura spiritualia canonicorum procedunt ab ipso titulo canonicatus, non a præbenda quæ est simplex accessorium.

SUPRANUMERARII canonici dicuntur qui, ultra numerum pro capitulo assignatum admissi, habent expectativam præbendæ primo vacaturæ. Non videtur ullum clericum ea conditione admitti posse, nisi id fiat auctoritate S. Sedis; siquidem concilium Trid. prohibuit ne deinceps ulli dentur etiam sub nomine indulti, vel alio quovis quæsito colore, gratiæ quæ nuncupantur *expectativæ*. (Sess. XXIV, cap. XIX, *de Reform...*) Excipe casum consuetudinis immemorabilis, quod decisum a S. Congregatione refert Barbosa in causa capituli Salamaritani. (*De Canonicis*, cap. XII, nº 23.)

HONORARII canonici obtinent jus sedendi in choro et gestandi insignia canonicatus; non habent vero præbendam, nec alia canonica jura quæ non fuerint illis concessa in statutis capituli. Veteres canonistæ, qui testes fuere hujusce novitatis, scilicet quosdam clericos decorandi titulo canonicatus absque ulla præbenda, aut præbendæ expectativa, parum favebant institutioni [1], quæ ipsis inutilis vi-

1. *Thesaurus resolutionum* S. Congregationis, tom. LVII, pag. 8 et seq.; tom. XCVI, p. 543, 550; tom. XVII, pag. 20.

debatur, nisi forte crearentur canonici honorarii ad auxiliandum canonicis senioribus, vel ad inserviendum in minoribus servitiis. Hodiè, tum intra Italiam, tum in aliis regionibus, prævaluit disciplina creandi canonicos ad honores; de illius legitimitate omnes consentiunt, modo caute servetur in praxi (nº 386).

382. — *Quæ sint bona temporalia capitulis et canonicis attributa?*

Capitulum, quatenus collegium rite institutum, potest habere temporalia bona, quæ in totius communitatis utilitatem administrat; sunt insuper bona quæ ad singulorum canonicorum commodum destinantur, scilicet: *Præbendæ, Distributiones quotidianæ et distributiones manuales.*

I. *Præbenda* est jus percipiendi proventus bonorum temporalium quæ titulo canonicatus, seu canoniæ, sunt annexa. Regula generalis est juris ut officio ecclesiastico assignetur bonum temporale quo clericus suæ sustentationi provideat; quamobrem jure communi præbenda connecti debet canonicatui, unaque cum illo conferri. « Non est « congruum, ait Alexander III, ut præbenda careat qui in « canonicum noscitur esse receptus. » (Cap. *Relatum*, 9, de PRÆBENDIS.) Attamen, animadvertit Fagnan, « quamvis « canonicus esse non potest sine spe et expectatione præ« bendæ, actualis præbenda non est de substantia canoni« catus. » (In cap. *Dilectus*, nº 8, de PRÆBENDIS, lib. III, Decretalium. — Reiffenstuel, eod. tit., nis 58-65.) Infra dicetur quatenus in Galliis, pensiones solutæ canonicis a gubernio locum teneant præbendarum, (nº 594). Apud canonistas *Grossi fructus* dicuntur proventus præbendæ qui clericis obveniunt vi sui tituli, independenter ab assistentia tali, talive officio, ut distinguantur a distributionibus quotidianis, de quibus nunc.

II. *Distributiones quotidianæ* vocantur ea pars fructuum beneficii, canonicatus scilicet, qui percipiuntur a canonicis ratione singularum partium officii divini, quibus præsentes

fuere realiter, aut præsentes fuisse reputantur ex fictione juris. Concilium Tridentinum jussit, ad fovendam diligentiam canonicorum, ut in singulis ecclesiis cathedralibus et collegiatis, ubi deessent bona speciatim assignata distributionibus quotidianis, Episcoporum cura etiam tanquam Apostolicæ Sedis delegatorum, separaretur pars tertia fructuum Præbendarum, quæ dividenda erit inter dignitates et canonicos officiis divinis interessentes, juxta proportionem ab iisdem Episcopis determinatam. Sancta Sedes promovere studuit instaurationem disciplinæ Tridentinæ, quando opportuna occasio se dedit. In litteris Apostolicis quibus recenter erectæ sunt sedes Episcopales in Galliis, jussit ut ex omnibus canonicatibus Ecclesiæ cathedralis, tertia pars uniuscujusque præbendæ secerneretur, ex iisque communis massa efformaretur in quotidianas distributiones canonicis assignandas qui in dies et horas canonicas præsentes adfuerint [1].

Quando liceat canonicis, qui non fuerint præsentes officiis, recipere distributiones quotidianas suo loco dicemus (n° 405).

III. *Distributiones manuales* dicuntur oblationes quæ fiunt interdum canonicis ob suam assistentiam quibusdam officiis extraordinariis, ut v. g. obsequiis, anniversariis, etc., ad quæ non tenentur vi sui tituli.

* 383. — III° *Quid sint dignitates et officia capitulorum?*

I. Præter decanum, aut præpositum, de quo supra dicebamus, sunt communiter aliæ dignitates, personatus et officia, quibus provideatur splendori, regimini, atque commodis capituli.

Dignitas est officium conferens simul præeminentiam et jurisdictionem in foro externo, id est potestatem gubernandi cum aliqua coactione. *Personatus* præeminentiam

1. Id præscriptum legitur in Litteris quibus erecta fuit sedes Episcopalis Guidovallis, an. 1855, et Ecclesia Rhedonensis in Metropolitanam evecta, an. 1859.

confert, et aliquam administrationem, sine jurisdictione proprie dicta : hujusmodi est plerumque officium præcentoris, sacristæ, etc. *Officium* simplex habet administrationem, sine præeminentia et jurisdictione in capitulo, quale esse potest officium theologalis et pœnitentiarii.

Non ita facile est determinare, in specie, quinam sint tituli qui dignitates, personatus, aut officium simplex dici debeant ; nulla siquidem est regula generalis hac de re constituta, sed statutis singulorum capitulorum et Ecclesiarum consuetudini id relinquitur. « Consuetudo, ait Bar- « bosa, plurimum operatur ad dignoscendum quæ sit « prima dignitas in aliqua Ecclesia, et ideo attenditur po- « tius solitum ipsius Ecclesiæ, quam jus commune. » (*De Canonicis*, cap. IV, n^is. 8, 9.) Dignitates ubique reputantur archidiaconatus, archipresbyteratus, et officium illius qui caput est capituli, quocumque nomine officium illud designetur. Cætera a consuetudinibus et a statutis pendent.

II. Quæritur inter doctores utrum dignitates sint de corpore capituli, an extra corpus capitulare censeantur.

« In Ecclesia sæculari, ait Card. Petra, nomine capi- « tuli venire tantum canonicos regulariter est dicendum ; « unde excluduntur dignitates, quæ non dicuntur de capi- « tulo, nisi aliter ferat consuetudo. Extra Italiam regula « est ut dignitates non sint de capitulo ; in Italia vero, « quod sint ; utraque tamen regula limitationem recipiente « ex contrario usu, si forte aderit quoad certas Ecclesias. » (*Commentaria* in Const. 1^am S. Leonis, sect. II, n° 9, tom. I.) Non ita difficile est explicare cur diversa fuerit ea de re Ecclesiarum disciplina. Nonnullæ scilicet ex dignitatibus et officiis quæ nunc habentur in capitulis, erant primitus administrationes et delegationes revocabiles. Cum vero decursu temporum evaserint in officium stabile, novum illud dignitatis stabilis incrementum plura capitula induxit ad sibi in idem corpus eos cooptandum quos ad illa officia promoverant, dum in aliis Ecclesiis vetus mansit consue-

tudo juxta quam eædem dignitates non censebantur de corpore capituli. Idem usu evenit pro cæteris quibusdam officiis ordinis excellentioris, quæ titulo suæ fundationis non fuerant connexa capitulo.

Dignitates, personatus et officia, sive annectantur præbendæ canoniali, sive titulis beneficialibus capitulo extrinsecis, conferuntur in perpetuum, jure communi. Ratio est quod tituli beneficiales dentur absolute, neutiquam vero ad nutum revocabiles; nec aliter esse debet, nisi de nonnullis in specie dignitatibus, seu officiis, prævaluerit usu diuturno consuetudo contraria.

Articulus II.— De Erectione capitulorum, et Nominatione canonicorum.

384. — I° *A quo erigi possint capitula?*

Certum est capitulum cathedralis Ecclesiæ non ab alio erigi posse quam a S. Pontifice, qui simul et Ecclesiam cathedralem designat et in ipsa capitulum constituit. Etiamsi, ob temporum difficultates, capitulum non erigeretur una simul cum cathedrali, remaneret nihilominus inter causas majores reservatas Sanctæ Apostolicæ Sedi.

Utrum idem dicendum sit de collegiata, non ita constat apud canonistas. « In puncto juris res est dubia, ait « Card. Petra, cum vere non adsint textus rem perspicue « decidentes. »

Viguit olim opinio, quam et ipsa Rota amplexata fuerat, Episcopum erigere posse Ecclesiam parochialem in collegiatam. Ita existimabant plures non contemnendæ auctoritatis viri, quos citant Card. Petra, *Comm.* in Const. VII^am^ Innocentii IV, sect. II, n^is^ 7-13; et Barbosa, *de Canonicis*, cap. II, n° 8. Suam sententiam ea ratione probaverunt, quod erectio Collegiatarum non sit natura rei nec jure canonico reservata S. Sedi, et sæpius Episcopi hujuscemodi ecclesias erexerint propria auctoritate. 1° Erectio colle-

giatæ etiam insignis non reputanda est causa major S. Sedi reservata ex ipsa natura instituti, nec ex ordinationibus juris communis. Non quidem ex se : nihil enim habet quod referat ad Ecclesiam universalem, et valde differt a cathedrali quæ Episcopo auxiliatur, illumque supplet, sede vacante. Nec etiam ex regulis juris : quandoquidem nullus affertur textus Decretalium, nulla constitutio a Sancta Sede, vel a conciliis lata, ad reservandum hoc genus negotii auctoritati supremæ S. Pontificis. 2° S. Gregorius VII statuit ut Episcopi, facultatibus Ecclesiarum, proventibus et expensis diligenter inspectis, certum in eis valeant ponere numerum clericorum et præscribere « ut bona eorum veniant in commune, in una « domo vescantur, atque sub uno tecto dormiant et quies« cant. » (Cap. *Quoniam*, 9, DE VITA ET HONEST. CLER.) Hic agitur de collegiata sæculari; et omnibus Episcopis attributa videtur facultas Ecclesias suæ diœcesis in collegiatas erigendi, quando, inspecto illarum statu, id opportunum judicaverint; quamvis enim S. Gregorius suam epistolam decretalem ad quosdam in particulari Episcopos direxerit, eo ipso quod inserta est in libro Decretalium, merito concluditur transiisse in jus commune. 3° Hac potestate sæpius olim usos fuisse Episcopos agnoscunt doctores qui secundam opinionem sequuntur; et praxim hujusmodi apud nos, ante rerum Gallicarum perturbationem, adhuc perstitisse satis probabile est ob opinionem inter canonistas Gallicos communiorem [1].

Communissima tamen opinio, quæ decursu temporum prævaluit apud canonistas, negat id juris competere Episcopis. « Hanc sententiam, licet expresso textu non fulciatur, « tamen confovent plures rationes, ait Card. Petra; tum « quia collegia nonnisi potestate Principis supremi erigenda

1. Gohard, *Traité des Bénéfices*, tom. I, pag. 93, 94; — Gibert, *Institutions ecclés.*, tom. I, pag. 470; — d'Héricourt, *Lois ecclésiastiques*, IIe partie, chap. XXI, n° 35.

« sunt, præsertim si sint collegia ecclesiastica... ; tum « etiam quia erectio collegiatæ in se est res gravis, præ- « sertim si sit insignis, quæ fere cathedrali æquiparatur ; « tum ulterius quia nequit Episcopus immutare statum « Ecclesiæ, adeo ut de Ecclesia collegiata non posset facere « simplicem parochialem... » (Loco citato, nis 8-10.)

Omne dubium ea de quæstione removit praxis curiæ Romanæ et auctoritas S. Congregationis Concilii quæ in eo sensu pluries respondit[1]. Hæc doctrina commodum valde notandum habet, quod nulla exinde subsit difficultas de valore erectionis collegiatæ, et capitulum firmiter in futurum stabiliatur; nam successores Episcopi non valent illius statum immutare.

385. — II° *Utrum creatio dignitatum et canonicatuum reservetur Sanctæ Sedi, sicut erectio capituli?*

S. Pontifex consuevit unam dignitatem aut plures instituere in actu ipso erectionis capituli; aliquoties insuper designat numerum canonicatuum : quæstio est an Episcopus valeat alias dignitates suo capitulo adjungere et adaugere numerum canonicatuum.

I. Quod ad *dignitates* refert, communiter admissum est Episcopum non posse quidem instituere dignitates inusitatas in Ecclesia ; nihil vero obstare, ex parte saltem disciplinæ communis, quominus dignitates jure vel longa consuetudine creatas erigat cum assensu sui capituli, v. g., archidiaconatum, archipresbyteratum, præposituram..... Disceptatis olim dubiis, in causa S. Congregationi proposita, an possit Episcopus erigere præposituram secundam dignitatem in una collegiata ; an in eadem in qua non est præfinitus numerus canonicorum, possit erigere canonicatum ; rescriptum est ad utrumque : *affirmative, de consensu capituli.* (*Thesaurus Resolutionum*, tom. XXXV, page 12.)

1. Card. de Luca, *Discurs.* XIV de Beneficiis, n° 12. Lucidi, *de Visit. Sac. Liminum*, part. Iª, de 1° *relationis capite*, n° 6, art. II, n° 89. — Part. II, n° 8.

Duo sunt officia quæ, ita statuente concilio Tridentino, Episcopus constituere debet, scilicet officium Theologalis et Pœnitentiarii; quocirca una præbenda assignanda est quæ perpetuo annexa futura sit officio theologalis, altera eodem prorsus modo annecti debet officio pœnitentiarii, qui confessiones in Ecclesia audiat. Episcopi erit invigilare ut uterque suo officio debite fungatur juxta disciplinam communem et consuetudines locorum, quemadmodum infra dicetur. (Concilium Trid., sess. v, cap. I; sess. XXIV, cap. VIII, *de Reform.*)

386. — II. Quoad creationem *canonicatuum*, distinctione opus est inter capitula quibus præfixus est numerus canonicorum, et alia capitula.

Si præfixus non sit numerus, omnes canonistæ docent Episcopum posse novos canonicatus constituere, modo tamen singulis assignet præbendam, seu proventus certos qui locum præbendæ teneant, quod a jure requisitum diximus. Hanc facultatem Episcopis competere innuunt, imo potius declarant decisiones allatæ S. Congregationis.

Si præfixus fuerit numerus, examinandum venit an illa determinatio numeri facta sit decreto absoluto S. Pontificis, aut tantummodo ob rationem proventuum qui impares censentur pluribus canonicis. In priori casu, servari oportet decretum apostolicum. Sit in exemplum Breve *Sancti Dionysii* (12 oct. 1872) datum a Pio IX pro recentiori constitutione capituli Sancti Dionysii, quod ita statuit : « Capitulum... ex canonicis conflatum erit duas in « classes distinctis, ex his nimirum qui episcopali digni« tate fulgeant, atque ex iis qui presbyteralis sint ordinis. « Utraque classis, præter dignitatem, duodecim ad summum « canonicis constabit. » In secundo casu, Episcopus valet numerum canonicatuum adaugere, modo simul adaugeantur proventus; cum decretum erectionis numerum non determinaverit nisi ut mensa capitularis sufficiens sit ad providendum sustentationi titularium.

In Galliis capitula Ecclesiarum cathedralium non sunt *numerata*. Pensiones a gubernio civili solutæ locum tenent totidem præbendarum distinctarum. Fas proinde erit Episcopo augere numerum canonicatuum, sub ea conditione præmissa quod procedat cum assensu capituli, et quod insuper præbendæ constituantur. Non expedit tamen exsequi erectionem titulorum, nisi accesserit consensus principis sæcularis ; alias non sufficienter removebuntur difficultates quæ serius ocius obvenient, si deliberationes capituli deferantur ad gubernium, non quidem jure canonico id concedente, sed juxta ordinationes civiles ; v. g., quando agitur de deputatione vicarii capitularis, vel etiam de regimine bonorum temporalium.

III. Cum canonicatibus *ad honores* nulla annexa sit præbenda, facilior est novorum titulorum creatio. Ne tamen vilescat institutio, ea est disciplina Ecclesiæ ut parce admodum et non nisi ad munerandа alicujus personæ merita, vel divinum cultum augendum et amplificandum, titulus canonicatus tribuatur. « Non ultra modum augeri debet « numerus canonicorum *ad honores*, aiunt Patres concilii « Burdigalensis, an. 1850, et eo titulo debent præcipue « capitulo aggregari, qui choro interesse possint, et Eccle- « siæ cathedrali inservire. » (Tit. IV, cap. VIII.) In Ecclesiis cathedralibus noviter erectis, necnon in statutis capitularibus recens approbatis, Sancta Apostolica Sedes providit ne plusquam viginti crearentur canonici honorarii ; imo cathedrali nuper erectæ decem duntaxat concessit [1] ; quod satis indicat quam moderate procedendum sit, in ipsis etiam Ecclesiis quarum statuta nihil super ea re præfinierunt [2].

1. In litteris apostolicis quibus erigitur eccl. cathedralis Vallis-Guidonis (Laval), ita statuitur de canonicis honorariis : « Fas esto ut « aliquorum canonicorum honorariorum numerus addatur, qui tamen « titulariorum canonicorum numerum minime excedat, nullamque « vocem gestionemque in capitulo habeant. » An. 1855.

2. Nominatio canonicorum honorariorum prærequirit Ecclesiam

* 387. — III° *Quibusnam jure competat collatio dignitatum et canonicatuum?*

I. Jure communi, per regulas Cancellariæ Romanæ stabilito, reservantur S. Sedi : 1° Collatio primæ dignitatis post episcopalem (regula IV^a^) ; 2° collatio omnium dignitatum et canonicatuum quæ vacant octo determinatis mensibus, aut sex alternis mensibus, prout cum Episcopo conventum fuerit (IX^a^ regula); 3° collatio dignitatum et canonicatuum quæ vacant in curia Romana, id est quorum titulares decedunt Romæ, aut suo beneficio privantur sententia curiæ Romanæ (I regula) ; 4° tandem collatio dignitatum et canonicatuum quæ vacant sede episcopali vacante et Episcopo attribuebantur (II^a^ regula).

Qui supremam auctoritatem habet in regimine Ecclesiæ universalis, potest procul dubio, quibus utile judicaverit, dignitates et beneficia conferre. SS. Pontifices eo jure ab antiquis temporibus usos fuisse, ante scilicet ætatem Joannis XXII qui regulas cancellariæ conscribi curavit, exstant exempla in epistolis sancti Gregorii Magni. Hanc disciplinam quæ apud Ecclesias Galliarum non secus ac in aliis regionibus invaluit, sancivit Concordatum Leonis X cum Francisco I, tametsi paulo temperatam. A tempore autem novi concordati, an. 1801, SS. Pontifices usi non sunt jure reservationum quoad nominationem canonicorum. Vix aliter hodie res ordinari posset; quia gubernium civile illos solos canonicos agnoscit quos nominavit Episcopus et gratos habuit ; quoad dignitates vero capituli, nihil obstare videtur quominus reserventur, dummodo non aliis conferantur quam canonicis titularibus.

388. — II. Collatio canonicatuum non reservatorum Sanctæ Sedi, pertinet jure communi, consuetudinibus at-

cathedralem rite designatam et capitulum constitutum, quæ omnia post hierarchiæ episcopalis erectionem definiri et statui solent; unde sequitur vicariis apostolicis fas non esse nominare canonicos honorarios, cum capitulum non habeant.

que statutis inducto, una simul ad Episcopum et ad capitulum, adeo ut, vel utraque pars consensu mutuo eadem beneficia conferat; vel, si simultaneitas sit nimium difficilis in praxi, consentiant Episcopus et capitulum ut alternis vicibus canonicatus conferantur, tum ab Episcopo, tum a capitulo. Canonistæ arbitrantur jus illud, simultaneæ collationis exinde primitus ortum duxisse, quod massa communis bonorum quibus providebatur canonicis, pertinuerit tam ad capitulum quam ad Episcopum; quapropter æquum visum fuit ut nullus admitteretur in participationem bonorum nisi utraque parte assentiente, qui mos permansit etiam post peractam divisionem massæ in præbendas distinctas.

Diximus jus collationis inductum fuisse *consuetudinibus aut statutis* locorum. Nulla prodiit e conciliis œcumenicis, nec ex autoritate apostolica, lex generalis quæ ordinem servandum hac in re indixerit. Textus juris qui allegantur a quibusdam canonistis. casus propositos resolvunt in hypothesi consuetudinis vigentis in Ecclesia pro qua consulebatur Sancta Sedes[1]. Cæterum omnes æque docent rationem habendam esse consuetudinis, « quæ in electionibus « et beneficiorum collationibus spectanda est, ait Fagnan... « sive consuetudo det soli prælato hanc collationem... sive « illam det capitulo tantum... dummodo sit legitime præ- « scripta. » (In cap. *Cum Ecclesia Vulterana,* n^is^ 25-27.) Non aliam regulam assignat Schmalzgrueber : « Quoad « hoc attendenda sunt specialia Ecclesiarum vel persona- « rum privilegia, statuta, consuetudines, fundationes : « nam aliquando canonicatuum collatio pertinet ab Epis- « copum et capitulum simul, aliquando ad solum Episco-

1. Ita præ cæteris caput *Cum Ecclesia Vulterana*, 31, DE ELECTIONE, lib. I Decret., et etiam nostro quidem sensu, Cap. *Postulastis*, 15, DE CONCESSIONE PRÆBENDÆ, licet plures viri magnæ auctoritatis illud aliter interpretentur. Cf. Fagnan, in cap. *Cum Ecclesia Vulterana*, n^is^ 1-17; et in cap. *Postulastis* n^is^ 2-4.

« pum, vel ad solum capitulum. » (In tit. DE PRÆBENDIS, n° 48.) Igitur, consuetudo potuit conferre Episcopo, ad exclusionem capituli, jus conferendi canonicatus.

Hæc consuetudo viget in Galliis a tempore concordati; nec dubitamus quin retineri possit quoadusque S. Sedes aliter ordinaverit: sunt enim omnes conditiones ad legitimam consuetudinem requisitæ : 1° Episcopi sibi reservaverunt electionem et nominationem canonicorum ab ipsa origine hodiernorum capitulorum, et Card. Caprara, Legatus *a latere*, non solum nihil ea de re ipsis objecit, sed ex officio approbavit nonnulla statuta capitularia in quibus Episcopi expressis verbis declarabant sibi suisque successoribus reservari hanc electionem; unde Episcopi concludere potuerunt se nihil in eo agere contra mentem S. Sedis. Decursu temporum S. Sedes approbavit statuta quæ eamdem disciplinam retinent[1]. 2° Praxis Episcoporum firmata est tempore ad legitimam consuetudinem sufficienti, ut cuique apertum est; nec ulla orta fuit reclamatio sive ex parte S. Sedis, sive ex parte capitulorum. Nec dicatur canonicos idcirco non reclamasse quod ignoraverint jus suum, aut forte pertimuerint consectaria suæ reclamationis. Qui canonicatus habuerunt primis temporibus a Concordato, vixerant sub veteri regimine et apprime noverant quid olim in usu esset. Si reclamandum duxissent, id multoties absque ullo sui periculo potuissent; nullæ tamen motæ sunt controversiæ ad annos usque proxime elapsos, nullæ querelæ ad S. Sedem delatæ contra praxim Episcoporum.

1. Statuta data capitulo Eccl. Diniensis et approbata a Gregorio XVI die 15 April., an. 1843, hæc jura adscribunt Episcopo in cap. I, art. VI : « Canonicatus tum titulares, tum honorarios conferre nobis « unice reservamus. » Eadem servantur in aliis statutis recentiori tempore æque approbatis a S. Sede. In statutis cap. Moliniensis, dicitur art. VI : « Episcopi Molinensis erit canonicatus nunc existentes « conferre, excepta prima dignitate ab Ap. Sede conferenda ad præ« sentationem Episcopi. » — Art. XI : « Honorarii canonici ab Epis« copo nominabuntur, consulto et assentiente capitulo. »

3° Nihil obstat ex parte objecti, seu ex natura et fine capitulorum, de quo omnes canonistæ consentiunt. Fundamentum quod nonnulli assignant veteri juri introducto in gratiam capitulorum, scilicet in origine prima præbendarum, non subsistit in statu præsenti rerum; nam capitula nihil sibi vindicare possunt ex pensionibus quas gubernium solvit singulis canonicis.

Praxis hodierna id habet utilitatis ut pacem servet in clero et concordiam foveat inter capitula et Episcopos. Si enim electio ex parte ad capitulum pertineat, timendum est ne plures clerici dignitatem canonicatus ambitiose contendentes, omni ope et opera enitantur aucupari favores quorumdam canonicorum, adeo ut capitulum divisionibus partium agitetur et via aperiatur factionibus. — Insuper exinde securius servatur concordia; nam dissidia, quibus tam frequenter pax olim conturbata fuit in pluribus diœcesibus, oriebantur ex conflictu jurium præteritorum, simul et ex vario modo quo canonici assumebantur independenter ab Episcopis[1]. Collegia, quando studiis in partes contrarias moventur adversus Prælatum, difficile ab iis se expediunt; contentiones diu perdurant, et perpetuantur ipsamet electione membrorum ab eodem collegio iisdemque animis præoccupatis facta, dum Episcopus remedium sæpius attulisset moderato prudentique usu juris canonicos ipse deligendi... Sub quocumque igitur respectu consideretur consuetudo de qua agimus, legitima est.

Episcopi exercitium sui juris temperare possunt, communicando capitulo nomina illorum quos promovere intendunt, ut vota secreto exquirant, ea fere ratione qua utitur S. ipse Pontifex, qui in consistorio secreto vota postulat S. Collegii circa promovendos in dignitatem cardinalitiam.

1. Cf. La Luzerne, *Droits et Devoirs respectifs des évêques et des prêtres*, IVe dissert., art. III, n° 15.

389. — IV° *Quinam assumendi sint ad dignitates capituli et ad canonicatus?*

1° Juxta decretum concilii Tridentini, omnes canonicatus Ecclesiarum cathedralium habere debent annexum ordinem presbyterii, diaconatus, vel subdiaconatus, « ita « tamen ut dimidia saltem pars presbyteri sint, cæteri « vero diaconi aut subdiaconi; ubi vero consuetudo lau- « dabilior habet ut plures vel omnes sint presbyteri, om- « nino observetur. » (Sess. XXIV, cap. XII.) Hæc consuetudo apud nos observatur; quamobrem requiritur ut assumendus sit presbyter, aut saltem ut presbyteratu initietur intra annum, a die suæ promotionis.

2° Concilium ibidem hortatur, non injungit, « ut in pro- « vinciis ubi id commode fieri potest, dignitates omnes et « saltem dimidia pars canonicatuum in cathedralibus et « collegiatis insignibus, conferantur tantum magistris vel « doctoribus, aut etiam licentiatis in theologia vel jure « canonico. »

3° Benedictus XIII indixit litteris apostolicis *Pastoralis officii*, an. 1725, ad omnes Episcopos per Italiam et insulas adjacentes constitutos directis, ut præbenda theologalis et pœnitentiaria conferatur doctori in sacra theologia, vel qui infra annum lauream doctoralem in eadem facultate suscipiat, et cæteroquin magis idoneo in concursu ab examinatoribus renuntiato, eo fere modo quo parochiales Ecclesiæ jure communi conferuntur [1]. In decreto Pii IX, ubi *primum placuit*, an. 1859, quo sedes Rhedonensis ad dignitatem Eccl. Metropolitanæ erecta est, dicitur de capitulo: « Tum parochialis, tum theologalis, tum pœnitentiaria « præbendæ per concursum juxta sacrorum canonum « præscripta, erunt conferendæ. » Eadem sanciuntur in litteris apostolicis recentius datis pro capitulo insignis

1. Bulla Benedicti XIII ex integro legitur apud Ferraris, v° *Canonicatus*, art. IX, n° 88. — Idem statutum fuit pro Ecclesiis Angliæ, in concilio provinciali Westminsterii habito an. 1852.

Basilicæ sancti Dionysii; quod satis indicat mentem Ecclesiæ Romanæ esse ut hæc disciplina invalescat in praxi, licet non fuerit hucusque jure communi indicta.

390. — V° *Utrum principibus sæcularibus pars aliqua competat, vi concordatorum aut consuetudinum, in collatione canonicatuum Ecclesiarum cathedralium?*

Canonistæ Germani late disserunt, in suis commentariis tituli DE PRÆBENDIS, de *primis precibus imperatoris ac regis Romanorum*. Plures dicunt imperatori competere, postquam electus fuerit, jus designandi personam idoneam cui conferri debeat primum beneficium vacaturum in unaquaque Ecclesia; quam facultatem ortam asserunt ex longæva consuetudine, et ex indultis apostolicis. Idem asserebant scriptores Galli de prærogativis regum Galliæ, qui jura etiam magis extensa sibi tribuerunt ex triplici capite : 1° titulo Regaliæ, de quo diximus in I^a parte; 2° occasione susceptionis regni, quod dicebatur *droit de joyeux avènement;* 3° occasione jurisjurandi quod singuli Episcopi præstabant quando promovebantur ad sedem episcopalem. Quidquid sit de priori titulo, duo postremi nullo fundamento canonico innitebantur; siquidem nec privilegium apostolicum allegatur, nec constans ac placida possessio quæ vi diuturnæ consuetudinis firmata fuerit. Reclamationes cleri Gallicani, et frequentes discussiones exortæ inter præsules et magistratus, certo argumento sunt hanc praxim non aliam habuisse originem quam voluntatem arbitrariam principum cui cedere coacti fuerunt Antistites [1].

Huic quæstioni discutiendæ, quæ ad praxim nihil refert in præsenti rerum statu, immorari supervacuum est.

1. *Mémoires du Clergé*, tom. XI, pag. 1170 et seq.; — Gohard tom. III, pag. 250 et seq.; — *Ami de la Religion*, tom. III, pag. 337 : Dissert. *du Droit de joyeux avènement.*

ARTICULUS III. — DE STATUTIS CAPITULORUM.

391. — Omne collegium propriis statutis regitur quibus ad suum finem tendat. Capitula Ecclesiarum cathedralium et collegiatarum habere proinde debent statuta, quibus cuncta quæ ad regimen suum spectant, item ad choralia signa canonicorum, ad divinorum officiorum celebrationem, cæremonias ac ritus, aliaque munia obeunda per capituli dignitates, constituantur et determinentur.

Non intendimus in præsenti ea recensere et perpendere quæ esse possunt objectum statutorum, sed præsertim inquirere qua auctoritate sint determinanda.

Omnes consentiunt recurrendum fore ad S. Pontificem, si aliquid contrarium sit juri communi in statutis condendis; sed quæstio versatur circa auctoritatem Episcopi, et circa jus ipsius capituli. Itaque :

*392. — I° *Utrum Episcopus valeat condere decreta quæ disciplinam a capitulo servandam statuant?*

Episcopus potest, jure proprio, condere decreta quibus provideat statui capituli Ecclesiæ seu cathedralis, seu collegiatæ, ut nempe capitulum fideliter servet leges communes, ac finem ab Ecclesia intentum certius assequatur.

In decursu expendendum veniet utrum Episcopus, antequam ordinationes edicat, debeat requirere consilium capituli; in præsenti sufficiat jus ipsum stabilire, quod Episcopo assertum dicimus, condendi decreta, dummodo nihil cæteroquin statuat contrarium disciplinæ communi, probatisque consuetudinibus.

Prob. 1° *Ex principio generali.* Episcopus habet potestatem legislativam, quæ in omnes personas, atque in omnia etiam instituta suæ diœcesis extenditur, salvis privilegiis ac exemptionibus, si quæ fuerint concessa : atqui canonici, sive singuli considerentur, sive quatenus collegium efficiunt, huic auctoritati subduntur, nec est regula juris

communis, ullumve privilegium generale, quo ab illa auctoritate eximantur; ergo non est cur Episcopus non valeat mandata seu leges condere quæ vim habeant obligandi tum canonicos qua tales, tum ipsummet capitulum, modo intra limites juris communis se sistat, nullumque detrimentum inferat legitimis juribus capitulorum.

Prob. 2° *Auctoritate Congregationum Romanarum.* Multis subortis dubiis ex parte capitulorum contra decreta episcopalia quibus Episcopi præscripserant canonicis ut sibi pontificalia exercentibus assisterent, ut partem divini officii cantando persolverent, ut vacationes jure concessas disponerent modo quo divini cultus dignitati non detraheretur plurium simul absentia, ut tempore vacationum e diœcesi non egrederentur nisi petita licentia, aliaque innumera puncta ad bonum disciplinæ conducentia, Congregationes Romanæ responderunt obtemperandum esse decretis episcopalibus. Ergo certum est jus Episcopi : potest utique edicere decreta quibus capitulum ad normam juris communis regatur, ac simul serventur probatæ consuetudines locorum, et privilegia quæ capitulum diuturna præscriptione obtinuerit.

Quod si tamen reperiatur capitulum exemptum ab episcopali jurisdictione Ordinarii, aliter dicendum erit, modo exemptio probetur. In Galliis unum solum est capitulum quod tali exemptione potiatur, scilicet capitulum insignis collegiatæ Sancti Dionysii, quod fuit canonice erectum litteris apostolicis 31 martii 1857.

* 393. — II° *Utrum capitulum jus habeat sua statuta condendi, et quæ sit vis horum statutorum?*

I. Capitulum potest facere statuta, quibus suo interno regimini provideat, modo nihil determinare præsumat contrarium juri communi, et regulis ab Episcopo præscriptis.

Prob. 1° *Auctoritate canonistarum,* quos in eo consentientes reperimus. « Capitula, ait Pignatelli, possunt « aliqua decernere circa ea quæ pertinent ad capitulum, ut

« docent communiter doctores; quia capitulum seorsum « ab Episcopo est quoddam corpus, et ideo potest habere « proprium motivum quo se dirigit, secundum propriam « exigentiam. » (Tom X, consult. 138, nº 16.) — Reiffenstuel : « Potest capitulum condere aliqua statuta de his quæ « tangunt particularia ipsius capituli negotia, aut proprios « capitulares concernant circa rectam ordinationem Ec- « clesiæ seu capituli... Talia statuta ex causis rationabili- « bus potest facere capitulum; et, concurrentibus cæteris « requisitis conditionibus, sunt valida, absque alio ex- « presso consensu Episcopi. » (In tit. DE CONSTITUTIONIBUS, tit. II, lib. I, nº 87.) « Les chapitres ont droit de faire des « statuts, *ait* Ducasse; c'est un point dont les canonistes « conviennent. » *Traité des droits des chapitres*. Barbosa, *de Canonicis*, cap. XLII, nº 16. Ferraris, vº *Capitulum*, art. III, nis 1, 2, 75.

Prob. 2º *Ratione deducta ex principiis juris* quoad Universitates, seu Collegia. Capitulum est corpus morale legitime constitutum; atqui omnis communitas rite erecta habet, jure communi, facultatem sibimet providendi per statuta quorum ope feliciter regatur atque suum proprium finem attingat. Igitur omnia quæ sunt regiminis interni, quæ ad ordinationem chori, quæ ad obventionum quotidianarum distributionem, quæ ad cœtus capitularis convocationem modumque deliberandi, quæ ad suæ mensæ bonorum administrationem, hæc, inquam, capitulum ordinare valet per sua statuta.

394. — II. Quæ sit conditio horum statutorum : utrum haberi debeant veluti leges, quæ proinde stabili jure permaneant et successores canonicorum obligent; an dicendæ sint meræ ordinationes de quibus canonici inter se consentiunt, non constat.

Plures existimant capitulum habere, in iis quæ suum statum respiciunt, veram jurisdictionem, potestatem nimirum legislativam; quamobrem vim legis tribuunt statu-

tis a capitulo conditis. Alii arbitrantur hanc jurisdictionem capitulo non competere; unde concludunt statuta non alio titulo obligare, quam vi conventionis cui omnes subscribunt observandi ea quæ a majore parte fuerint regulariter constituta; et, quoad successores, vi promissionis, vel etiam forte juramenti quo spondent se statuta servaturos, dum admittuntur in collegium.

Utrinque afferuntur declarationes Rotæ et S. Congregationis Concilii; nihil vero prorsus peremptorium allegatur ab alterutra parte, quia nulla unquam prodiit ea de re definitio quæ controversiam auctoritative dirimat. Asseritur in quibusdam relationibus decisum fuisse a Rota, potestatem legislativam remanere penes capitulum super suis rebus et negotiis; hanc jurisdictionem SS. Pontifices capitulis concessisse. Sed assertio datur more theologorum, non ut certa definitio Rotæ. Alias Sancta Congregatio Concilii, dubio proposito circa potestatem capituli in statuendo pœnas contra infractiones statuti, censuit capitulum posse adjicere suis statutis pœnas quasi conventionaliter, ex his scilicet quæ pacto privatorum promitti ac in conventionem adduci possunt, sed canonicos successores non affici hujusmodi statutis, nisi fuerint ab Episcopo confirmata. Fagnan, qui hanc declarationem refert tom. I, DE CONSTITUTIONIBUS, in cap. *Cum omnes*, n° 43, animadvertit statutum pœnale a capitulo conditum non valere tanquam legem, « quia capitulum jurisdictione caret, et facultas imponendi « pœnam a jurisdictione procedit. » (N° 38, loc. cit.)

Hæc cum ita sint, cum scilicet nullus afferatur textus juris quo SS. Pontifices concesserint capitulis potestatem legislativam; nec aliunde probetur hanc potestatem ipsis obvenisse vi consuetudinis universalis; concludimus rem esse valde dubiam, et potius præsumendum capitula non habere potestatem legislativam, sede plena, ne in iis quidem quæ sunt sui regiminis. Dicemus proinde cum Andreucci : « Capitulum potest cum dependentia ab Epis-

« copo, tanquam a suo superiore, minora quædam quæ « pertinent ad bonum ordinem et regimen capituli, sta- « tuere etiam sine expresso consensu ac confirmatione « Episcopi ; eaque statuta non erunt in rigore leges, sed « ordinationes quædam sub aliqua fidelitate obligantes. » (*De tuenda pace et concordia inter Episcopum et capitulum*, n° 138. — Cf. Suarez, *de Legibus*, lib. IV, cap. VI, n^{is} 11-13.)

395. — III° *Quid juris concessum sit Episcopis Galliarum, relative ad statuta capitularia?*

I. In Concordato. art. XI, admissum fuit Episcopos posse unum capitulum in cathedrali Ecclesia habere. Pius VII igitur dedit, per Bullam *qui Christi Domini*, Cardinali Caprara, Legato a *latere*, amplissimas facultates ad procurandum erectionem capitulorum, ad probandum illorum statuta, et ad concedendum dignitatibus et canonicis insignia choralia quæ illis convenire judicaverit, cum potestate easdem facultates subdelegandi.

Cardinalis, vi hujusce constitutionis apostolicæ, concessit Archiepiscopis et Episcopis primo futuris, ut post consecutum regimen suæ Ecclesiæ, capitulum ipsi erigere possent, juxta forman sacris conciliis præscriptam, et adjecit : « Iisdem Episcopis curæ erit ut quæ pertinent ad « capitulorum erigendorum prosperum et felicem statum, « regimen, gubernium, directionem, divinorum officiorum « celebrationem, cæremonias ac ritus in iisdem ecclesiis « earumque choro servandos, ac alia quælibet per eorumdem capitulorum dignitates et canonicos obeunda mu- « nia, pro eorumdem Episcoporum arbitrio et prudentia « definiantur et constituantur ; relicta tamen eorum suc- « cessoribus statutorum illorum respectivorum immutan- « dorum facultate, requisito prius capitulorum consilio, si, « attentis circumstantiis, id utile et opportunum judicave- « rint. In ipsis autem statutis vel condendis, vel immutan- « dis, religiosa sacrorum canonum observantia retineatur,

« usuumque ac consuetudinum laudabilium antea vigen-« tium, præsentibusque circumstantiis accommodatarum, « ratio habeatur. »

Eadem summarie commissa sunt Episcopis per Bullam *Paternæ pietatis* datam 6 oct. anno 1822, pro novarum sedium episcopalium constitutione ac capitulorum erectione; in qua tamen, quod est notatu dignum, nulla fit mentio facultatis relictæ successoribus immutandi statuta quæ primi Episcopi condiderint.

396. — II. Hinc orta sunt nonnulla dubia; quæsitum enim fuit præsertim : 1° Utrum subdelegatio data fuerit a Card. Legato omnibus in futurum successoribus Episcoporum, aut tantummodo *primo futuris?* 2° Quid sentiendum sit de statutis capitulorum a tempore concordati conditis, quæ minus conformia sunt regulis juris canonici?

I. Circa extensionem subdelegationis non una est omnium sententia. Communius existimatum est, a tempore Concordati ad annos proxime elapsos, delegationem datam fuisse, non solum primis, sed etiam futuris successoribus Episcoporum; quod deduxerunt ex sensu obvio verborum, ex interpretatione data ab initio et per decursum temporum, et ex fine quem Card. Legatus intendebat.

1° Verba decreti : *relicta eorum successoribus facultate statutorum immutandorum*, si sensu obvio sumantur, non aliam habent, significationem; juxta enim consuetum usum loquendi, omnes qui successive sedem Episcopi primo instituti occupant, æquo jure nuncupantur illius successores, Hæc eo magis urgent quod in decretis S. Sedis eodem tempore, de aliis negotiis editis, agitur de successoribus *primo futuris*, dum in litteris, de quibus nunc, dicitur simpliciter *eorum successoribus*, etc...

2° Id persuasum habuere ab initio et per decursum temporum Antistites Galliarum. Alii in ipsismet statutis prima origine datis reservaverunt suis in futurum successoribus jus illa immutandi, ipsomet Cardinali Legato non

abnuente [1]; alii plures hoc jure indubitanter usi sunt in pluribus diœcesibus. Unum præ aliis citabimus DD. Sibour, Episcopum Diniensem, qui nova statuta confecit vel promulgavit cum obtenta approbatione apostolica, an. 1843. Non aliter judicaverunt concilia plura recens in Galliis habita, imprimis concilia provinciæ Parisiensis, Remensis et Turonensis, quod ex illorum decretis patet. « Cum pro« mulgata fuerint hujus concilii decreta, aiunt Patres con« cilii Remensis, *Episcopus quisque sui capituli statuta*, « regulis supra expositis, juxta normam sacris canonibus « præscriptam, *accommodabit*, *requisito prius ejusdem capi« tuli consilio*, ut fert rescriptum a Card. Caprara, Legato *a « latere*, die nona aprilis an. 1802 datum ; servatis capitu« lorum cathedralium juribus, secundum posteriora Apos« tolicæ Sedis acta. » (Tit. XIV, cap. III.) Concilium item Turonensis provinciæ declaravit observanda esse statuta hodierna capitulorum « quoadusque Sancta Sedes aliter « statuerit, vel *Episcopus virtute decreti præcitati* (Card. Ca« prara) *ea* aut *proprio motu*, aut prævio concilii provin« cialis judicio, perspecta opportunitate, *requisito prius ca« pituli consilio, immutaverit.* » (Decret. V.)

3° Cardinalis Legatus facultates subdelegando, prospiciebat futuris temporum opportunitatibus; facile enim erat conjicere, in hac tempestate, adventuras rerum vicissitudines quæ aliquam immutationem expostularent in statutis tunc condendis. Porro ut capitulorum utilitatibus futuris provideret, debuit subdelegare non solum Episcopos prima vice institutos, sed in futurum successores ; unde finis intentus a Cardinali plene consentit sensui obvio verborum et communissimæ nostrorum Antistitum interpretationi.

1. Art. XIII statutorum capituli Suessionensis quæ fuerunt approbata a Card. Caprara, sic se habet : « Nous nous réservons et à nos sucesseurs d'expliquer et d'interpréter tout ce qui est déjà statué par les articles ci-dessus ; et d'ajouter ou retrancher ainsi qu'il sera jugé plus utile pour le bien de l'Église et l'avantage du chapitre. »

397. — II. In statutis quæ primi Antistites, illorumve successores, a Concordato anni 1801, condiderunt, tria sunt præcipue quæ ab antiquis constitutionibus capitulorum recedunt. Scilicet : 1° Capitulum dicitur unum corpus efficere cum Episcopo, et cœtus capitulares haberi non possunt quin convocentur aut permittantur ab ipso Episcopo, qui præsidet per se, aut per vicarium generalem. 2° Duo vicarii generales, ut aiunt, *Titulares*, in cathedralibus, tres vero in Metropolitanis, adnumerantur inter canonicos, atque primæ dignitates capituli habentur, titulo Archidiaconorum. 3° Nominatio canonicorum ad Episcopum exclusive pertinet.

Hæc unanimi consensu decreta sunt ab Episcopis, inter quos plures erant zelo disciplinæ, amore Ecclesiæ, atque reverentia erga Sedem Apostolicam spectatissimi ; demum auctoritate et approbatione cardinalis Caprara, Legati *a latere*, ex delegatione S. Pontificis Pii VII agentis, firmata sunt. Exstant in archivis plurium sedium Episcopalium monumenta certa hujus approbationis [1].

Ut de eorumdem statutorum ratione judicetur, et ob quem finem edita, nonnulla sunt notanda, quæ brevius exponemus.

1. Citare sufficiat exempli causa 1° statuta capituli Suessionensis ab Episcopo Leblanc de Beaulieu condita : « Art. Ier. Le chapitre « sera composé de deux dignitaires, savoir : un doyen et un grand « archidiacre, et de huit chanoines prébendés. — Art. II. Les deux « dignités ne pourront être possédées que par les vicaires généraux « du diocèse... — Art. V. La libre et pleine collation des dignités et « canonicats appartiendra à l'évêque... — Art. XV. Nous nous ré- « servons et à nos successeurs d'expliquer et d'interpréter tout ce « qui est déjà statué par les articles ci-dessus, et d'ajouter ou re- « trancher ainsi qu'il sera jugé plus utile pour le bien de l'Église et « l'avantage du chapitre. » — His statutis adjecta fuit approbatio in forma authentica : *Nos J.-B card. Caprara, approbamus. Datum Parisiis ex sedibus nostræ residentiæ.* Die 27 nov. 1803. J.-B. CARD. LEGATUS. J. B. SALA Apostolicæ legationis secretarius. — 2° Decretum erectionis capituli Aquensis : « Nous érigeons dans notre Église mé- « tropolitaine un chapitre composé de neuf membres et de nos trois

398. — 1° Statuta, quatenus eo tendunt ut capitulum efficiat *unum corpus morale cum Episcopo*, sine cujus assensu nequeat suos conventus habere, videntur novitatem induxisse; tamen si res attentius consideretur, satis consonat primævæ conditioni capitulorum, nec abludit ab intento Ecclesiæ in ultimis sæculis. Et quidem si ad originem usque instituti regrediamur, capitulum confunditur cum presbyterio Ecclesiæ episcopalis, cujus Episcopus, ut paterfamilias, dux et caput erat, ad cujus nutum cuncta regebantur communi consilio. — Si ad disciplinam concilii Tridentini

« vicaires généraux... — Nous aurons soin d'ordonner et d'établir ce « que nous jugerons nécessaire ou utile au bien de notre susdit cha« pitre... Nous nous réservons néanmoins, à nous et à nos succes« seurs, de changer ou de modifier ces statuts si les circonstances « nous le font juger utile et convenable. » Ita fuit approbatum : « Nos J.-B, Cardinalis Caprara... Erectionem Capituli Ecclesiæ « Aquensis a R^ssmo Archiepiscopo, vigore præsentis decreti factam, « Apostolica auctoritate confirmamus; ita tamen ut si theologalis « et pœnitentiaria Præbendæ nondum institutæ sint, quam primum « fieri poterit erigantur : Datum Parisiis die 25 octobris 1804. J.-B. « *card. legatus.* » — J. A. *Sala*, Apostolicæ legationis secretarius. — 3° Statuta capituli Montispesulani, in quibus eadem admittuntur de compositione capituli, de ipsius dignitatibus iisdem vicariis generalibus attributis, etc., etc, : hæc statuta eadem ratione quam cætera probantur a Legato sub ea forma : *De speciali et expressa auctoritate apostolica a SS. D. N. Pio, nobis benigne concessa, erectionem capituli cathedralis Eccl. N... ejusque statuta a R. Episcopo concinnata, approbamus et confirmamus.* Die 28 julii 1804. — J.-B. CARD. LEGATUS. — J.-A SALA, Ap. leg. Secret.

Cardinalis non reputabat necessariam hujusmodi approbationem, ut ipse testatur in Epistola ad cardinalem Cambaceres, die 28 martii 1803; unde plures Episcopi minus solliciti fuerunt de illa obtinenda, existimantes se sufficienti potestate munitos vi indultorum; sed minime abnuit statuta sensu supra indicato approbare. quoties se dedit occasio. — Epistolam Card. Legati refert auctor *des Chapitres cathédraux*, ch. XXI, pag. 109, et conjicit ideo Legatum abstinuisse ab approbatione aliorum statutorum, quia animadverterat se limites sui mandati excessisse in approbatione priorum, quod gratuito asseritur : quin imo si aspiciamus ad diem in litteris Legati adscriptam, videbitur approbationes datas statutis cap. Suessionis Aquensis et Montispesulani, fuisse posteriores.

respexerimus, apparebit mentem venerabilis synodi fuisse ut capitula non se haberent seorsim ab Episcopo, sed potius ut illi, tanquam membra corporis suo capiti, unirentur et subjicerentur, quod manifestatur ex capite VI *de Reformat.* Sessionis XXV. Ibi scilicet postquam ea ordinata sunt quæ Episcopus observare debeat in visitatione capitulorum exemptorum, subditur: « Hæc autem omnia in iis Ecclesiis « locum non habeant in quibus Episcopi, aut eorum vicarii « ex constitutionibus, vel privilegiis, aut consuetudinibus, « seu quocumque alio jure, majorem habent potestatem, « auctoritatem ac jurisdictionem, quibus S. Synodus dero« gare non intendit. » Non miramur igitur si post inauditam in sæculis præteritis perturbationem, quum de novo instaurarentur Ecclesiæ nostræ, Episcopi vincula amplius stringere studuerint cum suis capitulis, ut in novis rerum adjunctis tollerentur occasiones conflictuum, atque major esset unio inter Episcopos et canonicos, ad libertatem Ecclesiæ fortius et securius propugnandam.

2° Alia dispositio statutorum capitulorum, vicarios generales constituit *membra capituli, primasque illius dignitates.* Notatu dignum est omnia concilia provincialia, habita annis quinquaginta circiter a concordato Pii VII, unanimiter declarasse vicarios generales *titulares*, haberi in nostris Ecclesiis, nomine Archidiaconorum, pro primis dignitatibus Ecclesiarum cathedralium et Metropolitanarum. Hanc disciplinam in Galliis viguisse ac etiam tunc vigere, anno 1849, testabatur concilium provinciæ Remensis: « Vicarii generales qui munus exercent Archidiacono« rum, quorum nomine insigniti sunt, apud nos habentur « ut primæ dignitates cathedralis Ecclesiæ. Ipsi in choro « et extra, post Episcopum immediate veniunt, sicut mos « apud Galliarum Ecclesias, a concordato anni 1801, « universe invaluit. Non sunt titulo canonici nec fruumtur « canonicorum juribus, neque ipsis incumbunt canonico« rum munia, nisi desumpti fuerint e capitulo, suumque

« canonicatum retinuerint. » (Tit. XIV, cap. I.) Ita iisdem fere verbis concilia Burdigalense et Claramontense provinciæ Bituricensis. — Cætera concilia ulterius progrediuntur, vel enim implicite admittunt, vel expresse docent res in eodem statu permanere quo fuerunt institutæ tempore Concordati, vicarios proinde generales reputandos esse inter membra capituli. Sic concilia Avenionense, Rhedonense. « Capitulorum institutio, aiunt « Patres concilii Avenionensis, in præsenti existens, licet « antiquiori in multis dissimilis, eadem tamen est in « essentia. Concilii Patres pro certo habent institu- « tionem hanc prorsus canonicam esse, et illius sta- « tuta, utpote ab Episcopis probata vi auctoritatis apos- « tolicæ, fideliter esse servanda. » Tit. VI, cap. IV, *de Capitulis.*

Neminem latet dignitates Ecclesiarum cathedralium, sive intra capitulum, sive extra, se exserant, affixas esse jure communi officiis perpetuis. Sed nihil obstat quominus, assentiente Sancta Sede, vel prævalente diuturna consuetudine, hæc disciplina aliqualem exceptionem admittat, ob bonum Ecclesiæ. Cardinalis Legatus amplissimas facultates subdelegaverat Episcopis ad erectionem suorum respective capitulorum, ea conditione ut *canonum simul et temporum* rationem haberent. Episcopi persuasum habuere opportunum maxime fore, temporibus accommodatum, et sin litteræ, saltem menti canonum consentiens, si vicarii generales capitulo adsciscerentur utì primæ dignitates. Existimaverunt provisum exinde dignitati vicariorum et capitulorum, felicique concordiæ instaurandæ inter Episcopum et capitulum. Capitulum nobilitatur adjunctione vicariorum; ipsis vicariis non parum dignitatis accrescit ex parte quam habent in cœtibus capitularibus; demum removetur periculum veterum simultatum, via paratur conciliationi, siquidem vicarii partes simul tenent ac jura fovent tum Episcopi quem repræsentant, tum capituli cui

incorporantur. Res sic componendo, antiquam dignitatem Archidiaconorum cum officio et conditione vicariorum unitam restituerunt, hoc pacto ut Præbenda Ecclesiæ cathedralis, pensio scilicet a Gubernio attributa, tribueretur vicario cum dignitate archidiaconatus, ab illo possidenda quamdiu munus suum servaret.

Hæc notanda duximus ut ostendatur disciplinam Ecclesiarum Galliæ in constitutione capitulorum, quæ ab inito Concordato ad recentiorem ætatem invaluit, inductam fuisse ob causas graves, suum fundamentum habuisse in assensu tacito Sanctæ Sedis, quin etiam approbatione Cardinalis-Legati, tandem consuetudine confirmatam esse. Quamobrem concilium provinciæ Turonensis merito dicere potuit : « Quamvis hodierna capitulorum constitutio non « sit juri antiquo omnino conformis, eorum nihilominus « statuta ipsis virtute auctoritatis apostolicæ per cardina- « lem subdelegatæ ab Episcopis data, nec non ab eodem « cardinali legato sufficienter approbata, et aliunde per « diuturni temporis usum confirmata, observanda esse « declaramus, quoadusque Sancta Sedes aliter statuerit. » Decret. V, *de Capitulis*.

Mutatis vero circumstantiis, cum rationes quæ primos Episcopos moverant minus in præsenti urgeant, atque optandum sit ut cuncta melius componantur ad normam juris communis, quantum possibilitas datur; dimissum est capitulis, a pluribus conciliis provincialibus, ut statuta revisent, novaque si opportunum judicaverint, conficiant ab Episcopis approbanda, quod in plerisque diœcesibus factum est. Itaque hodie mutata habemus statuta in eo præsertim quod ad dignitates capituli attinet, uti exponemus infra.

ARTICULUS IV. — DE OBLIGATIONIBUS CAPITULORUM ET CANONICORUM.

399. — I° *Quæ sint obligationes capitulorum cathedralium?*

Obligationes capituli cathedralis oriuntur ex multiplici fine ad quem institutum fuit.

1° Ratione officii choralis, tenetur providere celebrationi quotidianæ divinorum officiorum et missæ conventualis. Hæc obligatio specialius incumbit dignitatibus capituli, quarum munus est procurare observantiam disciplinæ : at si dignitates negligenter sua obeant munia, obligatio omnes in solidum urget; adeo ut quisque teneatur, quantum in se est, prospicere bono communi, exemplum ipse exhibendo, et promovendo in comitiis capitularibus reformationem abusuum.

2° Debet honorem Episcopo deferre; primam sedem in choro, et in conventu capitulari eidem reservare, atque pontificalia exercenti adsistere. Concilium Tridentinum statuit : « Episcopis ubique is honor tribuatur qui eorum « dignitati par est; eisque in choro et in capitulo, in pro« cessionibus, et aliis actibus publicis, sit prima sedes, et « locus quem ipsi elegerint... Canonici compellantur... « Episcopo celebranti aut alia pontificalia exercenti adsis« tere et inservire. » (Sess. XXV, cap. VI; sess. XXIV, cap. XII, *de Reform.*)

Ex decretis Concilii et ex variis decisionibus S. Congregationis Rituum, sequitur 1° non titulo urbanitatis, sed vi juris communis capitulum teneri ad assistendum Episcopo illumque euntem et redeuntem associandum pro divinis officiis; 2° obligationem urgere, non tantum quando Episcopus pontificaliter celebrat, sed etiam quando alias functiones pontificales exercet, puta, si Ecclesiam consecret; si sacros ordines conferat, etiam privatim, quo casu tamen non omne capitulum, sed duo aut tres solum canonici

assistere tenentur; si conficiat sanctum chrisma; si solemnem concionem habeat; 3° capitulum teneri adsistere Episcopo, etiam extra Ecclesiam cathedralem, in aliis Ecclesiis urbis et suburbaniorum, eo tamen cum moderamine ut ob absentiam plurium canonicorum non perturbetur officium chorale; 4° demum teneri accedere ad Episcopum quando in Ecclesiam venit rei sacræ peragendæ causa, illumque cappa indutum e sua camera seu ex aula quam designaverit progredientem, comitari et deducere usque ad portam primariam Ecclesiæ. Si tamen domus episcopalis non sit sacris ædibus contigua, sed certis spatiis distet, sufficit ut canonici Episcopum deducant e loco prope Ecclesiam sito, vel ab exterioribus atriis. Qui autem ritus in susceptione Episcopi serventur, prout venit solemniter cum cappa, aut privatim rochetto et mozetta indutus accedit ad assistendum divinis officiis, quonam ordine omnes procedant in eundo et redeundo, explicatur in *Cæremoniali Episcoporum*, lib. I, cap. XV.

3° Capitulum tenetur auxiliari Episcopo in regimine diœcesis, atque eidem diœcesi providere sede vacante, sicut alibi explicatum est : unde sequitur canonicos debere in cœtum convenire quando Episcopus illos convocat, et negotiis quæ illis commiserit ad bonum administrationis diœcesanæ curam impendere.

400. — II° *Quæ sint obligationes canonicorum?*

Canonicorum præbendatorum obligationes sunt: 1ª emittere professionem fidei; 2ª residere in urbe episcopali; 3ª assistere choro et ibi per seipsos divina officia obire; 4ª applicare alternis vicibus missam conventualem juxta intentionem Ecclesiæ; 5ª convenire in cœtum capitularem quando rite convocantur.

Canonici honorarii non sunt iisdem obligationibus stricto jure obnoxii; cum tamen capitulo cooptentur, ac pro suo ordine honoribus decorentur ac si essent præbendati, omnino decet ut, quando in urbe episcopali actu de-

gunt, chorum assidue frequentent et in divinis officiis celebrationeque missæ cenventualis sua vice fungi studeant.

401 *. — I. PROFESSIO FIDEI A SINGULIS CANONICIS EMITTENDA.

Concilium Tridentinum, injuncto omnibus provisis de beneficiis quibuscumque curam animarum habentibus onere faciendi publicam suæ fidei professionem, subjunxit : « Provisi autem de canonicatibus et dignitatibus, in Eccle« siis cathedralibus, non solum coram Episcopo, seu ejus « officiali, sed etiam in capitulo idem facere teneantur; « alioquin prædicti omnes provisi fructus non faciant suos, « nec illis possessio suffragetur. » Sess. XXIV, cap. XII, *de Reform.*

Canonici professionem emittere tenentur per seipsos non per procuratorem, juxta formam a Pio IV præscriptam in Bulla *Injunctum nobis*, intra duos menses a die adeptæ possessionis [1].

Disciplina concilii olim accurate servabatur in Galliis, sicuti in aliis regionibus; per tempus sat notabile fuit prætermissa, ob eam forte rationem quod motiva legis, periculum nempe ne introducerentur in beneficiis clerici veneno hæresis infecti, minus urgere videretur: at vero cum magnopere expediat, ut omnes qui in publicum officium Ecclesiæ assumuntur, fidem suam et reverentiam atque obedientiam erga Apostolicam Sedem profiteantur, hæc saluberrima disciplina instaurata fuit recentiori ætate.

* 402. — II. DE RESIDENTIA.

De residentia statuit concilium Tridentinum : « Obti« nentibus in cathedralibus aut collegiatis, dignitates, « canonicatus..., non liceat vigore cujuslibet statuti aut

1. Hæc professio fidei exscribitur in *Pontificali* . *Ordo ad Synodum*. S. Congregatio Concilii novam fecit hujus professionis editionem, die 20 junii 1877, cui addita sunt quædam verba pro decretis dogmaticis Conc. Vaticani de Primatu et infaillibili magisterio Romani Pontificis.

« consuetudinis, ultra tres menses, ab eisdem Ecclesiis quo « libet anno abesse; salvis nihilominus earum Ecclesiarum « constitutionibus quæ longius servitii tempus requirunt. « Alioquin primo anno privetur unusquisque dimidia parte « fructuum, quos ratione etiam præbendæ ac residentiæ « fecit suos. Quod si iterum eadem usus fuerit negligentia, « privetur omnibus fructibus quos eodem anno lucratus « fuerit. Crescente vero contumacia, contra eos juxta sa- « crorum canonum constitutiones procedatur. » Sess. XXIV, cap. XII.

Episcopus proinde potest privare non residentes fructibus beneficii ad mentem concilii; potest insuper servatis servandis, privare titulo beneficii canonicum, qui per triennium violaverit legem residentiæ. Triennium non incipit a die primæ monitionis; sed a die quo violata fuit lex per culpabilem absentiæ prorogationem; adeo ut Episcopus procedere valeat contra canonicum non residentem, etiamsi illum non monuerit nisi post elapsum spatium duorum annorum. (Ferraris, v° *Canonicus*, art. V, n° 25. Lucidi, de *Visit. Sac. Lim.* tom. I, p. 294. 295.) Transactis tribus annis, ter monendus est canonicus, et per sex alios menses expectandus; deinde, licet ille non compareat, devenitur ad privationem. Non omittendæ sunt illæ præviæ monitiones et citationes, alioquin canonicus appellare potest ad judicem superiorem.

Canonistæ communiter tradunt legem residentiæ violari, non solum quando canonicus absens est ultra tres menses continuos, sed etiam quoties dies absentiæ, tametsi interpolati per decursum anni, excedunt spatium trimestris.

403. — Arduam quæstionem movent, utrum canonici priventur ipso jure fructibus sui beneficii pro rata parte absentiæ ultra tempus assignatum : an possint fructus retinere donec prolata sit sententia.

Duæ sunt opiniones. I[a] tenet Ecclesiam conferre quidem canonicatum cum *onere* residentiæ, sibi servato jure mulc-

tandi non residentes privatione fructuum, aliisve pœnis; beneficium vero non dari sub ea *conditione* ut non faciant fructus suos, si suo officio defuerint. Ita Fagnan, in cap. *Licet*, n° 25, DE PRÆBENDIS, qui hanc decisionem asseveranter dedit : « Etsi absentes percipere non debeant fructus præbendarum, non tamen hoc ita accipiendum est « ut illos perdant ipso jure, imo enim acquiruntur sine « facto et ministerio hominis. Sed ita intelligendum est ut « privandi sint ad prescriptum Conc. Trid. » Ita Bonacina, *de Beneficiis*, disput. v, punct. IV, n° 16. Reiffenstuel, in tit. DE CLERICIS NON RESIDENTIBUS, n° 125. Garcias, DE BENEFICIIS, III[a] part., cap. II, n° 151, et cæteri plures. Probant 1° ex concilii textu, qui indicat pœnam imponendam a judice : est enim sensus obvius verbi *privetur;* 2° ex contextu decreti, in quo statuitur canonicum non residentem privandum fore primo anno media parte fructuum; quod intelligitur tum de casu quo absens fuerit, v. g., solummodo per quatuor menses, tum de casu in quo per integrum annum absens fuerit. Exinde infertur canonicum absentem teneri ad restitutionem, non jure naturali, sed jure positivo, post latam sententiam; si enim jure naturali adstringeretur, non mediam partem, sed pro rata parte temporis absentiæ restituere teneretur. 3° Obligatio restituendi fructus pro rata parte absentiæ, ante sententiam judicis, innitetur pacto, saltem implicito, inito inter Ecclesiam et beneficiarium; at vero non probatur intervenisse pactum hujuscemodi, potius quam nudum præceptum subeundi onera beneficio imposita.

II[a] opinio tenet beneficia conferri sub *conditione* residentiæ, adeo ut clericus qui non fungitur suo officio, non possit acquirere dominium fructuum. Ita Suarez, *de Horis canonicis*, cap. XXIX. « Dantur, inquit, clerico fructus be« neficii... ut laborando et inserviendo Ecclesiæ, ab illa, « ut par est, sustentetur. Nec negari potest quin axioma « illud sumptum ex cap. ultimo DE RESCRIPTIS in VI° *Bene-*

« *ficium datur propter officium*, intelligatur secundum « relationem et correspondentiam, ut sic dicam, justitiæ « commutativæ qualis est inter stipendium et opus. » N° 8. Ita etiam S. Alphonsus de Liguori, lib. III, n° 675; Collator Andegavensis, *sur les États*, conf. IIe, quæst. x, et alii. Probant 1° ex axiomate præcitato : *Beneficium propter officium;* 2° ex verbis quibus utitur concilium Trident. in suo decreto, ubi decernit canonicos non residentes privandos fore fructibus *quos etiam ratione præbendæ et residentiæ fecerunt suos;* unde concludunt beneficiarios facere fructus suos *ratione residentiæ*, id est, solummodo quatenus resident; 3° auctoritate Benedicti XIV, qui in Brevi citato in *Theologia* sancti Liguori, et ad Card. Delphinum, patriarcham Aquileiensem directo, an. 1748, agens de canonicis sui muneris officia negligentibus, hæc rescripsit : « ... Deinde eisdem edicas, et notum facias nos (quemad- « modum per hasce nostras, in forma brevis, litteras tibi « declaramus et injungimus) decernere atque statuere, « sicut in Constitutione nostra (*Cum semper*) innuimus, « ipsos, suosque successores canonicos choro quidem in- « teressentes adsistentesque, minime vero canentes, psal- « lentesve, nullo pacto ex præbendis et distributionibus « facere fructus suos, atque adeo restitutioni obnoxios esse « ac fore. » In Constitutione allata Pontifex dixerat : « Jure « ac merito verendum est ne isti dum ita se gerunt, præ- « bendarum ac distributionum fructus minime faciant « suos, et consequenter ne teneantur ad eorum restitu- « tionem.»

Non videtur quæstionem propositam solutam fuisse auctoritate Sedis Apostolicæ; quandoquidem Constitutio *Cum semper* nihil pronuntiat, sed tantummodo innuit; Breve autem ad Card. Delphinum, haberi potest lex privata indicta diœcesi Aquileiensi. Aliunde axioma *Beneficium propter officium*, non suppeditat certum argumentum; nam quævis sententia admittatur, omnes æque dicent benefi-

cium dari propter officium. Hoc verissimum remanet, sive fructus beneficii censeantur stipendium laboris, sive beneficium conferatur simpliciter cum onere officia titulo annexa rite adimplendi, in sensu supra explicato.

Sequitur ex allatis auctoritatibus male sibi consulere canonicos qui suo officio desunt. Præter quod, in omni doctorum sententia, graviter peccant non residendo, *jure ac merito ipsis verendum est*, ut verba repetamus Benedicti XIV, *ne teneantur ad fructuum* perceptorum *restitutionem.*

* 404. — III. Assistentia choro et psalmodia.

In quo præcipue sit ministerium canonicorum declarat synodus Tridentina : « Omnes qui in cathedralibus vel « collegiatis canonicatum obtinent, divina per se, et non « per substitutos, compellantur obire officia... atque in « choro, ad psallendum instituto, hymnis et canticis Dei « nomen reverenter, distincte devoteque laudare. » (Sess. xxiv, cap. xii.)

Concilium vetat ne canonici præsumant obire divina officia per *substitutos*, utique extraneos; sublata non fuit facultas sese invicem substituendi, dummodo id non frequentur fiat, quod arbitrio Episcopi judicandum dimittitur; et substitutus non teneatur iisdem diebus adesse choro, quam ipse substituens. (Bened. XIV, Inst. cvii, § 3, n° 17.)

Dubium non est quin peccent lethaliter qui per tempus notabile, ultra tres menses a jure concessos, absentes sunt a choro, v. g., juxta multos, per integram hebdomadam, vel pluribus diebus intermissis per annum. Hæc obligatio omnes horas divini officii complectitur, nullo admisso discrimine inter majores et minores; ex singulis enim horis constat officium divinum quod per seipsos, non per substitutos, obire tenentur, ad præscriptum concilii Tridentini. « C'est en vain qu'on objecte des usages contraires, « *ait* Ducasse; ces usages sont abusifs, parce qu'ils font un « préjudice notable à l'Église, et diminuent le service

« divin. » (*Tr. des droits des chapitres*, part. I, sect. v.)

Canonici qui præsentes choro assistunt, at privatim officium recitant, aliisve exercitiis mentem occupant, nec in cantu cæteris se adjungunt, non satisfaciunt legi, nisi vera et seria ratione infirmæ valetudinis excusentur. In vanum objicient inveteratas consuetudines et exempla plurium canonicorum pietate et doctrina quantumvis commendabilium. Nulla consuetudo prævalebit contra obligationem ita titulo canonicatus connexam, ut præcipuum sit illius officium. Testatur Benedictus XIV illorum opinionem, qui contendunt canonicos munus suum satis implere dum choro adsistunt, nunquam examinatam esse in S. Congregatione concilii « quin statim fuerit explosa et improbata, quam« vis præsumptis consuetudinibus, aliisque fundamentis « et rationibus innixa perhiberetur. » (Const. *Cum semper*, § 24, an. 1744.)

Utrum vero requiratur ad legis observantiam cantus divinorum officiorum, an sufficiat ut preces recitentur in choro, res est determinanda juxta statuta et consuetudines. « Horæ canonicæ, ait Benedictus XIV in litteris apo« tolicis ad Ecclesias Italiæ directis, pro more et instituto « cujusque Ecclesiæ canantur seu recitentur, prout decet « ac convenit, ab iis qui ad eas tenentur. » (Breve *Annus*, an. 1749.) S. Congregatio Rituum respondit ad dubia proposita : *Quoad Vesperas et officium satis esse, si canonici illud recitent alta, intelligibili et distincta voce.* Alias, cum Episcopus mandavisset ut psalmodia fieret in cantu plano festis solemnibus, Congregatio respondit : *Canonicos debere in hoc parere Episcopo.* (Gardellini, n° 287, an. 1606; et n° 1689, an. 1653.) Spectato igitur jure communi, sufficit ut canonici officium recitent clara et distincta voce in choro; si vero statuta capituli, inveteratæ consuetudines, vel mandata Episcopi requirant ut officia in cantu plano celebrentur, his standum est. De missa, an cum cantu celebrari debeat, mox dicetur.

405. — *Nota.* 1° Quemadmodum Ecclesia voluit legem residentiæ sancitam fore pœna canonica amissionis fructuum Præbendæ, ita et censuit canonicos non interessentes officiis chori privandos esse distributionibus quotidianis.

Canonici qui, exceptis casibus de quibus infra (n° 413), statutis horis non interfuerint, privantur ipso jure distributionibus quotidianis, quin necesse sit ullam sententiam intervenire; quod servandum edixit concilium Tridentinum *quavis etiam collusione, aut remissione exclusa*[1]. Per *collusionem* intelligitur pactum, saltem tacitum, quo canonici inter se convenirent distributiones singulis obventuras fore, sive absentes, sive præsentes fuerint, ut eadem sit omnium conditio. *Remissio* est condonatio facta, vi cujus servatur absenti, quamvis sine causa, sua pars distributionum. Concilium prohibet quominus ulla ratio habeatur hujus collusionis, seu remissionis, de qua conventum fuis-

1. Conc. Trid., sect. XXI, cap. III, *de Reform.*; sect. XXII, cap. III, *de Reform.*; sect. XXIV, cap. XII, *de Reform.* Benedictus XIV, *Institutione* CVII, § VII. Ut lex servaretur efficacius, mos invaluit in Cathedralibus et Collegiatis designari unum aut plures *Punctatores*, qui notent absentes a toto officio, vel a parte, ut careant penitus distributionibus, aut partem tantum, pro ratione negligentiæ, assequantur. Quem usum innovare voluit concilium Aquense (anno 1850 habitum); decretum, suadente S. Congregatione, ita edixit ut servetur « juxta veterem Ecclesiæ consuetudinem, modus ille vulgo *punc-* « *tatura* dictus, quo constabat de canonicorum in officio præsentia; « mulcta autem ab Episcopo instituatur ex quota parte civilium « pensionum ad formam, seu saltem juxta mentem, concilii Tridentini. » (Cap. II, *de Capitulis cathedralibus*, n° 5.) — S. Sedes idem præscripsit Litteris Apostolicis, anni 1855, quibus erecta est sedes Episcopalis Guido-Vallis, (Laval) et anni 1859, quibus Ecclesia Rhedonensis provecta est ad dignitatem Metropolis. Ut obtineatur finis quam intendit Conc. Trid. alterum ex duobus mediis adhiberi potest : aut omnes canonici reponunt in communi partem tertiam redituum suæ præbendæ, unde efformetur massa communis in distributiones quotidianas ; aut singuli qui absentes sunt, intra dies prævisos a jure, solvunt mulctam pecuniariam, quæ correspondeat parti distributionum quotidianarum et prosit præsentibus.

set inter canonicos. Istius modi conventum, utpote initum contra mentem Ecclesiæ, vim nullam habere potest.

Regula generalis est partem absentium accrescere actu præsentibus.

406. — 2° Leges canonicæ circa assistentiam choro et psalmodiam, urgent in Galliis, non secus ac in cæteris Ecclesiis; quandoquidem Sancta Sedes voluit ut in instauratione capitulorum servaretur disciplina cui capitula cathedralia, vi juris communis, subduntur, et pluries decisum fuit pensiones a Gubernio civili solutas locum tenere bonorum ecclesiasticorum [1].

Id tantummodo concessum fuit ut attentis circumstantiis, aliquatenus minueretur servitium chorale. « Quoniam, « aiunt Patres concilii Bituricensis, in præsenti rerum « statu, paucioribus Ecclesiæ nostræ cathedrales gaudent « canonicis qui integrum ad officium in choro decantan- « dum minime sunt pares, statuimus postquam obtenta « fuerit ab Apostolica Sede dispensatio, ut in omni provin- « cia nostra singulis diebus missa capitularis, vel sine « cantu, vel, si aliter statutum fuerit, cum cantu dicatur, « præmissa Tertia, et subsequente Sextæ psalmodia. De- « cernimus pariter ut in choro recitentur, vel, si visum « fuerit, decantentur Nona et Vesperæ cum Completorio; « dominicis et festis de præcepto diebus servato cantu, tum « Missæ, tum Officii vespertini. » (*Decretum de capitulis cathedralibus.*) Ita t ifuin aliis provinciis ordinatum, propterea quod impossibile visum est instaurari ex integro recitationem omnium horarum canonicarum. Ut vero hæc regulariter fierent, intercedere debuit auctoritas S. Pontificis quoniam agebatur de jure communi in re gravis momenti [2].

1. Responsum fuit eodem sensu a Congr. Rituum, de canonico in Galliis, qui assistit quidem in choro, sed non decantat publicas preces, *Canonicum in casu, juxta alias decreta, obligationi non satisfacere*, 22 maii 1841.

2. Lucidi (de *Visit. Sac. Lim.* Tom. I, p. 300-304) multis docu-

*407. — IV. APPLICATIO MISSÆ CAPITULARIS.

Perantiqua est lex quæ præscripsit ut singulis diebus Missa celebretur in Ecclesiis cathedralibus et collegiatis, et applicetur pro earumdem benefactoribus in genere, eodem prorsus modo quo Missa parochialis ab illis qui curam animarum gerunt, pro populo sibi commisso, singulis diebus festivis de præcepto applicari debet.

Sunt etiam dies in quibus duæ vel etiam tres Missæ a capitulo celebrari debent, juxta rubricas, quando, v. g., concurrunt festa sanctorum cum vigiliis, et tempore Quadragesimæ. Cum, recenti ætate, Episcopus comperisset canonicos Ecclesiæ suæ cathedralis secundam Missam non celebrare, ex consuetudine immemorabili ab Episcopis decessoribus semper tolerata, postulavit an hæc consuetudo sustineri posset. S. Congregatio respondit Canonicos teneri ad celebrationem Missarum, nisi habeant indultum apostolicum. (23 aug. 1873.)

Missas conventuales celebrandas esse cum cantu indicant plures declarationes S. Congr. Rituum. Concessum tamen fuit nonnullis capitulis, ratione habita paucitatis canonicorum, ut exceptis dominicis et festis diebus, Missa legatur absque cantu, quod certe tuta conscientia servari potest, ubi legitima auctoritate sancitum fuerit.

Gravius urget obligatio Missam conventualem applicandi benefactoribus; quam tanti esse momenti judicavit Ecclesia, ut nulla contra eam prævalere possit consuetudo « Pluries etenim responsum fuit, ait Benedictus XIV, hu« jusmodi consuetudinem licet immemorabilem, quæ po« tius abusus et corruptela dicenda est, nemini suffra« gari. » (*Cùm semper*, § 16.) Declaratum insuper fuit, debitum Missæ capitularis respicere, non quidem singulares

mentis probat nullam rationem esse, neque auctoritatem Episcopi, neque diuturnam consuetudinem quæ excuset capitula cathedralia et collegiatos insignes ab integra et quotidiana recitatione horarum canonicarum, præter beneplacitum Apostolicum.

aliquos benefactores, sed benefactores in genere Ecclesiæ cujus servitio addicti sunt canonici; quamobrem nullatenus satisfit legi, si, acceptata speciali fundatione, capitulum præsumat Missam conventualem applicare pro uno defuncto in particulari. Debet in eo casu, præter Missam conventualem, alteram celebrare ad implendum onus fundationis [1].

Si difficile sit dignoscere quinam sint benefactores, v. g., in capitulis hodiernis Galliæ, Missam applicant canonici ad mentem Ecclesiæ.

408. — V. Assistentia conventibus capitularibus.

Canonici tenentur convenire in cœtum capitularem, quando rite convocantur. Hæc obligatio est aliquando sub gravi; si nimirum negotium grave pertractari oporteat, v. g., reformationem abusus, disciplinæ instaurationem, electionem vicarii capitularis, sede episcopali vacante, et præsentia videatur valde expedire ad felicem exitum rei, in bonum religionis. Nec a culpa gravi immunes reputandi sunt canonici qui, ob frequentem negligentiam in conveniendo, causa sunt cur convocationes rarius fiant ac paulatim in desuetudinem veniant, non sine detrimento disciplinæ.

409. — III° *Quæ sint obligationes dignitatum et canonicorum qui officium possident?*

Munia dignitatum capituli, atque obligationes Officiis annexas, definiunt statuta, et etiam probatæ locorum consuetudines. Quæ jus commune præscripsit, paucis indicare sufficiat.

Prima dignitas, quæ reputatur caput collegii, invigilare tenetur ut, tum in choro, tum in cœtibus capitularibus, cuncta debite serventur ex præscripto sanctorum canonum et statutorum specialium.

1. Cf. Pignatelli, I, *Consult.* CCCXXIV; — Benedict. XIV, *Instit.* CVII, § XII et XIII.

Archipresbyter, quando munere parochi fungitur, debet pastorali sollicitudine implere officia quæ sunt propria parochorum, sacramentorum administratione, prædicatione verbi divini, parvulorum instructione, pauperum et infirmorum cura...

Officium theologalis a conciliis Lateranensibus IV et V institutum fuit in favorem præsertim clericorum. Idem officium Synodus Tridentina institui iterum mandavit, ut canonicus theologalis Sacram Scripturam interpretaretur, « ne cœlestis ille sacrorum librorum thesaurus quem Spi« ritus Sanctus summa liberalitate hominibus tradidit, ne« glectus jaceat ». Episcoporum est determinare materiam, modum, tempus, atque locum lectionum, ita ut ratio habeatur finis quem Ecclesia intendit in instituendo officium theologalis. Ab eo fine recederet qui, loco Sacræ Scripturæ explanationis, doctrinam christianam doceret per modum catecheseos juxta morem Parochorum, vel etiam qui theologiam moralem traderet. Plurimis quidem canonistis olim visum est canonicum theologalem æque suo muneri satisfacere, sive Scripturam legat, sive theologiam moralem doceat; verum Sacra Congregatio Concilii haud semel respondit inhærendo textui conc. Tridentini, theologalem non debere commutare lectionem Scripturæ Sacræ in lectiones theologiæ moralis, sed Sacras Scripturas explicare, aut theologiam scolasticam tradere [1]. Theologali permittitur vacare a lectionibus, more aliorum magistrorum qui in Universitatibus per certum tempus, tribus aut quatuor mensibus feriari solent. Extra illud tempus, munere suo fungi debet, ex præscripto conc. Lateranensi V, semel saltem in hebdomada, legitimo impedimento cessante.

Opportunissimum fuit institui officium theologalis tem-

1. Cf. Bened. XIV de *Synodo*, lib. XIII, cap. IX, n° 17. — *Thesaurus resolutionum* tom. CVII, p. 347-373, 26 jun. 1847. — Pignatelli tom. III *Consultationum* n. LXII. — *Acta S. Sedis*, tom. VIII, pag. 336, 344; tom. IX, pag. 505-518. (Decis. S. C. 2 sept. 1876).

pore quo non adhuc erant seminaria ad informationem cleri, nec invaluerat praxis collationum quæ habentur inter sacerdotes de variis quæstionibus theologiæ et scripturarum ; haud dubium quin etiam nunc magnam inde clerus utilitatem reportaret, si lectiones fierent a viro peritiore qui auditores alliciat et Scripturas explanet modo sacerdotum utilitati accommodato.

Pœnitentiarius, legitime institutus, habet a jure facultatem audiendi confessiones, et jurisdictionem ad absolvendum a peccatis. Non potest tamen absolvere a casibus in diœcesi reservatis, nisi Episcopus specialem super hoc facultatem ei concesserit. Tenetur omnes fideles ad se venientes recipere, et integras illorum confessiones audire. Debet sistere in sua sede confessionali festis solemnioribus, et tempore Quadragesimæ, et Adventus, aliisque diebus quando solet esse major fidelium concursus [1].

Hæc pensanda sunt juxta Ecclesiarum necessitates et consuetudines.

*410. — IV° *Quæ causæ excusent canonicos a suis obligationibus ?*

Quatuor potissimum causæ eximunt canonicos ab onere residentiæ, et assistentiæ debitæ choro; scilicet : officium, infirmitas, servitium quadragenarium ecclesiæ chorali præstitum, et vacationes a jure concessæ.

I. Ratione *officii* eximuntur : 1° duo canonici quos Episcopus assumit in ministerium publicum regiminis diœcesis. Ex cap. *Ad audientiam*, 15 DE CLERICIS NON RESIDENT. « Hoc est, ait Fagnan, privilegium speciale Episcopi, ut « possit pro suo servitio uti opera duorum canonicorum, « etiam sine consensu capituli, et non probata Ecclesiæ « utilitate. » (In cap. *de Cætero*, n° 5, eod. tit.) Textus juris statuit tantummodo de duobus canonicis : nihilominus tamen si ob diœcesis amplitudinem, Episcopum

1. Ferraris, v° *Canonicatus*, art, IX, n. 45-78.

urgeat necessitas tertium canonicum duobus prioribus adjungendi in adjuvamen regiminis, illum poterit accire, modo provideat ne servitium chorale detrimentum exinde patiatur. Cap. *Consuetudinem*, eod. tit. in VI°, illud videtur innuere, dum a lege generali de assistentia choro excipit *quos evidens Ecclesiæ utilitas excusaret*, non expresso numero, sed re prudenti arbitrio Episcopi tacite dimissa. Eam ob causam haud improbabile videtur Episcopo fas esse, eadem adhibita cautione, uti ministerio canonici, quando gravis necessitas exposcit; v. g., ad prædicationem jubilæi, ad providendum per breve tempus parochiæ pastore orbatæ: siquidem leges eo moderamine sunt interpretandæ ut urgentioribus necessitatibus prospiciatur. Aliter autem dicendum si canonicus sponte sua velit, sive intra sive extra diœcesim, in aliis ecclesiis prædicare; id munus quo a suo officio distraheretur assumere non potest tuta conscientia, ne assentiente quidem Episcopo. 2° Eximuntur etiam canonici qui pro negotiis capituli deputantur Romam vel ad concilium provinciale. 3° Tandem eximuntur canonici qui suo muneri deserviunt tempore quo divina officia in choro peraguntur; quod contingere potest satis frequenter archipresbytero, pœnitentiario, et theologali.

Nota. Excusatio ratione officii protrahi non debet ultra moralem necessitatem. Privilegium jure concessum non aliter prodest quam ut canonici inquietandi non sint in foro externo, et habeant in sui favorem juridicam præsumptionem, quando choro non adsistunt. Theologalis, tota die qua legit, censetur præsens choro.

*411. — II. Ratione *infirmitatis* eximuntur ab onere assistentiæ choro qui morbo gravi laborant, adeo ut non possint absque notabili sui incommodo publicis officiis interesse.

III. Ratione servitii Ecclesiæ præstiti eximuntur qui per quadraginta, ad minus, annos, munus suum regu-

lariter obierunt. Vocantur canonici *jubilati*. Cum scilicet Gregorius XIII approbavisset statutum alicujus capituli quo provisum erat ne in tali casu canonicus, quamvis absens a choro, amitteret fructus præbendæ et distributiones, consuetudo paulatim invaluit, quæ pro lege suscepta est.

Duo tamen notanda sunt : 1° Privilegium, quatenus derogat juri communi et aliquod nocumentum infert servitio chori, stricte interpretari debemus in gratiam solummodo canonicorum qui per tempus determinatum suo officio laudabiliter functi sunt in Ecclesia cui suo titulo addicti sunt, non vero in alia opera etsi laudabilia alibi tempus impendendo. 2° Episcopus potest, privilegio non obstante, canonicum revocare ad chorum, quando id necessarium judicat ad decentiam cultus publici[1].

* 412. — Ratione *vacationum* quas jus commune concessit, canonici possunt per tres menses absentes esse a sua Ecclesia. Non indigent licentia Ordinarii ut facultate sibi jure concessa utantur, nisi forte velint extra diœcesim peregrinari. Potest autem Episcopus, si sufficienter non fuerit in statutis provisum, regulas capitulo indicere ne eodem tempore plures canonici sint absentes, neve ab Ecclesia absint tempore majorum solemnitatum[2]. Ita pluries fuisse decisum referunt Barbosa, *de Canonicis*, cap. xx, nis 3-6, Benedictus XIV, *Instit.* cvii, nis 34-37; Lucidi, *de visit. sacr. Limin.*, tom. I, pag. 251, 252. Insuper Episcopus potest, si opportunum duxerit, præscribere canonicis, sive per statutum generale, sive per mandatum personale, ne dis-

1. Cf. Bened. XIV, *de Synodo*, lib. XIII, cap. ix, n° 15.

2. Ex praxi et declarationibus S. Congregationis, tertia pars solummodo canonicorum abesse simul possunt; tertia autem pars computanda est ex integro capitulo, exceptis casibus legitimi impedimenti in quibus integrum est Episcopo numerum choralium præfinire, habito respectu ad necessitatem servitii Ecclesiæ. Decret. an. 1723. Decret. 7 junii 1856. Communius excipiuntur in indultis tempora Adventus et Quadragesimæ.

cedant e diœcesi tempore vacationum, non prius obtenta licentia ; de quo sequentem declarationem S. Congregationis notatu dignam memorat Benedictus XIV : « S. Congregatio tametsi declaraverit nullam requiri licentiam « ad hoc ut canonici possint abesse mensibus permissis a « concilio, censuit tamen hanc declarationem non vindicare sibi locum, quoties canonici abesse volunt extra « diœcesim ; ac proinde hoc casu Episcopi licentiam esse « obtinendam. Cæterum Episcopum non debere illam, « absque rationabili causa, negare. »

413. — V° *Utrum canonici qui eximuntur a servitio chori propter causas assignatas, possint nihilominus percipere distributiones quotidianas et manuales?*

I. Quoad distributiones *quotidianas*, dici potest generatim illos solummodo distributiones lucrari qui fictione juris censentur præsentes, juxta cap. *Consuetudinem* præcitatum, quo Bonifacius prohibuit ne distributiones fiant iis qui non fuerint præsentes, « exceptis illis quos infir- « mitas, seu justa et rationabilis corporalis necessitas, aut « evidens Ecclesiæ necessitas, excusaret ». Hic autem nomine Ecclesiæ intelligitur Ecclesia cui debetur servitium chorale, non vero Ecclesia universalis, nec diœcesis, nisi indultum obtinuerint qui Ecclesiæ universali aut diœcesi inserviunt, ad percipiendum distributiones [1].

Hinc concludimus: 1° Canonicos absentes ratione vacationum non lucrari distributiones quotidianas, nisi ob corporalem infirmitatem versentur in necessitate abscedendi. 2° Nec vicarios generales, aliosve officiales Episcopi aut capituli qui non assistunt choro. Ita fuisse resolutum quoad utrumque casum refert Benedict. XIV loco citato, n[is] 56, 57, 58. 3° Nec etiam qui actu detinentur ab Episcopo ob utilitatem diœcesis, sive illum comitentur, sive ut rectoris seminarii, seu professoris munus obeant, etc., etc.

1. Fagnan in Cap. *Licet*, n° 160, DE PRÆBENDIS. — Lucidi *de Visit. Sac. Lim.*, part. II, n° XIX.

Lucrantur vero qui infirmitate detinentur, qui Episcopo celebrandi pontificaliter etiam in aliis civitatis ecclesiis assistunt, qui curæ Ecclesiæ choralis incumbunt[1].

II. Quoad distributiones *manuales*, quæ nimirum fiunt occasione alicujus servitii extraordinarii, ut puta anniversarii, seu funeris ad quod canonici invitati sunt, ratio habenda est intentionis donatorum. Si fundator expetierit anniversarium celebrari a capitulo, non adjecta conditione ut distributio fiat tantum inter præsentes, standum erit consuetudini locorum : porro usu receptum arbitramur ut res eodem modo componantur ac pro distributionibus quotidianis. Meminerint vero quotquot convocantur ut officio anniversarii, vel defuncti exsequiis intersint, teneri titulo non solum pietatis, sed etiam, justitiæ, adesse officiis, et preces pro defuncto offerre [2].

414. — VI° *Utrum et quatenus Episcopus teneatur invigilare, ne capitulum et canonici suo officio desint?*

Episcopus debet paterno moderamine et affectu habere capitulum, et dimittere dignitatibus curam providendi recto illius regimini, quod tamen pastoralem sollicitudinem non excludit. Si enim dignitates suo officio, ea qua par est diligentia, fungi negligant; aut si abusus irrepserint quibus evellendis non sufficiat, Episcopus non solum jure potest, quin etiam stricte tenetur sua auctoritate intercedere, ut cuncta ad præscriptum sacrorum canonum componantur, quantum sinit conditio temporum. Hinc concilium Tridentinum voluit ut « capitula cathedralium et aliarum majorum Ecclesiarum,

1. *Thesaur. Res.*, tom. CXXI, pag. 547, eruditam ea de re discussionem habet, et resolutiones S. Congregationis.

2. Dicuntur distributiones *inter præsentes*, distributiones extraordinariæ quæ ex intentione donatorum, interessentibus officio, non cæteris fiunt; sed easdem distributiones participant, quatenus fictione juris præsentes canonici curam animarum actu exercentes, nisi obstet voluntas testatoris vel donatoris. Concl. ex decisione S. C. 12 sept. 1874. — *Acta S. Sedis*, tom VIII, pag. 135-148.

« illorumque personæ, nullis exemptionibus, consuetudi-« nibus, sententiis, juramentis, concordiis, quæ tantum « suos auctores obligent, non etiam successores, tueri se « possint, quominus a suis Episcopis, per seipsos solos, « velillis quibus sibi videbitur adjunctis, juxta canonicas « sanctiones, toties quoties opus fuerit, visitari, corrigi et « emendari, etiam auctoritate apostolica, possint et va-« leant. » (Sess. VI, cap. IV.) In alio decreto, nempe in cap. VI, sess. XXV, idem concilium declarat Episcopum, ejusque loco vicarium ab eo deputatum, posse etiam extra visitationem procedere ex officio, vel ad petitionem alicujus, adjunctis duobus de capitulo, et formam in processu servandam describit, statuendo nihilominus has restrictiones locum non habere « in iis Ecclesiis in quibus « Episcopi, aut eorum Vicarii, ex constitutionibus, aut « consuetudinibus, seu quocumque alio jure, majorem « habent potestatem, auctoritatem ac jurisdictionem, « quam præsenti decreto sit comprehensum, quibus sancta « synodus derogare non intendit. »

Potest proinde Episcopus, non solum edicere mandata, sed visitare capitulum et singulares canonicos, ut, quantum opus fuerit, emendet atque corrigat abusus forte introductos, rationes bonorum temporalium capituli examinet, disciplinam chori instaurari provideat. Valet præterea, servata forma, procedere in canonicos absentes a choro, vel aliter contra canones delinquentes, usque ad privationem tituli.

ARTICULUS V. — DE JURIBUS CAPITULORUM ET CANONICORUM.

In prima parte *Prælectionum canonicarum* diximus de jure capitulis cathedralibus tributo providendi regimini diœcesis, sede episcopali vacante, et deputandi ad concilium provinciæ (t. I, p. 349 ; 395). Superest ut perpendamus

quis gradus honoris capitulis assignetur, quas partes habeant in regimine diœcesis, et in suo proprio regimine.

415. — I° *Quis gradus honoris capitulo Ecclesiæ cathedralis assignetur?*

Capitulum jus habet præcedendi, quando cœtibus ecclesiasticis adsistit, omnes clericós, regulares, parochos, et alia capitula collegiatarum, quia repræsentat Ecclesiam cathedralem, quæ est mater omnium ecclesiarium diœcesis. Si vero non assistat capitulariter sed per deputatos, deputati sedent post abbates titulares, post etiam habentes usum mitræ, et cæteros abbates commendatarios. (*Cæremoniale Episcoporum*, lib. I, cap. XXXI, n° 15.)

416. — II° *Quas partes capitulum habeat in regimine diœcesis, et præsertim Ecclesiæ cathedralis?*

I. Ex textibus juris, in titulo DE HIS QUÆ FIUNT A PRÆLATO SINE CONSENSU CAPITULI insertis, Episcopus non deberet negotia graviora suæ Ecclesiæ sine capitulo tractare; hæc enim statuit cap. *Novit*, 4 : « Novit tuæ discretionis prudentia qualiter tu et fratres tui unum corpus sitis, ita « quod tu caput, et illi membra esse putantur. Unde non « decet te, omissis membris, aliorum consilio in Ecclesiæ « tuæ negotiis uti, cum id non sit dubium et honestati « tuæ et sanctorum Patrum institutionibus contrarium. » Hæc rescripsit Alexander III ad patriarcham Hierosolymitanum; cui iterum cap. *Quanto*, 5, mandavit ut « in con« cessionibus et confirmationibus et aliis Ecclesiæ suæ « negotiis » suos fratres, utique canonicos, requireret, et cum eorum consilio, vel sanioris partis, quæ statuenda essent statueret.

Hæc ponderans Benedictus XIV in suo opere *de Synodo* concludit : « Profecto ambigi non potest quin etiam hodie, « jure Decretalium, canonici Ecclesiæ cathedralis sint « consiliarii nati Episcoporum, adeo ut non liceat Epis« copo aliquid gravis momenti aggredi et deliberare in« consulto capitulo. » (Lib. XIII, cap, I, n^is 5-6).

II. Canonistæ casus indicant pro quibus Episcopi tenentur, ex veteri jure, exquirere consilium, et casus pro quibus habere debent consensum capituli, majoris scilicet partis canonicorum, ut valide procedant.

1° Casus pro quibus Episcopi, ex jure in decretalibus inserto, debent exquirere consilium sui capituli, tametsi non teneantur illud sequi, sunt generatim negotia quævis ardua, quæ prudentia non sinit expediri absque matura prævia deliberatione, v. g. indictio synodi, promulgatio statutorum synodalium et aliorum statutorum extra synodum, judicia clericorum in causis criminalibus, indictio supplicationum solemnium.

2° Casus in quibus accedere necesse est consensum capituli, sunt generatim negotia graviora quibus generari potest nocumentum Ecclesiæ aut successoribus Episcopi. Hujusmodi sunt ex sacris canonibus et doctrina canonistarum : ordinatio rerum quæ ad capitulum simul et ad Episcopum spectant, vel ad statum Ecclesiæ cathedralis : v. g. cessio quorundam jurium, privilegorium, seu prærogativarum sedis Episcopalis..., alienatio bonorum temporalium immobilium aut mobilium pretiosorum..., oppigneratio, fideijussio, mutuum quibus eadem bona gravantur..., concessio Ecclesiæ parochialis facta monasterio, quæ æquiparatur alienationi..., unio, disjunctio, et suppressio beneficiorum... Postulatio subsidii caritativi quo clerus provideat de suis facultatibus necessitatibus Episcopi, seu Ecclesiæ..., sententia depositionis in beneficiatum lata, degradatio clerici e suo statu.

III. Hæc indicta reperiuntur in Decretalibus ; sed ex iisdem Decretalibus SS. Pontificum notum est eam vim habere consuetudinem, quando legitime præscripta fuit, ut jurisdictionem episcopalem expedire valeat ab hujusmodi limitationibus, adeo ut Episcopi procedere possint inconsulto capitulo in pluribus etiam casibus in quibus jura requirebant olim illius consensum. Id sua auctoritate sanxit

Bonifacius VIII, cap. *Non est*, 3 DE CONSUETUDINE, in VI°, et est aliunde consectarium principii generalis (n° 12, t. I, « p. 16). Ab obligatione petendi consilium capituli solutus « erit Episcopus, ait Benedictus XIV, qui per legitime præs-« criptam consuetudinem, jus sibi acquisierit novas leges « condendi et publicandi, inconsulto capitulo. » (*De Synodo*, lib. XIII, cap. I, n° 9.)

Hujusmodi consuetudinem in plerisque Ecclesiis, imo in Ecclesia universali prævaluisse, quoad plures casus ex modo positis, testantur communissime canonistæ. — « Fere « ubique, ait Ferraris, habetur in plurimis consuetudo « qua legitime exstante, non amplius requiritur capituli « consilium; et de facto quod capitulum cathedrale sub-« jiciatur constitutionibus synodalibus, et aliis legibus, « etiam per edicta panditis, sine consilio capituli, respon-« dit novissime S. Congregatio. » V° *Capitulum*, art. II, n[is] 28 et 29. « Hactenus dicta, inquit Andreucci, de expec-« tando, vel exquirendo consilio capituli, habent dun-« taxat locum, ubi et quando contraria consuetudo non « fuerit legitime præscripta; nam ubi fuerit talis contra-« ria consuetudo, non solum est attendenda, sed æquipa-« ratur privilegio prælati. Unde tunc prælatus veluti ex « privilegio in casibus expressis potest operari sine con-« sensu et sine consilio capituli quoad validitatem... Li-« mites cum Barbosa, ut id non procedat iis in rebus quæ « nulla possunt consuetudine præscribi : sub qua limita-« tione intelligendum esse puto Lambertinum docentem : « *asseri posse hodie titulum* DE HIS QUÆ FIUNT A PRÆLATIS « SINE CONSENSU CAPITULI, *recessisse ab aula, siquidem hodie* « *Episcopi fere omnia expediunt sine consensu capituli*. » (*De tuenda pace*, etc., part IV, n° 215 [1].)

Non alia fuit praxis Episcoporum Galliæ a tempore

1. D. De Angelis hæc citando concludit : « Putarem proinde hodie « in hac re nos non vivere jure scripto, sed jure consuetudinario. » In tit. X, lib. III.

Concordati ad præsentem ætatem quam suorum prædecessorum sæculis proxime elapsis. Compertum cuique est Episcopos non se existimare lege adstrictos in plerisque negotiis, sed liberos prout sibi opportunum videtur, pro adjunctis rerum, aut consilia suorum respective capitulorum postulare in regimine diœcesis, aut a consiliis exquirendis abstinere.

Res eo devenerunt ut difficile designari possit pro nostris provinciis, qui sint in specie casus ex supra indicatis quos Episcopus non valeat expedire inconsulto capitulo, in iis quæ sunt regiminis diœcesis. Non inde concludas naturam et destinationem capitulorum immutatas fuisse, et incassum postremis temporibus SS. Pontifices ea instaurasse ut providerent consilio Episcoporum atque Ecclesiarum administrationi. Capitula sunt hodierna ætate, non secus ac sæculis præteritis, instituta ut Episcopum juvent in regimine diœcesis, illumque suppleant sede vacante; Episcopus semper potest, imo etiam debet consulere capitulum suæ Ecclesiæ cathedralis quando ita exposcit gravitas causarum; et, Episcopo postulante, capitulum ex officio tenetur operas impendere ut illum suis consiliis atque concursu adjuvet.

IV. In negotiis quæ ad Ecclesiam cathedralem attinent, vetus disciplina vim suam magis servavit. Ex jure communi, receptissima doctorum sententia, et Ecclesiarum firmata praxi, administratio pertinet *cumulative* ad capitulum cum Episcopo, adeo ut Episcopus nihil notabile statuere debeat in regimine Ecclesiæ cathedralis, absque assensu majoris partis capituli. Ita fuisse constanter observatum in Galliis, usque ad tempora perturbationis, versus finem sæculi proxime elapsi, eadem ratione ac in cæteris regionibus, testantur auctores qui disciplinam Ecclesiæ Gallicanæ certo noverant. « L'Église cathédrale, *ait* Du-
« casse, est commune à l'Évêque et à son chapitre. De là il
« s'ensuit que, quoique l'Évêque y tienne le premier rang,

« il ne peut pas néanmoins disposer de ce qui appartient « à l'église, ni même y faire des changements considéra- « bles sans le consentement du chapitre... Il y a beaucoup « de chefs sur lesquels le concile de Trente ordonne aux « Évêques d'agir de concert avec leurs chapitres. On peut « les réduire à ces deux chefs : savoir, à ce qui concerne « directement la cathédrale, comme l'ordre du service « divin, l'usage des prières et des cérémonies. C'est princi- « palement sur ces points que l'Evêque ne peut rien faire « que de l'avis de ses chanoines qui, pour cet effet, sont « appelés ses conseillers et ses coadjuteurs. Il y a d'autres « chefs qui regardent le gouvernement du diocèse, savoir, « les constitutions synodales, les ordinations des clercs, le « choix des prédicateurs, la collation des benéfices, dans « ces sortes de matières, on convient que ce n'est que « par bienséance et pour marquer l'estime qu'un Évêque « a pour son chapitre qu'il prend son conseil[1]. »

Non quidem ex mera condecentia olim Episcopus debebat exquirere consilium vel etiam consensum capituli, in tractandis negotiis quæ referuntur ad regimen diœcesis; sed quo devenerit disciplina, quæ sua ætate viguerit consuetudo, ante perturbationem rerum Gallicarum, scriptor citatus exponit.

Nihil obstat quominus capitulis serventur præcipua jura quibus tunc temporis fruebantur, quoad ea quæ ad ipsummet capitulum et Ecclesiam cathedralem attinent. Juxta leges civiles, ordinatio fabricæ Ecclesiæ cathedralis Episcopo dimittitur; unde potest canonicos assumere in consiliarios hujus fabricæ. Optandum ut in ea parte instauretur disciplina canonica; sed hæc componere inter Episcopum et capitulum non est officium canonistarum.

1. *Traité des droits du chapitre*, sect. III. Cf. Gohard. *Tr. des Bénéfices*, tom I, pag. 362; — Durand de Maillane; — Bergier, *Dictionnaire*; — Pontas, *Dictionnaire abrégé;* — Lacombe, *Recueil de jurisprudence*, v° *Chapitre*.

417. — III° *Quæ sint jura capituli quoad suum proprium regimen?*

Dictum est in præcedentibus, capitulum posse sibi statuta dare, quæ nihil habeant contrarium disciplinæ generali Ecclesiæ, vel mandatis Episcopi.

Potest plectere canonicos transgressores statutorum, dummodo pœna non excedat limites correctionis. « Capi« tulum, ait Pirhing, etiam sede plena, potest pœnas im« ponere transgressoribus suorum statutorum. » (In tit. DE MAJORITATE ET OBEDIENTIA, n° 43.) Excederet limites si præsumeret privare canonicos voce activa in conventibus capitularibus, aut eos declarare inhabiles ad officia; sed valet in eos animadvertere mulcta pecuniaria, pro negligentiis atque levibus excessibus quæ commiserint, sive intra sive extra ecclesiam, in functionibus tamen clericalibus in quibus capitulum procedit sub sua cruce. Conditiones quas, pro casu inflictæ pœnæ pecuniariæ, apponi voluit S. Congregatio, sunt : 1° ut mulcta non excedat summam consuetudine seu statutis determinatam ; 2° ut summa non cedat in favorem canonicorum, sed erogetur in usus pios. (*Thesaurus Resolutionum*, t. VII, anno 1735, pag. 163.)

Capitulum potest eligere et revocare adjutores chori, cantores, bidellos et alios inservientes; potest etiam eos punire. Reservatur autem Episcopo facultas eosdem officiales et inservientes removendi, justa intercedente causa.

418. — IV° *Quæ sint jura dignitatum et canonicorum?*

I. Jura dignitatum respondent obligationibus de quibus supra dicebamus; jura enim et obligationes simul ordinantur, in eumdem finem conspirant. Hæc speciatim notanda :

1° Prima dignitas præcedit omnes canonicos, tum in choro, tum in cœtu capitulari; altera immediate subsequitur, et sic deinceps de cæteris, servato ordine statutis vel consuetudine capituli præfixo.

In choro dat signum incipiendi et inchoandi divinum officium, et e choro exeundi, persolutis officiis. Reliqua vero munia ad regimen chori spectantia pertinent ad canonicum qui habet officium cantoris. (S. R. C., die 30 aug. 1692.)

Fungitur officio presbyteri assistentis, quando Episcopus celebrat solemniter. (*Cæremoniale Episcop.*, lib. I, cap. XXVI.)

Episcopo ægrotanti defert sacrum viaticum; mortuo autem funera celebrat; quod servandum etiamsi in Ecclesia cathedrali adesset canonicus exercens curam animarum, quique solitus esset sacramenta canonicis decumbentibus administrare[1]. (Ibid., lib. II, cap. XXXVIII. vid. Catalani Comment.)

Episcopus celebrare potest diebus præcipuarum solemnitatum, et etiam, pro suo arbitrio, in aliis festivitatibus per annum, quandocumque ei placuerit, cum cæremoniis quæ in lib. I, cap. VIII *Cæremonialis*, explicantur; sed, eo absente aut impedito, prima dignitas celebrat officia solemnia in festivitatibus quæ dici solent *Pontificales*, quasque determinavit *Cæremoniale*. (Lib. II, cap. XXXIV.)

Quando prima dignitas non potest celebrare officia in diebus solemnibus, aut alia munia obire quæ sibi jure obveniunt, non debet alium canonicum, ad suum placitum, substituere in sui locum; nec ipse Episcopus debet id munus alteri delegare; sed hæc pertinent ad secundam dignitatem, et, illa deficiente, ad eum qui proxime succedit. (*Cæremoniale*, lib. I, cap. XXVI. S. R. C., die 23 mart. 1709.)

De jure convocandi capitulum infra dicemus (n° 420).

1. Inde sequitur emolumenta ex causa funerum Episcopi, non pertinere ad Parochum in cujus parochia Episcopus habebat palatium et decessit, sed ad capitulum; Episcopus enim non censetur inter parochianos, quatenus est caput capituli. Ita S. Congregatio Concilii, die 24 martii, an. 1873.

2° Jura dignitatum inferiorum et officiorum determinantur singulorum capitulorum statutis, et praxi communi, ubi statuta nihil præfinierint.

419. — II. Jura singulorum canonicorum, quæ scilicet ipsi canonicatui annexa sunt, referuntur ad perpetuitatem tituli, admissionem in chorum et in cœtum capitularem, fruitionem præbendæ et distributionum, præcedentiam, et tandem ad usum insignium.

1° Canonicus suum titulum servat in perpetuum, nisi sponte cedat aut judicio privetur in pœnam delicti, quod etiam de canonicis honorariis dicendum arbitramur. Re quidem vera, canonicatus honorarius collatus fuit in perpetuum et habetur in communi existimatione pro titulo permanenti; quapropter ejusdem tituli privatio, si arbitrario fiat, lædit jus acquisitum, et insuper quamdam infamiæ notam inurit sacerdoti. An requiratur judicium, juxta formas assuetas juris, ad privandum canonicum honorarium suo titulo, decernere noluit S. Congregatio Rituum, ea de re consulta ab Episcopo Valentinensi in Gallia; id solummodo consilium dedit Episcopo ut non veniret ad privationem, nisi quando exigit indigna sacerdotis conversatio, ut contra illum de more procedere necesse sit ad majora scandala prævenienda (S. R. C., die 11 sept. 1847.)

2° Fruitur proventibus præbendæ et distributionibus, sub conditionibus supra expositis.

3° Canonici qui nec capitulariter incedunt, nec a capitulo sunt deputati, nec Episcopo associati, nullam habent præeminentiam in alios clericos diœcesis : servatur ordo præscriptus pro omnibus clericis, ratione habita ordinis et promotionis. — Si suum Episcopum comitatu honestant, sedent, etiam in Ecclesiis alterius diœcesis, ante simplices clericos, et ante ipsummet parochum Ecclesiæ, quia considerantur tanquam uniti suo capiti, quod etiam de canonicis honorariis definitum fuit a S. Congregatione Rituum

19 maii 1838. — Inter se, quando choro aut conventui capitulari adsistunt, servant ordinem statutis præfixum: sedent primo loco dignitates, deinde personatus; alii postea, servato installationis ordine.

4° Si forte sint inter canonicos qui insigniantur titulo protonotariatus apostolici, servant locum sui ordinis, ut canonici, quando incedunt in habitu canonicis communi. Si vero uti velint habitu prælatitio, nempe rocchetto cum manteletto[1], sedent post canonicos; reputantur enim quasi extranei, nulloque jure præcedentiæ gaudent in capitulo. Extra chorum, Protonotarii, nedum *ad instar participantium*, sed et etiam honorarii, qui *titulares* vocantur, dum incedunt induti habitu prælatitio, præcedunt omnibus clericis, sacerdotibus simplicibus, et ipsis canonicis, singulatim sumptis (n° 123, t. I, p. 205).

Vicarius generalis, si sit e gremio capituli, et choro intersit cum habitu canonicorum, suum locum habet inter cæteros, nec ab eis ulla præeminentia secernitur. Si vero intersit in habitu vicariali, præcedit dignitatibus et canonicis veste chorali indutis. Porro habitus vicarialis est vestis talaris cum mantello et biretto. Etenim vicarius generalis, qua talis, non est canonicus, quapropter non debet induere vestem choralem canonicorum; nec etiam est necessario presbyter, aut sacris ordinibus initiatus; sufficit ut sit clero cooptatus per primam tonsuram: ergo vestem tantum clericalem induit quoties non alio titulo interest quam vicariatus generalis.

Hæc dicta sint ad præscriptum juris communis; sed

1. Mantelettum vocant vestem breviorem apertam, ita ut per scissuras brachia extrahi possint; illam prælati gestant super vestem inferiorem talarem, quando incedunt in habitu prælatitio. Color manteletti determinatur ex gradu prælaturæ. Porro Protonotarii nullam prælationem, id est jus præcedentiæ, sibi arrogare valent, nisi quatenus habitu prælatitio utuntur : « absque dictis insignibus, ait « Riganti, reputantur et habentur uti privati clerici, vel presbyteri, « nulla dignitate decorati ». *De Protonotariis apostolicis.*

ratio habetur in singulis provinciis statutorum et probatæ consuetudinis locorum.

5° Canonici jus habent utendi insignibus suo capitulo attributis. Plerumque conceduntur rocchettum, almutium et mozetta; quandoque etiam datur cappa magna; imo sunt nonnulla capitula quæ condecorantur pontificalibus.

Cum non sinat ratio nostri instituti, ut de his insignibus per singula tractemus, duo tantum notabimus. 1° Juxta disciplinam consuetudine inductam, quam non semel declaravit S. Congregatio Rit. stricte servandam, necessarium est Indultum Apostolicum ut canonici assumant insignia, vel data insignia mutent. Episcopis quos S. Sedes promovit post initum Concordatum an. 1801, concessa fuit per subdelegationem Card. Legati, facultas concedendi canonicis insignia choralia quæ illis convenire arbitrarentur. 2° Canonici insignibus sui ordinis uti debent tantummodo in sua propria Ecclesia, et extra Ecclesiam quando capitulariter procedunt, v. g., in publicis supplicationibus; « non « autem si intersint ut singuli, nisi speciale privilegium « nedum collegium comprehendat, verum etiam singula- « riter et distincte ad personas extendatur. » Ita censuit S. Congreg. cujus decretum evulgari jussit Pius VII pridie nonas junii, an. 1817. Ratio est quod insignia data sint ad decorandum capitulum, non vero in ornamentum distinctivum canonicorum. Canonici igitur qui, extra propriam Ecclesiam, in eadem etiam diœcesi, conciones habent, alias functiones obeunt, vel divinis intersunt officiis *ut singuli*, non possunt jure communi uti suis insignibus, cappa, rocchetto, mozetta, etc. Hæc autem insignia gestare ipsis datur in sua Ecclesia,, dum functiones etiam non capitulares exercent, dummodo tamen non administrent sacramenta, quo in casu leges rituales volunt ut sacerdos, quacumque dignitate polleat, utatur superpelliceo cum stola.

Ex variis decisionibus S. Congreg. R., canonicus coram

suo Episcopo sermonem solemnem habens induere potest habitum canonicalem, ubi mos iste servatur. Sed, excepto hoc casu, eadem S. Congreg. sæpe respondit ad dubia proposita canonicis licitum non esse, ne quidem vi assertæ consuetudinis, gestare palliolum, vulgo mozettam, dum singillatim aliquod munus obeunt, sacrisve functionibus intersunt, extra chorum ecclesiæ suæ cathedralis, in aliis ecclesiis diœcesis. — Die 9 maii 1857; — die 16 martii 1861; — 7 april. 1832.

6° Ultimum tandem jus, seu privilegium canonicorum refertur ad susceptionem sacramentorum Viatici atque Extremæ Unctionis, et ad exsequias.

Duæ sunt regulæ generales, quarum una vult singulos fideles sacramenta recipere a parocho loci ubi domicilium habent; altera autem statuit ut fideles qui suam sepulturam non elegerunt, nec habent sepulchrum majorum, sepeliantur in Ecclesia ubi pabulo cœlesti refici consueverunt, ubi scilicet divina officia audire et sacramenta recipere debuerunt; unde canonistæ concludunt clericos habentes beneficium residentiale, sepeliendos fore in Ecclesia cui addicebantur suo titulo et officio.

Quæstio est igitur an canonici habendi sint vere parochiani Ecclesiæ cathedralis, etiamsi commorentur intra fines alterius parochiæ, an sint potius parochiani loci ubi suum domicilium reale habent; a quo proinde, a capitulo an a Parocho domicilii, ultima sacramenta, nempe Viaticum et Extremam Unctionem, recipere debeant. Non una fuit omnium ea de re sententia. S. Congregatio concilii interpres, dedit ea de re decisiones quæ videri possent contradictoriæ, ut refertur apud Ferraris, v° *Canonicatus*, art. VIII, n^is 14-20, et tamen facile explicantur, si attendatur ad diversitatem temporum et circumstantiarum. S. Congregatio Rituum, exortam controversiam inter Archipresbyterum Ecclesiæ cathedralis alicujus civitatis et Parochos aliarum ecclesiarum ejusdem civitatis solvit,

rescribendo, anno 1756, ut canonici qui domicilium habebant intra fines harum parochiarum ultima sacramenta reciperent a parocho domicilii, utque canonici decedentes intra fines earumdem parochiarum tumularentur in Ecclesia cathedrali, solutis juribus parochialibus parocho domicilii. (*Decreta authentica*, n° 4262, ad VII, et ad XI.)

His standum est, quando quæstio ad terminos juris communis perpenditur ; nihil vero obstat quominus aliter ordinatum sit statutis et consuetudinibus locorum, eo magis quod Episcopus valeat privilegia et immunitates a jure parochiali nonnullis communitatibus conferre [1]. Porro praxis magis recepta in Galliis est ut « canonicis in « mortis periculo constitutis, et in quacumque civitatis « episcopalis parœcia degentibus, ultima sacramenta de- « ferantur a capituli præside... eorumque exsequiæ fiant « in Ecclesia cathedrali, » quemadmodum statuit concilium Tolosanum, an. 1850 habitum. (Tit. I, cap. V, n° 27.) S. Congregatio Concilii resolvit in eo sensu, attentis consuetudinibus, controversiam exortam in Galiis inter capitulum et Parochum, die 16 febr. an. 1867. — Unde concludit Parochum jus non habere interveniendi cum stola et pluviali in funeribus canonicorum in sua parœcia decedentium. Id æque applicandum canonicis titularibus et honorariis, ubi eadem est erga utrosque loci constans praxis, seu consuetudo legitime præscripta.

ARTICULUS VI. — DE CŒTU CAPITULARI.

Ex ipsa notione capituli sequitur canonicos identidem convenire in concilium, ad deliberandum de negotiis quæ ad suum officium attinent, ut valeant jurium capituli exercitio providere, et obligationibus satisfacere.

1. Cf. Reiffenstuel in titulum XXVIII, n^is 13-18, libri III Decretalium; — Pignatelli, tom. VIII, *Consult.* V, tom. I, n° 260, p. 458.

* 420. — I° *Ad quem pertineat cœtum capitularem convocare?*

Capitulum convocatur, tum ab Episcopo, tum a dignitate, ratione habita materiæ de qua agitur et statutorùm.

I. Episcopus potest convocare capitulum quoties opportunum judicat illius consilium exquirere, in negotiis quæ referuntur ad bonum diœcesis. Idem potest vicarius generalis, seu præsente, seu absente Episcopo, vi delegationis specialis ab Episcopo acceptæ.

Concilium Tridentinum decernit quidem capitulum convocandum fore, absente Episcopo, ab iis de capitulo ad quos de jure vel de consuetudine spectat; sed id statuit de capitulis exemptis. Ita interpretatur C. Petra, post Fagnan et Barbosa, « ea valida ratione, inquit, quia in « capitulis exemptis facultas convocandi tribuitur tantum « Episcopo, in reliquis vero non est necessaria illa facul« tas, quia eam habet a jure communi, quamque commu« nicat vicario, qui proinde jurisdictionem habet in capi« tulo, et sic potest convocare, justa existente causa, in « iis negotiis in quibus juxta suas facultates judex esse « potest. » (*Comment.* in I^am^ Const. S. Leonis I, sect. II, n° 52. Tom. I Ferraris, v° *Capitulum*, art. I, n° 16. Aliunde concilium Tridentinum declarat ea quæ in hocce capite statuit, locum non habere « in iis Ecclesiis in quibus « Episcopi, aut eorum vicarii, ex constitutionibus, vel « privilegiis, aut consuetudinibus, seu quocumque alio « jure majorem habent potestatem, auctoritatem et juris« dictionem, quam in præsenti decreto sit comprehensum, « quibus sancta synodus non intendit derogare. » Porro, consuetudine diuturna et statutis, Episcopi valent delegare suis vicariis facultatem convocandi capitulum cathedralis Ecclesiæ.

II. Præses capituli potest etiam illud convocare, quando agitur de propriis negotiis ipsius capituli; et si convocare negligat, convocatio ab eo fieri potest qui est in gradu

subsequenti, attentis tamen circumstantiis, scilicet motivis quibus prima dignitas ducitur ad supersedendum convocationi capituli.

An requiratur prævia licentia Episcopi ut fiat convocatio, non ita constat. Alii sustinent capitulo inesse jus proprium se coadunandi absque licentia Episcopi, et in suæ opinionis patrocinium invocant nonnullas declarationes olim datas a S. Congregatione Concilii. Admittunt tamen Episcopum posse, ex aliqua gravi et rationabili causa, aliquando suspendere vel prohibere convocationem capituli. Cæteri canonistæ negant hoc jus competere capitulis, nisi inductum fuerit diuturna consuetudine. Hanc sententiam admissam fuisse a tribunali Rotæ refertur in causa conflictus alicujus Episcopi cum suo capitulo. Censuit nimirum pronuntiandum fore in favorem capituli, quando firmatam consuetudinem prætendit : « Ex diametro « autem, nisi constet de consuetudine, procedere resolu- « tiones (S. Congregationis) quæ militant pro Episcopo. » Ita Barbosa, Pignatelli, Card. Petra, Ferraris, etc. « In « hac re, ait Pignatelli, video per S. Congregationem « Episc. et Regul. non requiri licentiam Episcopi, si soli- « tum sit sine ea se congregare. Ergo e contrario non « licet se congregare, si non probetur solitum... Est « regula ut non liceat collegiis et universitatibus se con- « gregare sine licentia superioris. » Tom. IV, *Consult.* CLIV, n[is] 1-7. Card. Petra animadvertit cum pluribus canonistis, consuetudinem illam, si prætendatur, « deberi probari a « capitulo, cum jus assistat Episcopo ». Loc. cit., n° 48.

Iidem canonistæ referunt Congregationem alias respondisse Episcopum, ubi consuetudo viget ut capitulum non congregetur absque illius licentia, non posse cogere canonicos ad declarandum quæ negotia agere debeant in suo conventu, quamvis requirere valeat ut sibi exhibeant transcriptionem authenticam deliberationum. Invigilare siquidem debet ne a capitulo prodeant resolutiones contrariæ

disciplinæ ecclesiasticæ. (Card. Petra, n° 55; Ferraris, v° *Capitulum*, art. I, n[is] 11, 12).

Praxis communior Galliarum fuit hucusque a tempore Concordati, ut capitulum non congregaretur absque licentia Episcopi.

In actu convocationis designatur locus quo canonici convenire debeant, si designatus hactenus non fuerit. Electa semel aula capitulari, Episcopus non debet canonicos alio convocare, præsertim in suum palatium; sed ipse, aut vicarius qui suo nomine præsidet, debet adire locum ubi conventus regulariter habentur. (Barbosa, cap. XXXV, n[is] 10, 11; Ducasse, sectione VIII.)

*421. — II° *Quinam convocandi sint?*

Convocari debent omnes canonici præbendarii præsentes in civitate, exceptis solum qui impedimento juris excluduntur.

Canonistæ tenent dignitates capituli, si non sint e gremio capituli, non convocari, nisi in triplici casu, quando scilicet : 1° fundatione, jus obtinent suffragii; 2° agendum est de correctione morum, vel de decentia cultus divini, quia ad hoc dignitates instituuntur; 3° ex consuetudine aut possessione saltem decennali id juris habent.

His non immorandum, cum in nostris ecclesiis dignitates sint e gremio capituli. Vidimus supra vicarios generales, a tempore Concordati, habitos esse in plerisque Ecclesiis Galliarum, ut primas dignitates Ecclesiæ cathedralis, titulo archidiaconorum, licet non essent e gremio capituli (398); sed nunc, statutis capitulorum revisis ac mutatis ad normam juris communis, non amplius numerantur inter dignitates. Inde concludemus in n° subsequenti illos non admitti in cœtum capitularem nec ipsi adsistunt nisi illum convocent ac præsint loco Episcopi.

Diximus : 1° *Omnes canonici præbendarii*... Omnes jus habent. Si vel unus ex industria omittatur, agere potest de *contemptu*, id est postulare ut irritetur deliberatio : quod

gestum est in illius absentia, jure quidem subsistit, sed rescisioni obnoxium manet, si canonicus neglectus nullitatem provocet. Nihil certe tam adversatur fini cujuslibet collegii deliberantis, quam si fraudulenter removeantur quidam consiliarii : quapropter omnibus negotiis merito applicatur quod de electione specialiter dictum fuit : *Plus in talibus consuevit contemptus unius obesse quam plurium contradictio in præsenti*. (Cap. *Bonæ memoriæ*, 36, DE ELECTIONE.)

De canonicis præbendariis agimus, ut excludamus honorarios, qui utique jus non habent sedendi in cœtu capitulari, nisi forte alicubi hoc jus ipsis tribuatur statutis capituli [1].

Diximus 2° *Præsentes in civitate*... Regulariter non vocantur procul absentes, nec qui difficulter vocarentur, aut cum periculo expectarentur. At cum regula habeat aliquid nimis vagum et incertum, jus canonicum quosdam in specie casus expressit pro quibus vocari debent absentes, nisi aliter induxerit consuetudo; nimirum : electionem prælati faciendam, collationem præbendarum seu beneficiorum, et cessationem a divinis. (Cap. *Cum in ecclesiis*, 33, DE PRÆBENDIS in VI°; *Quia propter*, 42, DE ELECTIONE; *Quamvis*, 8, DE OFFICIO ORDINARII.)

Casibus jure expressis, qui in statu præsenti locum non habent apud nos, addere necessarium videtur 1° negotia ardua et magni momenti, v. g. alienationem bonorum capituli, electionem vicarii capitularis; 2° deliberationes quæ in singulorum præjudicium tendere possunt; 3° alios tractatus capitulares pro quibus consuetudo locorum fert ut absentes vocentur. Plures canonistæ hujusmodi negotia adnumerant inter casus speciatim exceptos, propter paritatem rationis, eo magis quod jus canonicum tres casus

1. Cf. *Thesaurum resolutionum* S. C. tom. XCVI, pag. 543 (an. 1735), ubi refertur ea de re controversia inter Episcopum Ventimilensem et capitulum.

indicando, cæteros non excludat. Ergo quoties hæc et similia gravioris momenti debent in conventu agi, vocari oportet absentes, modo non sit periculum in mora, et absentes non procul degant, sed sint in diœcesi aut finitimis locis, adeo ut absque difficultate fiat convocatio [1].

Diximus 3° *Nisi impedimento canonico aut naturali teneantur*: v. g. si qui in suspensionem denuntiatam incurrerint, vel si mente capti sint, de quo nihil amplius notandum.

Convocatio regulariter facta imponit canonicis obligationem conveniendi in locum assignatum, nisi legitima causa excusentur.

422. — III° *Utrum vicarii generales admitti debeant in conventu capitulari?*

I. Vicarius generalis qui, ex dictis supra, jus habet convocandi capitulum, pro negotiis quæ referuntur ad bonum generale diœcesis, in quibus expostulatur consilium, vel consensus canonicorum, habet etiam jus præsidendi cœtui capitulari loco Episcopi, et suffragantium vota exquirendi. Unum ab altero sequitur juxta disciplinam canonicam.

II. Vicarius generalis non debet regulariter, qua talis, interesse cœtibus capitularibus, ubi tractatur negotium ad ipsummet capitulum spectans; potest vero, si ita consuetudine vel statutis determinatum sit. Et quidem si attendatur ad jus commune, vicarius non canonicus admittendus non est, quia regula generalis fert non alios quam membra capituli, et dignitates in casibus supra dictis, convenire in tractatus capitulares : porro vicarius episcopalis, qua talis, non est de gremio capituli.

Consuetudine tamen, vel statutis, res aliter ordinari potuit. « Si concurrat consuetudo, ait C. Petra, ut Episco- « pus seu vicarius interveniat in omnibus capitulis etiam

1. Schmalzgrueber, in titulum DE HIS QUÆ FIUNT A MAJORI PARTE, n^is 13-17; — Card. Petra, loc. cit., n^is 39-43; — Gohard, *Tr. des Bénéfices*, tom, II, pag. 729.

« quæ fiunt pro re spectante ad capitulum, debet illa ser-
« vari, ut docent Barbosa, *de Canonicis*, cap. xxxv, Pignatelli, consult. cliv, etc., dicentes talem consuetudinem « formaliter esse probandam saltem per decem annos, qui « videntur sufficere, cum non sit contra jus. » (N° 56.) Ita etiam Ferraris, v° *Capitulum*, art. i, n^is 17-22, qui profert declarationem datam a S. Congregatione 5 maii 1585 in causa vicarii Arch. Mediolanensis, his verbis prolatam : « S. Congregatio decrevit vicarium Archiepiscopi Mediol. « capitulis Ecclesiæ metropolitanæ et negotiorum tractationi et expeditioni interesse valere, et priman sedem « habere juxta decretum concilii provincialis tertii. » Ita ratiocinantur canonistæ in hypothesi quod non agendum sit de commodo, seu, ut aiunt, *de privato interesse* vicarii; eo enim casu adveniente, egredi deberet et relinquere canonicos solos, ut libere rem ipsi discutiant et terminent.

Ubi vero Episcopus, seu vicarius generalis, juxta consuetudinem intervenit in cœtu capitulari, non potest suum suffragium ferre, si non sit canonicus ; quia, ex natura rerum, jus ferendi suffragium non ad alios pertinet quam ad membra corporis deliberantis, quando agitur de negotio ad ipsum capitulum spectante. (Card. Petra n° 59; Ferraris, n° 21, loc. cit.)

* 423. — IV° *Quæ regulæ servandæ sint in deliberationibus capituli?*

I. Necesse est ut *adsint saltem duæ ex tribus partibus canonicorum*, quod intelligendum relative ad capitulares qui supersunt, detractis illis qui non possunt interesse. Regula est receptissima apud canonistas et jurisperitos, illud totum corpus facere censeri quod duæ partes faciunt, servato ordine jure præstituto. (Cap. *Cum nobis*, 19, de Electione, in parte decisa.)

Si tamen canonici rite convocati venire detrectent, cæteri qui præsentes sunt possunt ultra procedere, etiamsi

non efficiant majorem partem capituli : nam, convocatione regulariter facta, qui non parent, contumaces habentur et censentur renuntiare juri suo pro illa vice ; illorum contumacia non impedit quominus tractentur negotia capituli. Idem dicendum videtur si, post incœptam deliberationem, major etiam pars recesserit, quando instat terminus præfixus, vel est periculum in mora [1].

II. Deliberatio fit *inter præsentes*, nec computantur suffragia absentium; membra enim capituli collegialiter solummodo deliberant. Canonici tamen qui impedimento detinentur, possunt quandoque deputare procuratorem. « Si quis justo impedimento detentus, in electionis negotio « nequeat commode interesse, ait Bonifacius VIII, potest « nedum uni, sed et pluribus committere vices suas, dum « tamen eorum cuilibet det in solidum potestatem. » (Cap. *Si quis justo*, 46, DE ELECTIONE VI°. Ita jam statuerat cap. *Quia propter*, 42, eod. tit. in lib. I Decret.)

Hæc de electione solemni sancita sunt; unde concludendum nobis videtur in aliis casibus et præsertim in electione vicarii capitularis idem servari posse. Cum canonici habeant jus suffragia ferendi in omnibus causis quæ ad capitulum attinent, et modus ille suffragandi per procuratorem expedire visus fuerit in negotiis etiam majoris momenti, non est cur non admittatur in electione vicarii capitularis, eo magis quod mens Ecclesiæ, atque illius votum est ut hæc nominatio consentientes habeat omnes canonicos, quantum fieri potest.

Non tamen indiscriminatim singulis conceditur facultas deputandi procuratorem, sed in casibus præfinitis et sub certis conditionibus. 1° Si canonicus sit in loco unde debeat convocari; alioquin jus non habet ad convocationem, nec consequenter jus prætendere potest suffragium dandi

1. Cf. Pirhing, in tit. VI, lib. I, n° 137. — Reiffenstuel in tit. XI, lib. III, n^is 14-17. — De Angelis in eumdem titulum n° 5.

per deputatum. 2° Si vera impossibilitate detineatur, gravi nimirum infirmitate sit impeditus quominus ad aulam capitularem se conferat. 3° Necesse videtur ut vices suas uni e collegio committat, saltem si ita fieri capitulum petierit; siquidem capitulum non tenetur extraneam personam admittere in sua comitia. (Cap. *Quia propter*, et *Si quis justo.*)

Quando canonicus absens alicui delegavit suas vices, designando personam cui suffragium dari debeat in electione, procurator poterit hanc personam nomine absentis eligere, et in alteram suum proprium votum transferre; nulla quippe reperitur contradictio in tali agendi ratione. Si vero canonicus absens rem prudenti arbitrio et conscientiæ procuratoris commiserit, fas non erit procuratori unum nomine absentis cujus vices gerit, alterum suo proprio nomine eligere, ne videatur suam *conscientiam dividere*, utì jura loquuntur.

III. Altera conditio, jure naturali et canonico requisita, est ut *deliberatio fiat cum libertate*, adeo ut si capitulum adigatur, v. g., ad electionem vicarii capitularis, minis, factione partium, comminatione magistratus sæcularis, aliove modo, electio non valeat; est saltem rescisioni obnoxia. Quod idem dicendum de altera quacumque deliberatione ex metu gravi inita [1].

Quid vero si capitulum metu adigatur ad eligendum, non quidem certam personam, sed alteram ex pluribus, vel e tali provincia, cæteris penitus exclusis? Solutio pendet a circumstantiis et præsertim a libertate, quæ, exclusione facta, relinquitur electoribus; perspicuum enim est eo magis gravari libertatem quo arctius conclusus fuerit numerus personarum ex quibus altera eligenda sit. Si plures remaneant idoneæ in quas officium transferri convenienter queat, putamus valere electionem, tametsi res-

1. Cf. Commentaria canonistarum in titulum XI lib. I Decret. DE HIS QUÆ VI METUSVE CAUSA FIUNT.

cindibilis sit ad arbitrium superioris. Valet electio; si quidem substantia electionis absolute loquendo in tali casu subsistit, nec capitularibus adempta est omnis libertas eligendi, cum possint adhuc unum idoneum ex pluribus assumere ad officium. Addimus tamen rescindibilem fore, utpote quæ facta non sit secundum canones, cum plena libertate. (Schmalzgrueber, in tit. VI DE ELECTIONE, n° 66. Pirhing, n° 237.)

IV. Requiritur, et communiter sufficit *majoritas absoluta capitularium* ad deliberandum.

Requiritur majoritas ex omnium consensu; siquidem corpus morale deliberans nequit repræsentari a minori sua parte, nisi ipsummet consentiat vices suas alicui demandare... Majoritas esse debet absoluta non relativa; quod a majoritate solummodo relativa procedit, dici nullatenus potest procedere a majori parte capituli. (Ferraris, v° *Vicarius capitularis,* art. I. n° 66.) Quod si forte suffragia in partes numero æquales dividantur, non præponderat votum præsidis, nisi aliter ordinatum sit statutis capitularibus; juxta enim disciplinam vigentem in conciliis et cæteris conventibus ecclesiasticis, præses non potitur jure suffragii præponderantis. Quapropter si æqualia numero suffragia dentur duobus candidatis ad officium vicarii capitularis, et octo dies elapsi sint quin capitulares concordare potuerint in majoritatem, electio defertur ad metropolitanum. Ita definitum refert Ferraris, loco citato, n° 46...

Aliquando non sufficit majoritas absoluta, sed statutis peculiaribus, vel inducta consuetudine, exiguntur duæ suffragiorum partes. Quin etiam sunt certa negotia pro quibus jure communi requiritur unanimitas suffragiorum, si nempe res de qua agitur singulorum intersit, adeo ut singuli jus proprium personale habeant. Est nimirum regula juris XXIX : *Quod omnes tangit ab omnibus debet approbari.* Aliter sentias de casu in quo res non respicit ad

canonicos nisi *universim* sumptos, quatenus collegium efficiunt; tunc agitur in deliberatione ineunda de commodo vel incommodo totius collegii, quamvis causa in quæstionem adducta singulos etiam *tangat*, quatenus sunt membra capituli.

Hinc concluditur electionem, seu solemnem seu simplicem, fieri non posse par *compromissum* nisi omnes in id consentiant (nº 74, tom. I, p. 135); quia singuli jus proprium habent conferendi suum suffragium. E contra majoritas absoluta sufficiet ad statuendum de alienatione boni communis mensæ capitularis, quoniam dominium hujus boni non ad canonicos, quatenus *singulos*, sed ad omnes universim, id est ad collegium pertinet [1].

124. — Jura quandoque statuunt approbari quæ fiunt a *majori et saniore parte* capituli, ut dicitur in cap. *Cum in cunctis*, 1, DE HIS QUÆ FIUNT A MAJORI PARTE, etc., lib. III Decret. Sanior pars censetur quæ dignitate, integritate, studio honoris Dei et disciplinæ ecclesiasticæ prævalet. Cum tamen difficillimum esset, ac periculosum, discrimen assignare inter suffragantes, communiter attenditur solummodo ad numerum suffragantium; et quod major pars judicaverit, a saniori etiam judicatum præsumitur. Nisi proinde minor pars aliquid grave et canonibus firmatum opponat, capitulum non supersedebit exsecutioni sui decreti; si vero minor pars prætendat jus violatum, et hoc ratione gravi sustineat, non potest quidem rescindere actum capituli, sed potest ad superiorem appellare; qua provocatione, si facta sit forma regulari et tempore opportuno, suspendetur exsecutio decreti, donec superior sententiam protulerit, re ad præscriptum canonum perpensa.

125. — Vº *Utrum negotia capituli agi possint a duobus canonicis, vel ab uno solo superstite, si forte cæteri omnes*

1. Cf. Reiffenstuel, lib. VI, in regulam XXIX.

mortui sint, vel fuga dispersi, aut aliquo impedimento detenti?

Quamvis ea sit constitutio cujusvis collegii ut tribus saltem membris componi debeat, jus tamen capituli semel rite erecti retinetur in paucioribus, vel etiam in uno (nº 380). Hinc sequitur duos qui forte remanserint, imo unum qui, cæteris omnibus deficientibus, solus superstes fuerit, agere posse negotia capituli. « Si omnes præter « unum de capitulo essent incapaces, ait Card. Petra, re- « manet jus penes unum, ut late et magistraliter Rota in « Mojoricensi Benef., 29 mart. 1700... et ratio est quia « cum jus sit penes singulos de collegio, non uti singulos « sed uti universos, eo ipso quod nequeunt illi (qui inca- « paces sunt ob aliquod canonicum impedimentum) esse « membra collegii, per jus non decrescendi remanet in « aliis... Nam etsi verum sit unum non constituere capi- « tulum... tamen in casu quo omnes alii sunt incapaces, « remanet jus collegii penes unum. » (*Comment.*, in I const. S. Leonis Magni, sect. II, nis 33, 36, t. I, pag. 37, 38.) Card. de Luca eamdem protulit sententiam : « Vacatis de « facto pro majori parte canonicatibus, vel existentibus de « jure canonicis impeditis, seu habitis pro non exstantibus, « puta per censuras vel alia impedimenta, tunc totum ca- « pitulum consolidatur in non impeditis, etiam in paucis, « quinimo etiam in uno non impedito. » (*Discursus in concil. Trident.* XXXI, nº 4; XLIII, nis 24, 25.)

Quod si tamen capitulum sit interdictum vel suspensum ob delictum, canonici qui istius delicti participes non fuerunt, non valent agere nomine capituli. Dicitur in una decisione Rotæ : « Licet capitulum conservetur et sit « repræsentabile per unum duntaxat canonicum, repræ- « sentatur tamen (in hoc casu) tanquam corpus infectum « et inhabile ad exercendum actus jurisdictionales : alias « darentur in eadem Ecclesia duo capitula, alterum sus- « pensum et interdictum, et alterum neque suspensum « neque interdictum, quod monstruosum esset. » (*Decisio-*

nes recentiores Rotæ, part. XII; t. I, decis. 43, n^is 12-16.)

Hanc doctrinam, quoad utrumque punctum, reperimus communiter receptam apud celebriores canonistas, Fagnan, Barbosa, Pirhing... qui multa exinde corollaria practica deducunt, ex quibus duo, exempli causa, ob rerum gravitatem adducemus.

1° Deducunt ex principio allato canonicum, qui, sede vacante, solus superstes fuerit, posse concedere litteras dimissoriales, quod sic etiam declaratum a S. Congregatione concilii refert Fagnan : « An casu quo capitulum concedere « potest dimissorias, si canonici propter hæreses sint dis- « persi et nequeant convenire, aut conveniri sine difficul- « tate, sufficiat habere dimissorias ab uno aliquo ex cano- « nicis cathedralis... S. Congregatio Card. concilii Triden- « tini interpretum censuit... sufficere habere dimissorias a « residentibus capitularibus, etiamsi unus duntaxat resi- « deret, quia jus capituli etiam in uno conservatur. » (In cap. *His quæ*, n^is 62 et 63, DE MAJORITATE ET OBEDIENTIA, lib. I Decret.)

2° Deducunt capitularem qui remanet posse ad electionem seu potius ad nominationem prælati procedere, in locis ubi capitula hoc jure fruuntur. « Si vero unus solus « remaneat, ait Pirhing, aliis duobus mortuis, vel a so- « cietate recedentibus, non erit collegium actu, cum hoc « collectionem personarum, ex vi significationis suæ, im- « portet; jura tamen collegii in illo uno remanebunt, et « sic collegium quodammodo habitu, seu virtute, in uno « manebit, isque solus et unus poterit exercere actus colle- « gio seu capitulo competentes, ut est eligere, et postu- « lare... et quamvis se ipse eligere non possit... potest « tamen aliam personam in prælatum eligere, vel potius « nominare. » (In tit. DE ELECTIONE, n° 12, lib. I Decret. [1].)

1. Tempore perturbationis rerum publicarum in Galliis, cum obiisset in regione extera Yvo de Marbœuf, Archiepiscopus Lugdunensis, tres canonici qui e capitulo supererant, cæteris vi tempestatis in

* 426. — IV° *Utrum necesse sit deliberationes capituli confirmari ab Episcopo, et quis sit effectus hujus confirmationis?*

I. Deliberationes capituli indigent probabiliter confirmatione data ab Episcopo, ut stabiliter valeant in futurum, vimque legis obtineant. Deducitur ex dictis supra (n° 395).

Necesse est præterea ut deliberationes de publicis officiis, aut de regimine capituli in re majoris momenti, subjiciantur examini Episcopi et ab eo approbentur; vigilare enim debet Antistes ne quid innovetur contra disciplinam.

Minora negotia regiminis capituli possunt a canonicis pertractari in suo conventu, quin urgeat necessitas adeundi Episcopum, causa obtinendi confirmationem. Ita communiter, teste Suarez. (*De Legibus*, lib. IV, cap. VI, n° 11.)

427. — II. Diversi sunt effectus confirmationis, prout data fuit solummodo in commendationem statutorum, vel

varias regiones disjectis, vicarium capitularem elegerunt die 12 maii an. 1799, qui diœcesim sede vacante regeret. Pro sua parte Congregatio particularis Cardinalium a Pio VI constituta super negotiis ecclesiasticis Galliarum, ut primum audierat de morte Archiepiscopi, mature prospexit ne grex pastore careret tam necessario tempore, et deputavit J.-B. Verdolin in administratorem apostolicum. Hinc orta est contentio inter vicarium capitularem et administratorem apostolicum. Cardinales Albani, Gerdil, Antonelli et Maury, quos Pius VI præfecerat his negotiis, pronuntiaverunt se in priori sententia de deputando administratore permanere, ac tandem causæ finem imposuit Pius VII datis litteris *Ecclesiæ Lugdunensis* die 2 sept. 1800, in quibus quod decretum a Congregatione fuerat confirmavit, hæc subjungendo : « Neque ullam sane habendam rationem censuerunt « (cardinales) ejus quod actum a tribus canonicis istius Ecclesiæ ca« thedralis esset, qui totius capituli potestatem ad se reductam falso « opinantes, vicarium capitularem contra fas delegerunt dilectum « filium Bernardum de Rully. » Conjicimus Pium VII non intendisse improbare sententiam communissimam canonistarum de jure capitularium qui, cæteris tempestate depulsis, supersunt in sua Ecclesia residentes; sed ita locutum ob facultates speciales quas Pius VI demandaverat super negotiis ecclesiasticis Galliæ, Congregationi selectæ Cardinalium.

ut induant indolem legis superioris. In priori casu approbatio dici potest mere *accidentalis*; in secundo casu, *essentialis*.

Capitulum potest sua statuta, etsi confirmata ab Episcopo vel etiam a S. Pontifice, revocare aut immutare, non obtento prius Episcopi vel S. Pontificis consensu, quando statuta de negotiis sunt quæ jure ad capitulum pertinent, et confirmatio data est *accidentalis*, ut aiunt, non *essentialis*. Hujusmodi confirmatio superadditur ob quemdam specialem splendorem, non autem ut statuta capitularia induant naturam legum pontificiarum, seu episcopalium, quæ vim obligandi habeant.

Quoties confirmatio respicit commodum statuentium, præsumitur mere accidentalis; quia superior non censetur velle conferre beneficium invito. E converso, quando statutum principaliter refertur ad bonum publicum, vel ad favorem Ecclesiæ, præsumitur confirmationem esse essentialem, vimque superaddere quæ jam a voluntate statuentium non pendeat. (Fagnan, in cap. *Cum accessissent*, n° 12; Schmalzgrueber, in tit. DE CONSTITUT., n° 54 et Andreucci, loc. cit., n° 154.)

SECTIO V[a]

DE REGULARIBUS.

Regulares dicuntur qui modum vitæ communis ab Ecclesia probatum, emissis votis, profitentur. De regularibus inquirendum habemus: 1° quæ sit origo status religiosi; 2° quæ sit natura hujus status, et quatenus ordines religiosi approbari debeant; 3° qui admittendi sint in statum religiosum, et regulæ servandæ in illorum admissione; 4° quibus obligationibus obnoxii sint regulares, sive ex votis, sive ex legibus canonicis; 5° demum de regimine ordinum religiosorum, quæ sit auctoritas superiorum regularium, et quatenus Regulares subdantur jurisdictioni Episcoporum [1].

Articulus I. — De origine status religiosi, ac præcipuorum ordinum religiosorum.

Quæstio de origine status religiosi duplex est : una, ut ita dicam dogmatica, an status religiosus sit jure divino, utrum nempe Christus hunc statum instituerit; altera vero historica, quandonam institui reipsa cœperit in Ecclesia status religiosus.

428. — 1° *Utrum Christus instituerit statum religiosum?*

1. Tit. xxxi et xxxv, lib. III, decret. de Regularibus, et de Statu monachorum. Conc. Trid., Sess. xxv, *de Regularibus;* — S. Thomas, 2a 2æ quæst. 186, 187, 188; — Suarez, *de Religione*, tom. III et IV; — Tamburini, *de Jure abbatum;* — Hélyot, *Histoire des ordres religieux*, 8 vol. in-4.

Canonistæ communiter dicunt statum religiosum, si spectetur quoad substantiam, institutum fuisse a Christo; si vero spectetur quoad peculiarem determinatumque modum vivendi, suam originem habere ab institutione Ecclesiæ : unde concludunt hunc statum secundum se, abstrahendo a forma talis alteriusve ordinis, esse de jure divino, non præcipiente, sed consulente. « Hæc est sententia om« nium catholicorum recte sentientium », ait Suarez. (*De Religione*, lib. III, cap. II, n° 3.)

Assertum probant 1° *Auctoritate SS. Patrum*, quorum alii hunc statum appellant *Philosophiam a Christo introductam*; alii extollunt vitam religiosam tanquam imitationem vitæ quam Christus cum suis Apostolis duxit. 2° *Textibus Evangelii* quibus Christus homines cohortatur ad tria consilia evangelica : *Vendite quæ possidetis et date pauperibus... Sunt eunuchi qui se ipsos castraverunt propter regnum cœlorum; qui potest capere capiat... Si quis vult post me venire, abneget semetipsum...* Quæ singula, inquiunt, licet in aliquo sensu possint ad omnes fideles pertinere, proprie tamen intelliguntur de actuali omnium abdicatione ad Christum perfecte sequendum; non solum praxim consiliorum commendant, sed et votum quo magis hæc perfecte serventur. « At vero, ait Suarez, substantia status religiosi in his « tribus votis consistit; ergo hic status ab ipso Christo tra« ditus est... Christus nos invitavit ad quamdam vivendi « rationem et statum, omnem illam abnegationem cum « stabilitate includentem. » (Loc. cit., n° 5.)

Argumenta proposita convincunt statum religiosum esse maxime consentaneum evangelicis doctrinis, in quo consentiunt omnes doctores catholici. Cum Christus nos ad praxim consiliorum induxerit, commendando castitatem, abdicationem bonorum temporalium, et abnegationem propriæ voluntatis, omnes qui perfectionem vitæ christianæ prætendunt, inde incitantur ad amplectendam hanc vitæ rationem qua certius, ac perfectiori modo, emissis

nimirum votis et a superiore nomine Dei acceptatis, hæc evangelica consilia observent. In eo sensu dici potest Christum instituisse statum religiosum.

Id sufficit ad vindicanda jura Ecclesiæ contra adversarios status religiosi, si tamen aliquam rationem habeant veræ libertatis. Etenim 1° Ecclesiæ asserendum est jus proprium ea ordinandi quæ ad perfectionem vitæ christianæ spectant, ut fideles valeant liberè sequi consilia evangelica, quando id sibi sua conscientia inspiratum sentiunt. 2° Ecclesia eo jure ut sibi divina institutione inhærente, non vero a potestate civili mutuato, usa est, instituendo *vel* confirmando ordines religiosos quos probaverat; illis utique regularem existentiam conferendo, cum facultatibus necessariis ad suum finem assequendum. Hinc Pius VI, venerabilis memoriæ, graviter conquestus est, in suo brevi *ad* Card. de la Rochefoucauld et ad cæteros Prælatos conventus nationalis, de decreto quo conventus aboleverat *ordines* regulares. « Abolitio regularium a conventu nationali de« creta lædit, inquit, statum publicæ professionis *consi*« liorum evangelicorum; lædit vivendi rationem in Eccle« sia commendatam, tanquam apostolicæ doctrinæ *con*« sentaneam; lædit ipsos insignes fundatores, quos super « altaribus veneramur, qui non nisi a Deo inspirati *eas* « instituerunt societates. » (Breve apostolicum *Quod aliquantum*, die 10 martii an. 1791.)

Igitur si necessarium non sit ad constitutionem Ecclesiæ, existere ordines religiosos, necessarium tamen est ut *ordines* existere possint, et certa spe de superna assistentia Dei confidimus nunquam re ipsa defecturum esse in *Ecclesia* statum religiosum.

429. — II° *Quandonam incœperit status religiosus?*

I. Apparent, sub veteri lege, vitæ religiosæ primordia in filiis Prophetarum, in Rechabitis et in Esseniis.

Filii Prophetarum, quos S. Hieronymus (*Epist.* ad Rusticum) vocat monachos Veteris Testamenti, vitam *sanctio*-

rem agebant sub regimine prophetæ cui se discipulos commiserant. Illorum mentio frequens habetur in *libris Regum;* unde concludere est illos formam vitæ communis cum suo superiore iniisse.

Rechabitæ, sic nominati a Rechab, patre Jonadab ipsorum institutoris, societatem a communi vivendi modo alienam formabant, cujus hæc erat disciplina : 1° ut abstinerent a vino, sicera, et omni alio liquore qui possit inebriare ; 2° ut habitarent procul ab urbe, non in domibus, sed in tentoriis ; 3° ut non sererent frumentum, nec vineas plantarent. Hæc religiose observata esse testatur Jeremias (cap. XXXV, 6). Videtur Rechabitas exstitisse usque ad tempus eversionis templi a Nabuchodonosor ; ab ea ætate, post reditum gentis Judaicæ a servitute Babylonica, nulla fit illorum mentio.

Essenii majorem habuere analogiam cum ordinibus religiosis, siquidem abrenuntiabant conjugio et dominio privato, ac superiori inter seniores electo obediebant, ut vitam contemplativam agerent. De Esseniis loquuntur Philo, Josephus, ac etiam Plinius. Nonnulli inter Sanctos Patres suspicati sunt Philonem locutum esse de christianis ; quos Judæos reputabat, quia ex gente Judaica erant et ritus plures Mosaicos retinuerant. Verisimile est plures fuisse Essenios ante et post Christum, et multos ex illis, ad fidem christianam conversos sancti Marci prædicatione, suum vivendi modum in christianismo retinuisse et perfecisse [1].

II. Plures scriptores, magnæ quidem auctoritatis, existimant statum religiosum a temporibus apostolicis incœpisse, imo ipsosmet Apostolos veros fuisse religiosos, Christo addictos votis. Inter religiosos etiam adnumerant primos fideles quos historia sacra refert, in *Actis Apostolorum*, omnia sua bona vendidisse, ut daretur pretium pauperibus,

1. Cf. Suarez, *de Religione*, lib. III, cap. II, n[is] 11-12.

vel in commune gereretur; hoc enim non de omnibus christianis Ecclesiæ Jerusalem dictum arbitrantur, sed de iis solum qui paupertatem, castitatem et obedientiam, inter manus Apostolorum, vovebant.

Credimus exstitisse a primis temporibus veros religiosos inter ascetas et anachoretas, imo fuisse etiam quibusdam in locis cœnobitas; quod ut melius exponatur, hæc notanda :

1° *Ascetæ*, de quibus dixerunt scriptores primævæ ætatis, nuncupabantur qui, sive in civitate propriisque ædibus, sive in agris, austerius vitæ genus profitebantur. Alii ferventiori exercitio orationis, per magnam diei partem, se dabant; alii operibus charitatis in favorem pauperum suas curas impendebant [1]. Porro verisimile est plures ascetas hoc vitæ genus Deo vovisse, sub regimine sui Antistitis; quod concludimus, tum ex zelo quo incitabantur ad praxim consiliorum evangelicorum, tum ex nonnullis testimoniis quæ virgines Deo dicatas memorant in domo paterna conversantes.

2° *Anachoretæ* dicti sunt qui singulares vitam asceticam agebant in solitudine. Notissimi fuere Paulus et Antonius, quorum alterum Hieronymus *vitæ anachoretarum auctorem*, alterum *illustratorem* nominat (*Ep.* ad Eustochium); quod tamen non probat primos fuisse qui eremum habitaverint. Desunt argumenta certa quibus enucleari queat quæstio an anachoretæ fuerint religiosi proprie dicti; præsumendum tamen videtur plures anachoretas, non secus ac ascetas, vitam religiosam vovisse.

3° *Cœnobitæ*, quos usu loquendi *monachos* vocamus, vitam communem in cœnobio, seu monasterio, agebant.

Plures eruditi dicunt nullum erectum fuisse monasterium, nullas formatas societates fidelium ad certas regulas in communi degentium, donec sanctus Pachomius,

1. Cf. Selvagio, *Antiq. christ.*, lib. I, part. II, cap. XIII; — Blanc, *Cours d'histoire ecclésiastique*, leçon XXXV.

pace Ecclesiæ reddita, monasteria ædificari curaverit in Thebaide Ægypti, ex quibus hæc vivendi ratio in alias regiones paulatim propagata est. Alii, magno quidem argumentorum pondere, demonstrare enituntur antiquiorem esse ac Apostolis coævum statum cœnobiticum [1]. Nostrum non est litem inter doctores componere; haud improbabile est sanctum Marcum plures christifideles ad vitam religiosam adduxisse, quod in nonnullis etiam aliis regionibus fecerunt viri Apostolici. Eusebius, sancti Hieronymus et Epiphanius, de veris religiosis christianis intellexerunt textus Philonis Judæi de Esseniis, seu therapeutis, qui primævis sæculis vitam communem ducebant sub regimine unius præpositi. Decursu vero temporum, sæviente persecutione in religionem christianam, collapsa sunt hæc cœnobia et cœnobitæ dispersi, adeo ut vitæ monasticæ nulla superessent vestigia, abolitaque esset illius memoria, quando hunc statum de novo instauravit sanctus Pachomius quem regulares venerantur, una cum sancto Hilarione, tanquam ordinis religiosi Patriarcham.

430. — III. *Quæ sint præcipuæ species ordinum religiosorum?*

Quamvis omnes ordines religiosi ad eumdem finem ultimo tendant, nimirum ad perfectionem vitæ christianæ praxi consiliorum evangelicorum, alii tamen ab aliis discernuntur ratione regulæ sub qua Deo militant et finis proprii quem intendunt; quamobrem distinctio Ordinum oritur simul a diversitate regularum et finis proximi.

Quatuor sunt regulæ principaliores, nempe : regulæ sanctorum Basilii, Augustini, Benedicti et Francisci. Unam e quatuor amplexati sunt plerique fundatores ordinum et

1. Selvagio. loc. cit., § 11; — Thomassin, *Disciplinæ Eccles.*, part. I, lib. III; — Hélyot, *Histoire des ordres religieux*, tom. I, *Dissert. préliminaire*, § 4; — *Examen historicum et canonicum libri Mariani Verhoeven.*

congregationum, adjectis statutis, seu constitutionibus peculiaribus, quibus suam quisque familiam ad finem proprium adduceret[1].

Ordines generatim distinguuntur in tres classes, prout ex sua primaria institutione profitentur vitam contemplativam, activam, aut mixtam. Cum vero sæpius non ita facile sit dicernere, sub eo respectu, nonnullarum religionum conditionem, opportunius ducimus præcipuarum originem referre, servato temporum cursu : inde enim melius manifestatur ratio divinæ Providentiæ in successiva productione institutorum regularium. Sunt igitur ordines *monachales, canonici regulares, ordines mendicantes, ordines hospitalarii* et *militares, clerici regulares,* et diversæ congregationes cum votis simplicibus.

431. — I. A primæva ætate ordines religiosi in hunc finem principaliter instituti sunt ut vacarent contemplationi rerum divinarum, orationi, lectioni, aliisque pietatis exercitiis; quod tamen non obstabat quominus curam spiritualem agerent fidelium ad suum conventum venientium, et ex monasteriis assumerentur viri vitam religiosam professi ut sedes epicopales occuparent, aut etiam fidem gentibus annuntiarent.

Hæc erat communis conditio regularium, qui idcirco *monachi* appellabantur a voce græca μόνος, latine solus; quia vitam agebant alienam a consortio sæcularium.

1. In novis Institutis, S. Congregatio Regularium non admittit distinctionem inter *regulas* et *constitutiones,* sed omnia comprehendi postulat sub nomine constitutionum, quod ex pluribus animadversionibus ejusdem congregationis in constitutiones recentiorum institutorum concludimus. Ita melius providetur stabilitati Institutorum siquidem cum omnia hæc simul decreto S. Sedis approbentur et sanciantur, nulla in posterum fieri debet mutatio non consulta S. Congregatione; dum olim Prælati regulares, cum suis respective capitulis, liberum sibi arbitrari poterant immutare aliquid ex superinductis constitutionibus, firma remanente regula primitiva a fundatore data et a Rom. Pontifice approbata, Suarez, *de Religione,* tom. IV, lib. I, cap. XI.

« Nemo potest, aiebat S. Gregorius, et ecclesiasticis obse-« quiis deservire et in monachica regula ordinate per-« sistere »; et S. Hieronymus : « Monachus non docen-« tis, sed plangentis habet officium... Si cupis esse quod « diceris, monachus, quid facis in urbibus? » (Cap. *Nemo*, 2, *Monachus*, 4, *Si cupis*, 5, caus. XVI, q. I.)

Ordinibus monachalibus regulas dederunt sancti Basilius, Benedictus et Bruno.

1° Sanctus Basilius, quem suum patriarcham venerantur monachi Ecclesiæ Orientalis, litteris mandavit quæ ab Antonio, Hilarione, Pachomio, aliisque sanctis cœnobitis sibi tradita fuerant, aut etiam verbo tenus audierat; atque ex illorum traditionibus regulam confecit, anno circiter 360, quæ tacito saltem assensu Episcoporum approbata, normam vivendi dedit omnibus congregationibus religiosis per orientales Ecclesias institutis. Diffusa est etiam hæc religio in quasdam regiones Occidentis, præsertim in Italiam et Hispaniam. Gregorius XIII, Const. *Benedictus*, anno 1579, et Clemens VIII, Const. *Quæ ad restituendos*, anno 1592, cuncta monasteria ordinis sancti Basilii, quæ in Italia, Sicilia et Hispania erecta erant, et in posterum erigenda, sub obedientia unius abbatis generalis conjunxerunt, iisque formam gubernii præscripserunt, ut hæc monasteria pristinæ dignitati regularique observantiæ restituerent.

2° Sanctus Benedictus unam e principalioribus regulis dedit. Vitam eremiticam aliquot annis egerat, quando, sancti Spiritus impulsu incitatus, discipulos qui ipsius disciplinæ se commiserant, in specu Sublacensi, exemplis et placitis veterum monachorum informavit; ac postmodum enascenti Congregationi, ad Cassinum montem translatæ, regulas tradidit versus annum 520. Celeberrima post obitum sancti Benedicti erecta sunt monasteria in plerisque Occidentis partibus, sub venerabilis Patriarchæ regula. Citare sufficiat, præ cæteris, monasterium Lirinense in

Gallia, Cantuariense in Anglia, Fuldense in Germania.

Disciplinam monasticam frequenti incursione barbarorum sæculis subsequentibus fere collapsam instauraverunt sanctus Berno et illius successor sanctus Odo, in monasterio Cluniacensi in Burgundia, versus an. 910; sanctus Robertus in monasterio Cisterciensi, an. 1098; sanctus Romualdus Camaldoli prope Florentiam, anno 997. Ex illa reformatione prodierunt celeberrimæ Congregationes *Cluniacensis*, *Cisterciencis*, *Camaldulensis*, quæ magnopere contulerunt ad splendorem status religiosi in Occidente.

Cluniacenses vestem nigram induerunt, more religiosorum Basilianorum, in signum abnegationis negotiorum sæcularium. Fideli observantiæ regularum sancti Benedicti operam dederunt; insuper, quod sedulo notandum est, omnia monasteria quæ, missis e suo conventu fratribus, sanctus Odo fundavit, et alia quæ se illius disciplinæ ultro commiserunt, unum abbatem generalem habuerunt, præpositum regimini totius congregationis, ut servaretur eadem agendi ratio sub iisdem statutis.

Cistercienses veste alba induit sanctus Robertus in signum puritatis animæ, quam omni studio æmulari debent. Regulas S. Benedicti litteraliter observari curavit, et nullam exemptionem a jurisdictione Episcoporum expetivit. Superiores monasteriorum quæ reformationi Cisterciensi adhæserant insimul convenerunt an. 1119, ut omnium suffragiis sanciretur constitutio congregationis. Statutum inter cætera fuit jurisdictionem in omnem congregationem nulli in individuo committendam fore, sed omnibus in communi abbatibus, qui temporibus præfixis deberent convenire in capitulum. Ordinem Cisterciensem sua pietate et doctrina illustravit sanctus Bernardus, abbas monasterii Clarævallensis.

Ab ordine Cisterciensi orti sunt PP. *Trappenses*, sic dicti a monasterio B. Mariæ *de Trappa*, prope Mortaniam in diœcesi Sagiensi, quod abbas *de Rancé* reformavit, sæ-

culo XVII, ad normam veteris instituti Cisterciensium. Præpositus Generalis omnium monasteriorum Trappensium est abbas Cisterciensis, qui Romæ degit.

Ex decreto S. Congr. Episcoporum et Regularium, an. 1847, omnia monasteria *Trappensium* in Gallia duas congregationes efformant, quarum una antiquioris reformationis B. Mariæ *de Trappa*, altera vero recentioris reformationis appellatur. Prima observat constitutiones Ab. *de Rancé;* secunda, regulam S. Benedicti cum primitivis constitutionibus Cisterciensium, salvis quibusdam articulis eodem decreto præfixis. Utrique congregationi præest Moderator Generalis Cisterciensium, qui singulos Abbates confirmat. Utraque habet vicarium suum generalem, omni potestate præditum ad eam rectè administrandam. Id muneris, in Congregatione recentioris reformationis perpetuo conjunctum est cum Abbatia antiqui monasterii B. Mariæ *de Trappa;* in congregatione antiquioris reformationis, singulis quinquenniis vicarius generalis eligitur a proprio capitulo inter Abbates hujus observantiæ[1].

Camaldulenses id proprium habent, inter cæteros Benedictinos, quod, præter cœnobitas, sint ex ipsis eremitæ et etiam reclusi.

3° Sanctus Bruno, canonicus olim Ecclesiæ Remensis, et scholaster, novum ordinem religiosorum vitæ contemplativæ addictorum instituit, anno 1084, intra montes Carthusianos, prope Gratianopolim; unde religiosi hujus instituti *Carthusiani* dicti sunt. Hæc magna laus ordinis sancti Brunonis quod permanserit in suo primævo statu; adeo ut nulla hactenus reformatione indiguerit; quamvis plurima monasteria habuerit in Italia et Gallia. Causam stabilitatis assignant solitudini quam studiose colunt Carthusiani; silentio quod perpetuo servant, excepto solummodo quod ipsis, ita regula ordinante, semel per hebdomadam, paucis

1. Decreta quibus ordinatus est status Trappensium in Gallia referuntur in *Collectanea* C. Bizzarri, pag. 63 et 606.

quidem horis, secum colloqui concedatur; demum tenaci, etiam in minimis, observantiæ regularum et usuum instituti.

432. — II. Secundo loco venerunt *canonici regulares*, qui vitam mixtam agunt, exercitia vitæ monasticæ sacro ordinis clericalis ministerio consociantes. Canonici regulares sunt utique clerici, vitam religiosam professi, qui servitio Ecclesiarum collegiatarum, seu etiam parochialium, addicuntur.

Fundatores ordinis canonicorum regularium habentur sanctus Eusebius Vercellensis, et sanctus Augustinus. Dicitur in Breviario Romano : « Eusebius primus in Occi« dentis partibus in eadem Ecclesia eosdem monachos « instituit esse quos clericos, ut esset in ipsis viris et con« temptus rerum, et accuratio levitarum. » (Anno circiter 350.) Sanctus Augustinus in Africam ab Italia reversus, agros sibi paterna hæreditate relictos alienavit, soluto pauperibus pretio, ut, rebus humanis expeditus, *Deo serviret*; quam abnegationem rerum temporalium selectis amicis suasit, quibuscum triennium rure transegit, orationi vacans, et vitam monachorum Ægyptiorum, quoad poterat, æmulans. « Factus postea presbyter, ait Possi« dius, monasterium intra Ecclesiam mox instituit, et cum « Dei servis vivere cœpit secundum modum et regulam « sub sanctis apostolis constitutam, maxime ut nemo quid« piam proprium haberet in illa societate, sed eis essent « omnia communia. » Ex illo monasterio, veluti ab uberrimo fonte, monastica vita sese per omnem Africam diffudit. At ubi ad munus episcopale fuit promotus, cum officia vitæ episcopalis officere arbitraretur tranquillitati vitæ monasticæ, voluit secum in Episcopio alterum monasterium clericorum habere, id est : presbyterorum, *diaconorum* et subdiaconorum Ecclesiæ suæ inservientium (anno 395 [1]).

1. « Volui habere in ista domo Episcopii mecum monasterium « clericorum. Ecce quomodo vivimus. Nulli licet in societate nostra

Duo igitur fuere sancti Augustini instituta regularia : unum quod vitam contemplativam a curis sæculi alienam profitebatur ; alterum vero clericis proprium qui in eadem societate adunati sub lege castitatis, paupertatis, atque obedientiæ erga prælatum suum, sacris ministeriis Ecclesiæ operas dabant. Priori instituto regulas dedit quæ leguntur in epistola CCXI[a] sancti doctoris, et sunt, paucis mutatis, communes viris et fœminis : nam et virorum et mulierum in civitate Hipponensi monasteria erexit, teste Possidio. Clericis secum morantibus regulas scriptas non dedit, sed observantias diuturna praxi confirmatas, de quibus etiam duos sermones ad suum clerum habuit, CCCLV et CCCLVI, *de Vita et Moribus clericorum.*

Plures, ab ea ætate, et fortassis, ut quibusdam placet, a præcedentibus sæculis, formatæ sunt congregationes clericorum sub eodem regimine. Incertum autem nobis est utrum communitates illæ clericorum recensitæ fuerint inter ordines religiosos proprie dictos, antequam sancti præsules, ac præsertim SS. Pontifices reformationem ordinis clericalis aggredientes, illas constitui curaverint sub regula sancti Augustini, sæculis XI et XII ; ex quo tempore clerici vitam religiosam professi communiter dicti sunt *Canonici regulares ordinis sancti Augustini*. Præcipuum locum occupant, in hac religione, canonici regulares Ecclesiæ Lateranensis. Regulares ordinis Præmonstratensium, a sancto Norberto instituti (anno 1120), inter canonicos etiam S. Augustini recensentur.

433. — III. A sæculo XIII° novi ordines, Deo sic provi-

« habere aliquid proprium... Ergo clericus professus est sanctitatem, « professus est communiter vivendi societatem... qui hoc non vult, « habeat libertatem ; sed videat utrum habere possit felicitatis æter-« nitatem. » (Sermo CCCLV, alias XLIV.) S. Augustinus statuerat nullum clericum ordinare nisi qui vellet vivere una cum Episcopo et aliis clericis; postea autem mutato consilio consensit ut liberum ipsis foret vovere paupertatem et obedientiam in societate communi ; aut remanere solos in sæculo, periculis mundi obnoxios.

dente, instituti sunt qui vitam mixtam agerent, scilicet vitam contemplativam exercitio sacri ministerii, et operibus charitatis erga proximum, consociarent, ad præstandum Ecclesiæ famulatum quo his temporibus indigebat. Ordines Mendicantes dicimus, et congregationes clericorum regularium.

1° Ordines religiosi nuncupantur *Mendicantes*, qui ex primæva sua institutione servant paupertatem, non tantum in particulari, sed in communi, nulla immobilia frugifera, nec census annuos possidentes, adeo ut eleemosynis fidelium sustententur.

Quatuor præcipui ordines sunt, nempe : Carmelitarum, Fratrum Prædicatorum seu Dominicanorum, Fratrum Minorum seu Franciscanorum et Augustinianorum. His quatuor ordinibus alii plures accensentur, scilicet *Servitæ*, id est servitores B. Mariæ, *Minimi*, a sancto Francisco de Paula, etc., quos SS. Pontifices declaraverunt inter Mendicantes adnumerandos. (Pius V, Const. *Romanus Pontifex et Apostolicæ Sedis*, an. 1567.)

Carmelitæ a diuturno tempore monasteria possederant in Syria, cum sæculo XIII°, anno scilicet 1229, in Occidentem venerunt; per multas regiones propagati sunt, et utilissime Ecclesiis sua pietate, ac zelo verbum Dei prædicandi, inservierunt. Acriter diputatum est de illorum prima origine, cum P. Bollandus Societatis Jesu inseruisset tomo mensis martii *Actorum sanctorum* dissertationem, qua asserebat primum superiorem generalem Carmelitarum fuisse Bertholdum, et ordinem suas regulas accepisse ab Alberto, patriarcha Ecclesiæ Constantinopolis, ineunte sæculo XIII°; ipsi enim Carmelitæ contendebant suum ordinem ab Elia propheta in monte Carmelo institutum : imo plures antiquiorem dicebant. Tantis animorum studiis, ex utraque parte, controversia agitabatur, ut Innocentius XII opportunum duxerit, ad avertendum scandalum fidelium, defensoribus utriusque sententiæ perpetuum silentium sub

pœna excommunicationis imponere super quæstione de primæva institutione ac successione ordinis a prophetis Elia et Eliseo; et omnia scripta contra suæ constitutionis apostolicæ formam in posterum edenda prohibuerit, sub pœnis in *Indice* librorum vetitorum contentis. (Const. *Redemptoris*, an 1698.)

Sancta Teresia auctor fuit reformationis Carmelitarum (ab anno 1562), qui a tempore hujus reformationis distincti sunt in duplicem classem : scilicet, in Carmelitas mitigatæ observantiæ, et Carmelitas strictioris observantiæ seu discalceatos. Sunt præterea Carmelitæ eremitæ, et conventuales, quemadmodum in aliis quibusdam congregationibus.

Fratres *Prædicatores* patrem habent sanctum Dominicum, qui, natus in Hispania et professus vitam regularem inter canonicos sancti Augustini, novum ordinem ad defensionem et propagationem fidei instituit Tolosæ in Galliis, an. 1215. Institutum solemniter approbavit Sancta Sedes sub regula sancti Augustini et constitutionibus propriis.

Fratres *Minores* dicuntur Franciscani a suo sancto fundatore Francisco, qui natus est Assisiis in Umbria. an. 1182. Ordinem, divina motus inspiratione, instituit, cujus regulæ maxime commendant vitæ perfectioris praxim paupertate evangelica, humilitate, abnegatione rerum humanarum, et pœnitentiæ operibus. Sub regula sancti Francisci militant tres congregationes generales, nempe : *Observantium, Capuccinorum* et *Conventualium*.

Observantes, seu Minores regularis observantiæ, conantur regulas sancti Francisci servare sine ulla mitigatione, quod etiam de *Recollectis* seu Minoribus strictioris observantiæ dicendum, qui tamen ab Observantibus differunt accidentaliter in quibusdam, et disciplinam paulo austeriorem sequuntur. Utrique unicam congregationem efficiunt sub obedientia unius ejusdem præpositi generalis,

qui, ex decreto Leonis X, solus utitur sigillo totius ordinis et titulum præfert generalis totius ordinis sancti Francisci, seu Fratrum Minorum.

Capuccini regulam etiam observant juxta primævam instituti puritatem : distinguuntur a congregatione Observantium, seu Minorum strictæ observantiæ, in forma vestitus, in domorum suarum constructione, in pecuniarum usu, etc., quæ ipsis visæ sunt magis accedere ad mentem piissimi fundatoris. Capuccini constituunt alteram congregationem generalem, sub proprio superiore.

Tertia congregatio est *Conventualium*, qui regulam servant, non ad rigorem litteralem, sed dispensationibus temperatam, tum quoad possessionem bonorum immobilium in communi, tum quoad vestitum et alia quæ a prima severitate recedunt, legitima tamen redduntur longa possessione, quin etiam assensu SS. Pontificum.

Augustiniani quartum locum occupant inter præcipuos ordines mendicantes. An quædam saltem domus Augustinianorum processerint, successione non interrupta, a religiosis eremitis et conventualibus quos persecutio Vandalorum olim fugaverat ab Africa in loca diversa Italiæ et Galliarum, res est incerta apud eruditos. Plures congregationes in unum religionis corpus reductæ sunt sub regula sancti Augustini versus medium sæculum XIII ab Alexandro IV; atque ab illo tempore Augustinianorum disciplina profecit, multiplicatis per Italiam, Galliam, Hispaniam, cæteraque loca, conventibus eremitarum, discalceatorum, aliorumque hujus sancti instituti regularium.

2° Congregationes *Clericorum Regularium* eumdem finem prosequuntur quem ordines Mendicantium, et præterea ad instaurandam disciplinam clericalem, innovandumque in clero spiritum vocationis suæ, institutæ sunt. Prima ordine temporum, quæ et cæteris postea erectis formam dedit, est *Theatinorum* quam fundavit sanctus

Gaetanus an. 1524. Sunt aliæ plures, ex quibus citabimus congregationem clericorum sancti Pauli, vulgo *Barnabitarum*, qui sic dicti sunt ab Ecclesia S. Barnabæ Mediolani, et societatem *Jesuitarum* a sancto Ignatio de Loyola; quæ singulæ, licet statutis propriis, provident suorum membrorum sanctificationi spiritualibus exercitiis, observantia paupertatis et obedientiæ; et simul inserviunt bono Ecclesiæ, prædicatione verbi divini, sacramentorum dispensatione, et clericalis disciplinæ zelo.

Id proprium est societati Jesuitarum, ut, præter novitios, triplicem classem religiosorum habeat, scilicet : approbatorum, formatorum et professorum. *Apprcbati* dicuntur qui, expleto biennio novitiatus, emittunt tria vota simplicia castitatis, paupertatis et obedientiæ. Hæc vota Jesuitas constituunt in statu religioso, eosque inhabiles reddunt ad contrahendum matrimonium. Ad hanc primam classem pertinent, æquo jure, scholastici et coadjutores temporales. *Formati* nuncupantur qui post tertium annum novitiatus, qui communiter fit octo vel decem elapsis annis a prima votorum emissione, non judicantur idonei ad altiorem gradum assequendum, votorum solemnium professione; quamobrem iterant priora vota, et definitive statui religioso incorporantur in eo gradu. Vocantur etiam coadjutores, seu spirituales seu temporales, prout sunt, vel non, sacris ordinibus initiati, et religiosos professos juvant, alii in temporalibus, alii in spiritualibus. Religiosi formati incapaces fiunt dominii; et possunt a superiore generali ab ordine dimitti, difficilius tamen et ob causas graviores quam simpliciter approbati. *Professi*, qui partem principaliorem societatis constituunt, emiserunt vota solemnia et indissolubili vinculo religionis suo ordini cooptantur. Ad hunc gradum soli clerici admittuntur, seclusis coadjutoribus temporalibus. Inter professos eliguntur superior generalis congregationis, et qui officia majoris momenti exerceant.

434. — IV. Vitam activam agunt congregationes regularium, quæ ex sua institutione principaliter ordinantur ad opera misericordiæ et charitatis temporalia aut spiritualia, erga proximum exercenda. Ad illam classem regularium pertinent ordines militares, et hospitalarii.

1° *Ordines religiosi Militares* instituti sunt ad tutandum armis bellicis christifideles qui pia peregrinatione loca sancta obibant, et ipsam Ecclesiam, contra infideles. Præcipui fuere : Equites *Melitani*, olim dicti Equites hospitalis sancti Joannis in Jerusalem; *Templarii*, quorum institutum suppressit Clemens V in concilio Viennensi; Equites ordinis de *Calatrava*, in Hispania.

Ordinibus Militaribus respondent duo ordines instituti pro redimendis christianis qui ab infidelibus redacti fuerant in captivitatem; alter fundatores habuit sanctos Joannem de Matha et Felicem Valesium, et approbatus fuit ab Innocentio III, an. 1198, sub titulo *SS. Trinitatis* [1]; alter fuit fundatus a sancto Petro Nolasco, una cum sancto Raymundo de Pennafort, et a Gregorio IX approbatus an. 1235, sub titulo *Beatæ Mariæ de Mercede pro redemptione captivorum.*

2° Ordines Hospitalarii se devovent exercitio charitatis erga peregrinos, pauperes et ægrotos. Unum solummodo citabimus, exempli causa, ordinem sancti Joannis de Deo (1550), quem Pius V approbavit sub regula sancti Augustini.

435. — V. Præter ordines religiosos proprie dictos, sunt multæ congregationes quas Deus suscitavit ad finem specialem; alias ad prædicationem verbi divini et puerorum educationem, alias ad curam ægrotorum

1. Trinitarii dicebantur apud nos *Mathurini* ab ecclesia Sancti Mathurini quam habuere Parisiis; sic et Fratres Prædicatores dicebantur *Jacobini* ab illo celebriori conventu quem habebant in via Sancti Jacobi item Parisiis.

et pauperum, alias ad seminariorum directionem[1]. Hujusmodi sunt : congregatio *presbyterorum Missionis* seu Lazaristarum, a sancto Vincentio a Paulo, quam Alexander VII approbavit ac confirmavit, cum emissione votorum simplicium paupertatis, etc., nec non stabilitatis, ea conditione ad mentem sancti fundatoris, « ut dicta congregatio non « censeatur propterea in numero ordinum religiosorum, « sed sit de corpore cleri sæcularis. » — Congregatio *Oratorii*, quam fundavit S. Philippus Neri Romæ, et vir religione venerabilis, Card. de Berulle in Galliis, ad verbi divini prædicationem, et puerorum in litteris institutionem. — Congregatio *Redemptoristarum* a sancto Alphonso de Liguori. — Congregatio fratrum doctrinæ christianæ quæ fundata est a venerabili *de la Salle*. — Institutum SS. Cordium in Gallia, vulgari nomine de *Picpus* appellatum ; — Congregatio *Sancti Spiritus* et *Immaculati Cordis Mariæ*, cujus fundator est venerabilis fr. M. *Libermann*. — Societas Presbyterorum *Seminarii S. Sulpitii* Parisiis, cui originem dedit J.-J. Olier sacerdos pietate erga sanctissimum Sacramentum et Beatam Virginem, ac zelo informandi clerum disciplinis sacris, conspicuus. Hanc sodalitatem, approbatam olim, ab anno 1664, a Card. Chigi, legato *a latere* Alexandri VII, confirmavit Pius IX, an. 1863. Presbyteri Sancti Sulpitii remanent e clero sæculari et nulla vota emittunt.

Nota. Loquendo de Institutis religiosis virorum non recensuimus ordines et congregationes sanctimonialium. Singulis fere ordinibus virorum respondent ordines Monialium quæ Deo serviunt sub regulis S. Basilii, S. Benedicti, S. Francisci, S. Dominici, Carmelitarum etc. Sunt etiam plures congregationes sæculares, uti Cong. *Puellarum Charitatis*, a S. Vincentio a Paulo ; *Sororum SS. Cordis*, *Sororum Paupe-*

1. In quo Ordines religiosi proprie dicti distinguantur a Congregationibus sæcularibus, dicetur infra (nº 445).

rum, etc. De iis omnibus nonnulla mox dicemus in quæstione sequenti *de Tertiariis.*

436. — IV° *Qui sint* TERTIARII ?

I. Tertiarii (seu Tertiariæ) dicuntur qui canonice admissi sunt in tertio ordine institutorum regularium cujus regulam acceperunt.

Cum scilicet sanctus Franciscus ordinem Minorum, et alterum monialium sub regimine sanctæ Claræ instituisset, divino motu spiritus cognovit gratissimum fore Deo, si novum formaret in gratiam fidelium qui remanendo in sæculi negotiis atque periculis, æmularentur vitam perfectiorem praxi consiliorum evangelicorum, quod feliciter perfecit : « Fraterna dilectione devictus, ait S. Antoninus, « beatus Franciscus ad instar Noe patriarchæ arcam fabri« cavit ac tricameratam fecit, religionem scilicet fratrum, « monialium et tertii ordinis, ut habitantes in ea præser« varet a diluvio vitiorum, omni statui cupiens providere. » Regulas composuit quibus tertius ille ordo sancte regeretur, et illas approbavit Apostolica Sedes, Constitutione Nicolai VI, *Supra montem catholicæ fidei*, an 1289.

Exemplo seraphici Francisci, aliæ familiæ religiosæ quæ duos præcipuos ordines regulares habent, uti Carmelitæ, fratres Prædicatores, Minimi, suum et tertium ordinem habuerunt, iisdem fere regulis compositum, et etiam privilegiis necnon gratiis spiritualibus insignitum.

II. Primitus Tertiarii in propriis domibus commorabantur ; plures deinceps voluerunt tertiam regulam servare in vita communi, unde orta est duplex classis Tertiariorum : una viventium collegialiter, sive cum votis solemnibus, sive cum votis simplicibus ; altera remanentium in sæculo.

Tertiarii viventes in conventu, emissis votis solemnibus, sunt vere regulares, non secus ac religiosi majorum ordinum. Aliter sentiendum de Tertiariis qui, licèt vitam communem agant in cœnobio, vota tantum simplicia emittunt. Olim inusitatum erat et periculosum reputabatur

mulieres affectare vitam religiosam nisi sub clausura viverent cum votis solemnibus; quamobrem sanctus Pius V jussit nullas Tertiarias ordinum Regularium admitti in conventu, nisi vota solemnia emitterent, legemque clausuræ ommino servarent, quod ad mentem Pontificis intellectum fuit communiter de omnibus aliis mulierum congregationibus. Multæ tamen, a tempore quo prodiit illa constitutio, erectæ sunt atque floruerunt, scientibus et tacentibus Ordinariis locorum, domus Tertiariarum quæ nec vota solemnia emittebant, nec claustrorum lege tenebantur. « Ut de ipsius decreti observantia studium ostenda« tur, ait Benedictus XIV, Sedes Apostolica Tertiarias « hujusmodi dissimulare, et tanquam sua auctoritate mi« nime probatas, Episcoporum jurisdictioni permittere « consuevit [1]. » Hinc est quod adusque recentiora tempora, in declarationibus quas identitem Sacra Congregatio Regularium dedit circa hæc instituta, quæ jurisdictioni Episcoporum omnimodo subjecta esse voluit, inserebatur clausula : *Citra tamen approbationem S. Congregationis quoad conservatoria.*

Hodie clausula non amplius inseritur, quia Sancta Sedes opportunum duxit, pro temporum conditione, non solum tolerare, sed approbare conventus mulierum absque professione solemni et lege claustrali.

Tertiarii remanentes in sæculo in duas etiam classes distingui possunt : alii scilicet cooptantur in fraternitates quæ suos conventus habent, sua pia in communi exercitia

1. *Institutio* XXIX, n° 13.

Multa de Tertiariis conjecit Ferraris, v° *Tertiarii;* — Card. Petra *Commentaria in Const.* II Nicolai IV; in *Const. unicam* Innocent. VII; et in *Const.* XV Martini V, tom. III, pag. 268; tom. IV, pag. 202 et 255. — *Manuel des frères et des sœurs du tiers ordre de la Pénitence* de S. Françcis d'Assise, éd. publiée par ordre du R. P. Salvator d'Oriéri, ministre général des Frères Mineurs capucins. — *Manuel des frères et des sœurs du tiers ordre de la Pénitence* de S. Dominique, par le R. P. Jandel, de l'Ordre des Frères Prêcheurs.

sub regimine Directoris; alii autem regulas privatim observant.

III. Fideles, utriusque sexus, admittuntur ad professionem tertiæ regulæ, auctoritate Præpositi generalis ordinis ad quem refertur tertius ordo. Cum in familia sancti Franscici tres sint Congreg. generales fratrum Minorum, *Observantium*, *Capuccinorum* et *Conventualium*, unaquæque congregatio eodem jure potitur habendi tertium ordinem, quem Minister generalis regit per Prælatos locales.

Professio fit expleto anno novitiatus. Si mulier inter Tertiarias adscribenda, velit habitum religionis exterius gestare, id ipsi concedere nequeunt Regulares nisi cum licentia Episcopi diœcesani et sub ea insuper conditione quod mulier vitæ probitate commendetur, annum quadragesimum attigerit, bonorum satis habeat ad vitam honeste sustentandam, et vitam cum cognatis seu affinibus probatæ virtutis ducat.

IV. Obligationes et privilegia Tertiariorum præfiniuntur regulis a S. Sede approbatis, et variis decretis SS. Pontificum. De his pauca dicemus, fuse enim explicata leguntur in *manualibus*.

Tertiarii debent gestare habitum religionis qui consistit in scapulari cum cingulo, vel corrigia, et communiter defertur subter vestem sæcularem. Debent insuper recitare quotidie parvum officium aut preces quæ officium suppleant; observare dies jejunii et abstinentiæ regulis indictos; frequentare pluries per annum sacramenta Pœnitentiæ et Eucharistiæ, præsentes adesse conventibus fraternitatis si nullo impedimento teneantur; præcavere a vanitatibus et periculis sæculi, etc...

Statuerunt SS. Pontifices ut nullus post ordinis ingressum de eodem regredi valeat, nisi transeundo ad aliam religionem approbatam; at simul declaraverunt Tertiarios non obligari in observatione regularum ad mortalem nec etiam ad venialem culpam, sed impositam sibi pœnitentiam

pro transgressionis excessu, prompta humilitate recipiendam fore.

Obligationibus respondent privilegia. Prætermissis quæstionibus de privilegio fori quas olim agitabant canonistæ, hæc notare sufficiat : 1° Tertiarios lucrari posse plures indulgentias plenarias, sive suo ordini datæ sint, sive jus ad illas habeant per communicationem (n° 502). — 2° Participes fore precum et meritorum familiæ religiosæ cui consociantur. 3°. Quando in processionibus, vel aliis sacris functionibus, procedunt cum suo habitu ac sub sua, suive ordinis cruce, habere præcedentiam in omnes fraternitates laicales; quia sunt quadamtenus e familia religiosa et medium tenent inter ordinem regularem et statum sæcularem.

Qui nimiam difficultatem experiuntur in observantia regularum, adire debent superiorem, vel directorem Tertiariorum regimini præpositum, a quo obtineant opportunam commutationem.

Tertiarii sæculares non eximuntur a jurisdictione parochiali. Debet communionem paschalem in sua parochia accipere, a proprio suo sacerdote recipere Extremam Unctionem, et alia sicut cæteri fidelium. Quin etiam magnopere expedit, nedum se subducant ab illorum consortio, ut omnibus exemplo sint assidue, prout possunt, assistendo communibus exercitiis, et participando piis charitatis operibus parochiæ [1].

1. In eo sensu interpretanda notamus monita quæ in manuali citato Tertiariorum S. Francisci legimus, IIe partie, titre II, chap. XII : « Nous recommandons instamment aux Tertiaires de ne point s'associer à des œuvres étrangères à la congrégation, sans s'être bien assurées à l'avance qu'elles ne seront jamais un obstacle à l'accomplissement des obligations et des devoirs que leur impose leur vocation au Tiers-Ordre et sans l'autorisation du Discrétoire. » Hæc intelliguntur de variis fraternitatibus aliisve Congregationibus quarum officia et exercitia consociari non possent cum officiis et exercitiis Tertii Ordinis; neutiquam vero de exercitiis communibus

437. — V° *Quis ordo præcedentiæ servetur inter Regulares?*

Præcedentia est jus occupandi digniorem locum, servato ordine hierarchiæ.

Regulares, cujuscumque ordinis sint, locum honorabiliorem cedunt clero sæculari, in omnibus locis, in propriis etiam Ecclesiis et conventibus monachorum, nisi tamen Regulares interveniant repræsentando corpus cathedraticum, seu aliam Ecclesiam superiorem, et constituant corpus morale cum prælato regulari, ut contigit in nonnullis Ecclesiis cathedralibus et metropolitanis quæ regulares et, ut ita dicam, monasteriales erant. Ratio est quod in clero sæculari, quem magis immediate fundavit Christus, in summo Pontifice scilicet et in Episcopis sit ratio prima radix et fundamentum hierarchiæ, unde totius præcedentiæ jus procedit; quicumque autem e clero participant, in certo gradu, jurisdictionis S. Pontificis et Episcoporum, vel illis associantur in regimine Ecclesiæ universalis, aut Ecclesiarum particularium, consociantur simul prærogativæ præcedendi, habita in singulis ratione dignitatis.

Inter autem regulares ratio habetur simul originis et fundationis, non vero excellentiæ respectivæ, seu perfectionis regularum, ne lites ac periculosæ quæstiones excitentur, quæ pacem ordinum religiosorum turbare, et scandalum populo generare possent. Hinc est quod Romæ, ubi ab exordio plerique ordines habuere monasteria seu domos, incedunt ratione originis, salvis quibusdam privilegiis auctoritate pontificia concessis : scilicet, antiqui ordines monachales primi veniunt post canonicos et clericos sæculares; subsequuntur deinde ordines mendicantes; postea clerici regulares, ratione originis singulorum. Inter mendicantes locum honorabiliorem occupant fratres Præ-

parochiæ, nec de operibus piis quæ in gratiam pauperum in, exercitationem zeli pro animabus, a Parocho fidelibus parochianis commendantur.

dicatores, quem ritum nonnulli SS. Pontifices, pro suo affectu in familiam Dominicanam, servandum indixerunt in quibusdam regionibus in quibus motæ fuerant controversiæ. Ita statuit Clemens VIII pro regnis Aragoniæ, Valentiæ et Cataloniæ. (*Inter cætera*, an. 1592.)

Exceptis peculiaribus privilegiis, de quibus nihil in præsenti dicendum, lex generalis est ut habeatur ratio possessionis et consuetudinis. Declaratum fuit a Sancta Congregatione Rituum, ac decreto Gregorii XIII, an. 1582, sancitum, ut inter ordines mendicantes, « qui sunt in pos« sessione præcedentiæ, præcedant; et ubi non constat de « possessione, præcedant qui antiquiores sunt in loco con« troversiæ. » Id est : Si non constet de possessione, et contigerit nova monasteria aut domos alicujus ordinis fundari in loco in quo alterius ordinis prius monasteria erecta sunt, Ordo qui prius monasterium seu domum in eodem loco habuit, præcedit. Est prima et generalior regula : altera e consuetudine ducitur. Sicubi inductum sit præscriptioneque firmatum, ut ratio habeatur originis religionis, non vero fundationis monasterii, vel etiam ut talis ordo, qui nec origine nec fundatione domus antiquior est, cæteris præcedat, consuetudo servanda est.

Statutas regulas generales ad omnes æque Mendicantes ne exceptis quidem fratribus Prædicatoribus, et ad ipsos ordines monachales extendi arbitrantur canonistæ gravis ponderis; et probant adductis declarationibus S. Congregationis Episcoporum et Regularium negotiis præpositæ, quæ omnes quæstiones motas de præcedentia, resolvere consuevit ad præscriptum XIII [1].

Eadem regula præcedentiæ servatur inter fraternitates Tertiariorum, quæ veniunt post congregationes religiosas, et antecedunt fraternitates laicorum, sicut mox notatum fuit.

1. Cf. Pignatelli, *Consultationes canonicæ*, tom. I, *Consult.* CXXXVI.

ARTICULUS II. — DE NATURA STATUS RELIGIOSI.

438. — I° *Quid sit status religiosus?*

Est status fidelium qui, perfectionis acquirendæ studio, modum vitæ communis ab Ecclesia approbatum, emissis votis obedientiæ, paupertatis et castitatis, profitentur.

Dicitur 1° *Status...* quod per se designat stabilem conditionem vitæ, non actus transitorios, seu temporarias sodalitates, quibus fideles aliquod bonum spirituale prosequantur. Necessarium quidem non est ad vitam religiosam ut fideles lege prorsus immobili in ea teneantur, at requiritur saltem aliqua ratio stabilitatis, et præsertim ut qui illam professi sunt, non valeant pro arbitrio propositum mutare, statumque deserere.

2° *Qui modum vitæ communis...* in quo religiosi differunt a cæteris fidelibus qui vitam perfectam, votis emissis, sectantur remanendo in sæculo et ab iis etiam qui studio perfectionis acquirendæ degunt in eremo, ut Deo vivant more anachoretarum. « Ex natura sua, ait Schmalzgrueber, « status religiosus non requirit necessario vitam commu« nem. Si enim illam requireret, vel ratione status ut sic, « vel ratione perfectionis. Non ratione status ut sic, quia « hic solum dicit immobilitatem; non ratione perfectionis, « quia ad hanc tendere etiam vitam solitariam degens po« test... Sufficit ergo, per se loquendo, ad vitam religio« sam, si is qui eam profitetur... observet consilia evan« gelica, ut horum observantiam firmet voto, et quidem « perpetuo, et hæc vota tanquam substantialia religionis, « Dei nomine, ab aliquo ad hoc potestatem habente, ac« ceptentur. » (In tit. DE REGULARIBUS, n° 20.) At simul notat idem canonista, statum religiosum, spectato jure ecclesiastico hodierno, non alibi consistere posse quam in vita communi; quandoquidem requiritur, jure a pluribus sæculis vigente, approbatio Ecclesiæ, et Ecclesia non ap-

probat nisi statum cœnobiticum, seu in communi viventium sub uno prælato, et sub una regula ad perfectionem tendentium. Igitur, ut quis sit religiosus, necesse est illum in communitatem cooptari, aut saltem habere cum aliis eidem instituto consociatis, communem Prælatum et regulam, quemadmodum servatur in congregationibus Eremitarum.

3° *Approbatum ab Ecclesia...*, quod duo importat : judicium de honestate et utilitate talis ordinis ad conducendum fideles per viam perfectionis, et potestatem datam superioribus accipiendi nomine Christi et Ecclesiæ, vota illorum qui hoc vitæ genus volunt profiteri, eosque in statu religioso constituendi.

4° *Emissis votis paupertatis, castitatis et obedientiæ.* Tria vota, sive explicite, sive implicite fiant, sunt necessaria statui religioso. Re quidem vera, status religiosus tendit ad perfectionem vitæ christianæ et aliquam stabilitatem habere debet : porro perfectio vitæ christianæ requirit praxim consiliorum evangelicorum paupertatis, castitatis et obedientiæ, quibus coercetur triplex concupiscentia carnis, oculorum et superbiæ; et aliunde assecuratur stabilitas voto eadem consilia observandi; ergo, etc.

His summarie dictis, explicationis causa datæ definitionis, reliquum est ut quæ ad vota et ad approbationem Ecclesiæ referuntur, paulo fusius exponamus.

439. — II° *Quotuplicis speciei sint vota status religiosi, et in quo vota solemnia a votis simplicibus differant?*

Tria vota, nempe paupertatis, castitatis et obedientiæ, communi sensu reputantur substantialia status religiosi; et merito quidem, cum tanti referant ad perfectionem acquirendam.

Hæc vota esse possunt vel solemnia, vel simplicia, pro diversa conditione congregationum Regularium in quibus emittuntur : in quo autem versetur discrimen votorum

simplicium a votis solemnibus, non consentiunt doctores. Hæc magis fundata videntur :

I. Distinctio votorum in solemnia et simplicia, non oritur ab apparatu vel cæremoniis, aut aliquo ritu benedictionis seu consecrationis, sed ab effectu morali quem producit votum solemne, et qui non tribuitur voto simplici. Ratio est quod existant religiones in quibus certissime emittuntur vota solemnia, quin ullus adhibeatur ritus solemnis, ullave consecratio seu benedictio, et vicissim in nonnullis congregationibus vota simplicia emittuntur cum magno apparatu cæremoniarum.

II. Effectus ille moralis non procedit a sola voluntate voventis, sed præcipue a voluntate Ecclesiæ votum acceptantis. Prob. auctoritate et ratione. 1° Legimus in cap. *Quod votum*, DE VOTO, in VI° : « Quod votum dici debeat « solemne... nos consulere voluisti : — Nos igitur atten« dentes quod voti solemnitas ex sola constitutione Eccle« siæ est inventa... præsentis declarandum duximus ora« culo sanctionis, illud solum votum dici debere solemne... « quod solemnizatum fuerit per susceptionem ordinis sa« cri, aut per professionem expressam vel tacitam factam « alicui de religionibus per Sedem Apostolicam appro« batis. » Bonifacius VIII, auctor hujus epistolæ decretalis, expressis verbis indicat, non natura rerum, nec voluntate voventium, sed sola constitutione Ecclesiæ inniti solemnitatem voti, quatenus a votis communibus differt. 2° Si effectus moralis, quo votum solemne a simplici differt, procederet a sola voluntate voventium, dicendum esset ab eorumdem voluntate pendere quod sua vota sint solemnia aut simplicia, et quod ipsi inhabiles fiant ad certos actus de quibus modo dicturi sumus : atqui hoc utrumque est contra sensum communem canonistarum et contra disciplinam ecclesiasticam ; ergo effectus ille potissimum procedit ab auctoritate et voluntate Ecclesiæ.

III. Effectus quem Ecclesia voto solemni religionis tri-

buit, in eo est ut religiosus addicatur irrevocabiliter religioni, et reddatur incapax faciendi valide quosdam actus votis repugnantes. Solemnitas proinde in duobus consistit : 1° religiosus se in perpetuum tradit et obligat religioni, quæ vicissim erga suum religiosum obligatur, adeo ut vinculum ex utraque parte sit indissolubile; 2° habet vim inhabilitandi personam voventem ad effectus morales supra declaratos, quæ mox fusius explicabuntur. Hæc duo sunt æque necessaria, nec unum sine altero ad solemnitatem voti sufficit.

Hæc assertio duplici probatione fundatur, quam paucis verbis complectimur. Fundatur 1° doctrina communissime recepta apud canonistas et theologos, quam testatur Suarez, *de Statu religioso*, lib. II, cap. v, vi, vii, viii. « Com« munis apud RR. doctrina, ait Schmalzgrueber, solemni« tatem voti refundit in dispositionem Ecclesiæ ita accep« tantis illud, ut seclusa dispensatione apostolica sit « perpetuum, et voventem inhabilem reddat ad actus « voto repugnantes. » (In tit. DE VOTO, n° 8, lib. III Decret.) 2° Comparatione adducta inter ordines religiosos : effectus in quo diximus reponendam rationem solemnitatis, reperitur in omnibus, et quidem solis religionibus quæ solemnes communiter habentur; quod est certum argumentum veritatis nostræ assertionis.

Quonam tempore inducta fuerit et constabilita distinctio votorum simplicium et solemnium, non convenit apud doctores. Certum videtur disciplinam ea de re inductam paulatim fuisse consuetudine a temporibus S. Gregorii Magni; et tandem ubique invaluisse versus sæculum undecimum, admodum probabile est.

440. — III° *Quem effectum producant vota solemnia castitatis, paupertatis, et obedientiæ?*

Vota castitatis, paupertatis et obedientiæ imponunt obligationes de quibus dicetur infra, ubi de *obligationibus status religiosi*; sed insuper habent, quatenus solemnia,

effectus quos in præsenti exponere necesse est ut notio accuratior detur naturæ status religiosi. Itaque :

Votum solemne castitatis reddit religiosum inhabilem ad contrahendum matrimonium, et matrimonium contractum, non tamen adhuc consummatum, dissolvit. Cap. *Quod votum*, supra relatum. Probationem utriusque, de quo nullum dubium est inter doctores, et aliunde definitum fuit a concilio Tridentino, remittimus ad tract. *de Matrimonio*. Votum simplex impedit solummodo ne quis matrimonium licite contrahat, nisi sancta Sedes aliter statuerit, quemadmodum statuit pro religiosis scholasticis et coadjutoribus societatis Jesu, qui licet, vota simplicia emiserint, sunt tamen inhabiles ad valide contrahendum matrimonium.

441. — Votum solemne paupertatis voventem reddit, jure communi, incapacem dominii acquirendi, dum votum simplex obstat solummodo ne licite acquirat, possideat, aliosve actus proprietatis faciat.

I. Theologi distinguunt quatuor gradus paupertatis quam christifideles possunt vovere : 1[us] excludit tantummodo usum rerum superfluarum; 2[us] excludit usum juris, seu usum independentem : si quis, v. g., voto spondeat se non usurum suis bonis, nisi cum dependentia a superiore; 3[us] excludit omne dominium proprium cujusvis rei, et usum independentem rerum, etiam necessariarum; 4[us] demum, cæteris perfectior, excludit capacitem dominii non eo quidem sensu quod sit radicaliter incapax acquirendi, sed quod non possit valide sibi acquirere rei cujusvis temporalis dominium.

Canonistæ omnes consentiunt « non esse de essentia « paupertatis evangelicæ utotiminio rerum temporalium « privet; sed tantum ut privet potestate utendi, ita ut, « absque superioris consensu, non possit ulla re uti, vel de « ulla re disponere. » (Schmalzgrueber, DE STATU MONACHORUM, n° 4.) Re quidem vera, votum paupertatis neces-

sarium æstimatur ad statum religiosum ut removeat impedimenta quæ ex amore divitiarum, atque rerum temporalium sollicitudine, oriuntur; atqui si in primo et in secundo gradu voveatur paupertas, hæc impedimenta sufficienter removentur; qui enim, ex voto religionis, superfluis abrenuntiavit, et ea ipsa quibus in usu communi indiget, cum dependentia a nutu superioris assumit et in suas impendit utilitates, eo ipso moderatur affectum naturalem divitiarum, et sollicitudinem rerum temporalium.

Præterea, quod notatu dignissimum, per plura sæcula floruit status religiosus, tam in Oriente quam in Occidente, quin religiosi omne dominium repudiarent. Habuerunt utique plures ex illis quasdam possessiones, potuerunt testamenta condere, parentum juribus hæreditate succedere. Ergo, abstrahendo a jure canonico, non requiritur ad substantiam status religiosi abdicatio dominii, sed sufficit ut quis superfluis renuntiet, et abdicet usum independentem. Jus autem canonicum, Ecclesiarum consuetudine pluribus abhinc sæculis firmatum, statuit ut in religionibus solemnibus paupertas voveatur in quarto gradu. « Hoc confirmant universalis Ecclesiæ sensus et tra« ditio, ait Suarez... Consequenter hoc votum solemne per« sonam, reddit inhabilem ad quamcumque hæreditatem « adeundum; et subinde simul ac tale votum fit, sua vi « et ipso facto excludit dominium eorum bonorum quæ « antea possidebantur. » (Lib. II, cap. XII, n^is 3-7.)[1]

1. Prima monumenta hujus disciplinæ Gratianus collegit ex codice Justiniano, in CAUSA XIX, quæst. III, cap. 9 et 10. Ad illas constitutiones imperiales alludit Gregorius Magnus, rescribendo ad Januarium Episcopum Calaritanum : « Quia ingredientibus monasterium, « convertendi gratia, ulterius nulla sit testandi licentia, sed res eo« rum ejusdem monasterii juris fiant, aperta legis definitione decre« tum est. » (Ibid., cap. VII.) Sanctiones legum ea de re non statim ubique obtinuerunt, quod ex certis historiarum monumentis constat, sed paulatim, labentibus sæculis, per omnes Ecclesias prævaluerunt.

legitima filiorum. Hinc axioma : *Quidquid acquirit monachus, acquirit monasterio.*

Monasterium scilicet cui vovens se suaque jura tradebat, acquirebat immediate bona quæ, titulo hæreditatis, aliave ratione, ad religiosum devolvebantur. Hæc constitutio in jus commune transiit, ut testantur plures textus juris canonici.

Decursu temporum, potestas civilis, in Gallia et in nonnullis cæteris regionibus, aliam rerum ordinationem induxit quæ minime consentit cum sanctionibus canonicis et contraria est utilitati monasteriorum. Leges nempe condidit quibus religiosi incapaces efficerentur testandi et succedendi, eodem modo ac civiliter mortui : bona temporalia de quibus ante professionem non disposuerant, ipso jure, ac si mortui fuissent *ab intestato*, devolvebantur ad ipsorum parentes, servato ordine communi successionum. Sic, exempli causa, edictum regium Ludovici XIII, an. 1629, art. IX : « Toutes personnes qui, après l'an de profession, « auront pris l'habit de religieux profès, de quelque ordre « que ce soit... seront censées et réputées profès, et, par- « tant, incapables de disposer de leurs biens, succéder à « leurs parents, ni recevoir aucune donation. » Quonam tempore hæc nova legislatio incœperit in Galliis, et in aliis regionibus, ignoramus ; sed probabilissimum est non viguisse ante sæculum XVI. Ex tunc auctoritas civilis intendit monasteriorum bona imminuere ; quod satis indicant edicta regia ; nemo aliunde non videt quam facillime, sub specie juris familiarum et ærarii publici, magistratus his ordinationibus abuti potuerint in perniciem status religiosi.

Incapacitas civilis non amplius admittitur in societatibus modernis. Permanent vero sanctiones canonicæ, cum temperamentis quibus Ecclesia utendum judicat pro ratione temporum ; unde sequitur religiosos succedere parentibus, secundum leges patrias, non secus ac cæteri cives, et de

suis bonis disponere sive per actus inter vivos, sive per testamentum, cum assensu superiorum, ita permittente Ecclesia. — S. Congregatio Regularium, haud semel declarationes dedit in eo sensu, quas refert Lucidi. Anno 1878, S. S. N. Leo XIII decrevit omnes et singulos Belgii Regulares, etiam qui vota solemnia nuncuparunt, omnes actus quibus dominia acquirerent, retinerent, administrarent, valide et licite exercuisse et exercere, ac proinde potuisse ac posse tuta conscientia etiam cum juramento asserere se voluisse ad normam legum civilium verum dominium bonorum a se possessorum acquirere cum jure de iis disponendi; quod de cæteris Regularibus, in eodem statu, dicendum est, quibus eædem concessæ sunt facultates. Servatur substantia voti, quandoquidem ii actus fiunt cum dependentia a legitimis superioribus, annuente S. Sede, et prospicitur utilitati religiosorum, illorumque ordini [1].

443. — Votum solemne obedientiæ efficit ut persona vovens suam voluntatem ita abdicet in futurum, ut non possit valide se obligare erga Deum, vel homines, nisi ad sui prælati arbitrium, qui consequenter valet promissiones et vota irritare. Dicitur in cap. *Si religiosus*, 27, DE ELECTIONE, in VI° : « Arbitrium (religiosi) non ex sua, cum « velle et nolle non habeat, sed ex illius quem vice Dei « super caput suum posuit voluntate dependet. »

Canonistæ, ut effectum hujus voti, atque illius discrimen a voto simplici explicent, dicunt dari prælato regulari potestatem dominativam perpetuam et immutabilem, in voluntatem religiosi, adeo ut impotens fiat ad se obligandum firmiter, nisi dependenter a voluntate superioris. « Simplex obedientiæ promissio, ait Suarez, non inducit « tantam subjectionem et dependentiam in vovente, nec « dat tantam potentiam ei cui promittitur; sed huic tantum

1. Lucidi, *de Visit. S. Limin.* tom. II, p. 319, 320. — De Angelis, in tit. XXXV, lib. III Decret. n° 4, p. 167.

« dat potestatem præcipiendi, et illi imponit obligationem « obediendi, in his quæ præceperit intra latitudinem ma« teriæ talis voti. » Lib. II, cap. XIII, n° 9.

Hæc potestas dominativa superioris in voluntatem religiosi, undenam procedit? Non quidem a sola voluntate voventis, nemo quippe potest eo usque semetipsum privare facultate agendi. Nec etiam oritur ex jure quod superior habet regendi inferiorem, in illius et communitatis bonum; sub eo enim respectu æqualia sunt jura superiorum sive votum sit simplex, sive solemne; aliunde eadem potestas, quatenus ordinatur ad bonum regiminis, valeret solummodo in vota quæ obesse possunt communitati seu religioso, non ad omnia indistincte. Remanet ut dicamus efficaciam voti obedientiæ provenire ex positiva Ecclesiæ institutione, quæ approbando institutum religiosum cum votis solemnibus, prohibet modo absoluto et immutabili, secluso casu dispensationis pontificiæ, ne professi vota seu promissiones aliter faciant quam ad superioris arbitrium, et simul irritabilia reddit vota quæ fiunt sine illa dependentia. Hæc quidem vota non sunt irrita; valent utique, sed infirma et irritationi obnoxia.

444. — IV° *Utrum solemnitas votorum sit de essentia status religiosi?*

Solemnitas votorum non est, jure divino, de essentia status religiosi : « hanc sententiam sequuntur communiter « doctores hoc tempore, » ait Suarez [1]; requiritur tamen jure ecclesiastico ad illum statum constituendum.

Prob. 1ª *pars*, *ex natura status religiosi.* Ad statum religiosum duo sufficiunt : media ad acquirendam perfectionem apta, et stabilitas conveniens; atqui hæc duo habentur independenter a solemnitate votorum. Et quidem sunt media quibus removentur impedimenta perfectionis et

1. Cf. Schmalzgrueber in titulum DE REGULARIBUS, § 1, *de requisitis ad substantiam status religiosi.* — Suarez, tom. III, lib. II, cap. XIV, n° 1.

ipsa perfectio acquiritur; vota scilicet castitatis, paupertatis, obedientiæ, cum regulis instituti. Majus certe incitamentum ad pietatem præstatur solemnitate votorum, atque efficacius impedimenta removentur, eo ipso quod pleniorem abdicationem proprii arbitrii efficiat, sed illud non pertinet ad substantiam status religiosi; vota enim simplicia habent etiam, licet in gradu paulo inferiori, vim sufficientem avertendi animum a cupiditatibus carnis, a rerum temporalium sollicitudine, et a propriæ voluntatis inordinationibus. *Majus et minus non variant species*, ait Suarez.

Eadem animadvertemus de stabilitate. Major est stabilitas religionum solemnium, quia mutua est obligatio religiosi et religionis, eaque perpetua : dum vovens vitam regularem se in perpetuum tradit religioni, ipsa religio, traditionem acceptando, absolutam vicissim obligationem suscipit illum retinendi, eique necessaria præbendi. Non ita reciproce ad invicem se obligant ordo et religiosus in congregationibus cum votis simplicibus, et est tamen sufficiens stabilitas. Ordo non debet, nec moraliter potest dimittere professum nisi gravi de causa, quatenus illud postulaverit bonum communitatis; et professus tenetur, quantum ex se est, remanere perpetuo in statu quem elegit. Non potest se ex hac vitæ conditione subducere, nec propria sponte recedere : quis autem non fateatur nihil amplius requiri ad veram stabilitatem?

Prob. 2ª *pars*, *ex disciplina Ecclesiæ*, juxta quam non censetur verus religiosus, in sensu stricto, qui emittit vota solummodo simplicia, nisi speciale indultum accesserit, quo derogetur juri communi; quod privilegium concessum est Societati Jesu, decreto Gregorii XIII et aliorum Pontificum, qui declaraverunt Jesuitas admissos in primum et secundum gradum, nimirum scholasticos et formatos, constitui in statu religioso; « vere religiosos esse et ubique « censeri et nominari debere, ac si in professorum nume-

« rum adscripti fuissent. « Const. *Quanto fructuosius*, an. 1583; *Ascendente*, an. 1584[1].

Regulares igitur in stylo Canonum dicuntur qui emiserunt vota solemnia.

445. — V° *In quo ordines religiosi distinguantur a congregationibus sæcularibus?*

Ex dictis sequitur requiri et sufficere ad statum religiosum ut emittantur tria vota castitatis, paupertatis et obedientiæ; ut hæc vota sint perpetua; demum, ut fiant in congregatione quam Ecclesia recepit in institutum religiosum. Si una ex tribus conditionibus desit, si nempe nulla, aut unum vel duo vota solummodo fiant; vel si ad tempus, non in perpetuum emissa sint, adeo ut vovens pro suo nutu statum aliquando mutare valeat; vel tandem si congregatio non reponatur ab Ecclesia inter instituta religiosa, non aderit status religiosus proprie dictus, ad sensum canonum, quamvis cæteroquin qui in hac congregatione profitentur, vitam perfectam æmulentur praxi consiliorum evangelicorum. In eo consentiunt omnes canonistæ, qui exinde distinguunt ordines religiosos proprie dictos ab institutis quæ non sunt stricto sensu religiosa, quia scilicet deest in illis substantia status religiosi.

His positis, disputatur quid discriminis intersit inter ordines religiosos et congregationes sæculares, rite ab Ecclesia approbatas, qualis est, v. g., congregatio sacerdotum Missionis.

Plures theologi dixerunt discrimen esse quod professi in ordine religioso, v. g., scholastici societatis Jesu, se Deo actu totaliter tradant et eorum donatio a Deo acceptetur, dum cæterorum vota in promissione consistunt, non in sui traditione. Juxta illos Deus acceptat quidem per seipsum vota et promissa; non acceptat vero donationem, nisi fiat alicui homini per quem acceptari vel repudiari possit, et

1. Bizzarri *Collectanea*, pag. 800, in decis. datam 16 sept. 1864 a S. C. Episc. et Reg.

qui jus acquirat in rem donatam ad utendum illa, et habendi curam personæ voventis[1] : porro, inquiunt, in ordine religioso, est qui vota et traditionem acceptet nomine Ecclesiæ, non in congregatione sæculari.

Hæc solutio minime nobis arridet. Nam, si de intentione voventium agitur, manifestum est illos posse in congregatione sæculari, non secus ac in ordine religioso, sua vota æquali affectu emittere, animo se donandi et tradendi Deo in perpetuum. Si vero de acceptatione ex parte Dei quæritur, cur diceretur Deum non acceptare donationem sibi certe gratam, quæ fit conformiter ad regulas ab Ecclesia approbatas, et vi cujus superiores Instituti jus habent, non secus ac superiores ordinum religiosorum, membris suæ congregationis utendi, illorum curam gerendi, eis præcipiendi juxta finem proprium et regulas ejusdem Instituti?

Rationem igitur discriminis, non a parte rei, non a natura votorum, non denique a modo acceptationis factæ a superiore repetendam putamus, sed a voluntate Ecclesiæ; et quod supra de solemnitate votorum, id etiam de ipsomet statu religioso, qualem illum attendunt leges canonicæ, dicendum arbitramur. Ecclesia scilicet, a cujus voluntate pendent existentia et conditio Institutorum publicorum quæ in illius sinu formantur pietatis causa, statuit alia fore proprie religiosa, et qua talia submitti legibus et perfrui juribus status religiosi; alia vero sic approbat ut velit illa accenseri congregationibus sæcularibus, quæ legibus propriis reguntur, et magis subsunt jurisdictioni ordinariæ Episcoporum.

Benedictus XIV non alia ratione, ut nobis videtur, resolvit quæstionem suo tempore agitatam, an congregatio quædam virginum quæ Anglicanæ dicebantur, et cujus regulæ approbatæ fuerant a Clemente XI, esset congregatio vere religiosa. S. Regularium Congregatio decrevit

1. Cf. Suarez, lib. II, cap. IV.

has virgines non esse vere religiosas, et S. Pontifex in constitutione super earumdem virginum conservatoriis edita, non aliam rationem affert, nisi quod « ad essentiam « status vere religiosi requiritur ut religio, seu ordo, in « hujusmodi statu, Apostolicæ Sedis confirmatione stabi« liatur, » et quod institutum illud non ita fuerat a Sancta Sede approbatum in statu veræ religionis. (Const. *Quamvis justo*, § 13, an. 1749.)

446. — VI° *Utrum vota religiosorum et monialium e Gallia sint solemnia?*

Quæstio sub duplici respectu solvenda est : 1° utrum esse possint vota solemnia religiosorum in statu præsenti rerum in Galliis ; 2° utrum sint reapse vota solemnia quorumdam ordinum religiosorum in Galliis.

I. In statu præsenti solemnia esse possunt vota quæ regulares e Gallia, sive viri, sive mulieres, emittunt.

Prob. 1° *Ex praxi Ecclesiæ.* Ab origine institutorum regularium ad nostram ætatem, Religionibus solemnibus cooptati fuerunt viri cujuslibet nationis, sive sub ditione principum hæreticorum et paganorum, sive inter populos catholicos viverent. Omnes eodem scilicet modo vitam religiosam professi sunt, iisdemque juribus recepti fuere inter membra ordinis, nullo supposito discrimine inter illos, sive gubernia civilia gentium unde oriundi erant eos habuerint incapaces dominii ad normam sacrorum canonum, sive illos haberent capaces, ad instar aliorum civium. Patres Benedictini, Dominicani, Franciscani, Jesuitæ, plurimos sibi sociarunt e regionibus Persarum, Indorum, Sinensium, Tartarorum, aliarumque gentium; perplures computant inter Anglos, Hibernos, incolas Statuum Fœderatorum Americæ. At vero, si solemnitas votorum penderet a consensu principum sæcularium, hi omnes falso reputarentur religiosi professi ; certo enim certius est gubernia, sub quorum ditione versantur, nullam habere rationem votorum ; eos nimirum a cæteris

civibus non discernunt in iis quæ ad capacitatem dominii civilis spectant.

Prob. 2° *Ex necessitate unitatis* in regimine regularium. Rectum regimen regularium exposcit ut ordines qui per orbem suos religiosos mittunt, et qui ubique gentium conventus constituunt, eamdem retineant constitutionem : porro illa regiminis unitas non subsisteret ex quo votorum solemnitas dependeret a legislatione populorum in quorum regionibus morantur. Ergone familia fratrum Prædicatorum, seu Minorum, componetur simul religiosis vere professis qui vota solemnia emiserint, et religiosis quorum vota essent simplicia? Istiusmodi discrimen maximam certe perturbationem induceret in ordine religioso, eo magis quod diversa sint jura, et non iisdem muniis idonei sint religiosi, prout sunt professi solemniter, aut vota solum simplicia emiserunt.

Prob. 3° *Ex declarationibus SS. Congregationum.* Multæ prodierunt declarationes a SS. Congregationibus quæ manifeste indicant eam esse mentem Ecclesiæ Romanæ ut subsistat votorum solemnitas quidquid statuerit potestas sæcularis. Quædam exempli causa seligamus. Censuit S. Congregatio vota emissa a monialibus Gallis ante rerum Gallicarum perturbationem vim suam servasse non obstante lege civili quæ easdem moniales capaces fore dominii decreverat. — S. Pœnitentiaria respondit declarationes datas pro monialibus quæ vitam religiosam professæ sunt in præsenti statu, et quarum vota pro simplicibus habenda dixit, non extendi ad regulares. — S. Congregatio Regularium concessit abbati Solesmiensi facultatem admittendi *ad solemnem professionem* omnes qui in nova Congregatione Benedictinorum *vota simplicia* prius emiserant. Eadem Congregatio noluit dispensare religiosum quemdam professum, licet sacris ordinibus minime initiatum, super votis ab illo emissis, « quia firmum stabileque sem-« per fuit Sanctæ Sedis consilium numquam *a solemni voto*

« castitatis dispensare, nisi aliquando gravissima omnino « urgente ratione quæ publicum bonum respiciat. » Hæc Congregatio rescripsit, an. 1838, ad Archiepiscopum administratorem Ecclesiæ Lugdunensis, et iterum mandavit Archiepiscopo ejusdem Ecclesiæ an. 1842, super votis in ordine sancti Joannis de Deo *solemniter emissis*, quorum idem religiosus novis precibus relaxationem implorabat. — Tandem decretum est vota Trappensium quæ in posterum intra fines Galliarum emitterentur tanquam simplicia habenda, *donec Sancta Sedes aliter statuerit* [1].

II. Soluta quæstione juris, alia est quæstio facti, utrum scilicet vota quæ in Galliis emittuntur in religione quæ fuit olim approbata cum votis solemnibus, sint vere solemnia. Ratio dubii est quod si ad externas rerum apparentias attendatur, grave discrimen intercedere videatur inter præsentem et præteritum statum religiosorum Galliæ. In præsenti scilicet statu, Regulares ineunt contractus civiles, proprio nomine acquirunt et alienant; domus religiosæ sæpe constituuntur sub forma societatis commercialis juxta regulas codicis. Dicendum est nihilominus hæc non obstare quominus vota sint solemnia.

Jus canonicum solummodo indixit ut regulares non acquirant nutu proprio dominium rerum temporalium, nec ullam rem sibi retineant, de illave disponere præsumant; porro, quando juxta præsentem statum rerum Religiosi ineunt contractus civiles de quibus supra, non agunt nutu proprio, neque in suum proprium commodum, sed cum assensu sui Prælati, in bonum sui ordinis. Sancta Sedes concessit superioribus ordinum, ita postulante ratione temporum, facultates necessarias ut Regulares proprio nomine acceptent bona quæ eis obveniunt ex testamento, seu alio titulo, declarationesque a legibus civilibus

1. Resp. Pœnitentiariæ ad Episcopum Cenomanensem, 13 feb. 1841. — Decretum S. Cong. Regularium, 24 martii 1837. — Bizzarri, *Collectanea*, p. 79, 608.

præscriptas emittere valeant; item ut bonorum quæ ipsis commissa sunt usumfructum, et dominium transferre possint, conditione cæteroquin adjecta ut bona a personis auctoritate superioris deputandis administrentur, et redditus conventui cedant. Ergo nihil, ex parte juris, obstat quominus vota in Galliis emissa sint solemnia, modo serventur regulæ jure communi præscriptæ ad legitimam professionem, et nulla in contrarium data sit declaratio Sanctæ Sedis.

Hinc vota Benedictinorum, fratrum Minorum, Prædicatorum, Jesuitarum, etc... reputantur solemnia. E contra, vota monialium sunt simplicia, quia Sancta Sedes haud semel declaravit se ea non acceptare pro solemnibus. S. Congregatio Regularium rescripsit an. 1835 ad Archiepiscopum Turonensem : « Percunctatus es de votis « quæ modo in Galliis a monialibus nuncupantur, an so« lemnia sint, an simplicia. Scias autem S. Pœnitentia« riam sæpius ea de re sententiam suam aperuisse, et pos« tremum quod edidit decretum hisce verbis expressum « est : S. Pœnitentiaria denuo perpensis et in examen de« ductis quæ a dilecto in Christo Vicario generali Tolo« sano proponuntur, præhabitoque super his oraculo S. S. « D. N. Pii VIII, de ejusdem Sanctitatis mandato, respon« det : *Standum esse decisis : hoc est, vota quæ in præsenti « statu rerum a monialibus in regno Galliarum emittun« tur, ut simplicia a Sancta Sede æstimari*. Datum Romæ « die 19 maii 1829. »

III. Quibus rationibus Sancta Sedes inducta sit ut non admitteret vota solemnia monialium, non certo novimus. Probabile tamen nobis videtur Sanctam Sedem opportunum hactenus non duxisse assentiri solemnitati votorum monialium, ob varias gravesque difficultates quibus hanc conditionem vitæ religiosæ obnoxiam efficiunt in statu præsenti rerum, indissolubilitas vinculi religionis, strictior clausura super qua nullus dispensare valeat nisi

S. Pontifex, et legislatio civilis circa bonorum proprietatem et dispositiones. Quamvis enim Sancta Sedes valeat consulere, ope Indultorum, conventibus monialium ad removendum utcumque difficultates, negari tamen non potest multa exinde procreari impedimenta ex quibus superiores locales non facile expedirent communitates [1].

Carentia votorum solemnium non obstat quominus moniales habeant substantiam status religiosi, quod colligitur ex supra dictis. Toleratæ olim dicebantur congregationes mulierum cum votis simplicibus, non approbatæ, ob constitutionem S. Pii V, quam supra citavimus; nunc vero, sublata omni difficultate, approbantur multisque donantur privilegiis.

Notandum tandem moniales Galliæ, licet vota simplicia emittant, lucrari nihilominus posse omnes indulgentias quæ concessæ sunt religioni vel ordini ad quem pertinent: sic Carmelitanæ, Clarissæ, etc., easdem gratias spirituales participant, quibus fruuntur illarum sorores quæ alibi habent vota solemnia; idque ex Indulto a Gregorio XVI confirmato.

Articulus iii. — De approbatione ordinum religiosorum, ac de constitutione provinciarum, conventuum et domorum eorumdem ordinum.

447. — I° *Quid jure canonico præscriptum sit de approbatione ordinum regularium?*

1. Eadem est disciplina in Statibus Fœderatis Americæ. Moniales Visitationis quorumdam monasteriorum admittuntur ad vota solemnia ob rescripta quæ a S. Sede obtinuerunt, ea tamen conditione ut intercedere debeant quinque anni ab emissis primis votis simplicibus ad solemnem professionem. In monasteriis in posterum erigendis, in singulis Statibus Unitis, vota emittenda a monialibus esse debent simplicia. Ita rescriptum jussu S. Pontificis, die 2 sept. 1864. — *Concilii plenarii Baltimorensis* II *acta et decreta*, tit. VIII, cap. II.

I. Concilium Lateranense sub Innocentio III habitum, an. 1215, edixit : « Ne nimia religionum diversitas gra-« vem in Ecclesiam Dei confusionem inducat, firmiter « prohibemus ne quis de cætero novam religionem inve-« niat; sed quicumque ad religionem converti voluerit, « unam de approbatis assumat. » (Cap. IX, DE RELIGIOSIS DOMIBUS). Nedum hoc decretum obstiterit formationi ordinum, multo plures a tempore concilii Lateranensis prodierunt novæ congregationes quam sæculis præcedentibus; quamobrem anno 1274 concilium Lugdunense legem innovavit : «... quia non solum importuna petentium inhiatio « religionum postmodum multiplicationem extorsit, verum « aliquorum etiam præsumptuosa temeritas diversorum « ordinum præsertim Mendicantium, effrænatam quasi « multitudinem adinvenit; repetita constitutione distric-« tius inhibentes ne aliquis de cætero novum ordinem aut « religionem adinveniat, vel habitum novæ religionis « assumat; cunctas affatim religiones et ordines Men-« dicantes post concilium (Lateranense) adinventos, qui « nullam confirmationem Sedis Apostolicæ meruerunt, per-« petuæ prohibitioni subjicimus. » Cap. *Religionum*, DE « RELIGIOSIS DOMIBUS, in VI°.

Ex prolatis decretis duo sequuntur maximi momenti : 1° approbationem esse omnino necessariam ordinibus religiosis; 2° approbationem Sanctæ Sedi reservari, dempta Episcopis facultate instituendi vel approbandi novas religiones.

Ea est necessitas approbationis ut, si deficiat, non sit ordo religiosus; lex enim est simul prohibens et irritans. Igitur irrita est professio facta in Instituto non approbato; irrita pariter sunt vota obedientiæ, paupertatis, imo et castitatis, si non aliter facta sint quam relative ad eumdem ordinem.

Conclusio complectitur non solum religiones quæ vota solemnia habere præsumunt, sed insuper ordines seu con-

gregationes cum votis simplicibus [1]. Lex canonica universim prohibet ne quis novum *ordinem* aut *religionem* adinveniat sine confirmatione Ecclesiæ Romanæ : porro, omnis congregatio instituta sub certa regula et habitu, cum votis simplicibus, est sin religio, saltem *ordo religiosus*, qui juxta doctores latius patet quam religio. Aliunde lex lata est ut vitetur confusio quam inducunt diversitas et multiplicatio novorum ordinum, qui singuli suas regulas, suumque habitum habent; quæ ratio æque urget, sive religiones solemnes, sive ordines cum votis simplicibus, formentur non assentiente Ecclesia.

Adjecimus approbationem ordinum religiosorum reservari Sanctæ Sedi. Jure quidem divino Episcopus, quatenus doctor et pontifex, posset approbare ordinem religiosum pro sua diœcesi, judicare de honestate regulæ, et concedere suis diœcesanis ut in communi vivant sub eadem regula; sed approbatio data ab Episcopo restringeretur ad diœcesim; et multum expedit bono ordinum religiosorum ut per provincias dilatari ac propagari possint, servata unitate sub unius Prælati regimine, quod certo ac stabiliter obtinere non valent nisi auctoritate Summi Pontificis.

II. — Lex in conciliis Lateranensi ac Lugdunensi lata, non attingit Congregationes religiosas improprie dictas, seu virorum seu mulierum quæ habitum sæcularem gestant et nulla vota admittunt; etiamsi habeant vitam communem cum statutis, sub obedientia superioris. Idem dicemus de societatibus clericorum qui gestant habitum similem vestitui aliorum sacerdotum sæcularium, nec vota emittunt.

Leges canonicæ, quantumvis favorabiles religioni videantur, non debent ampliari ultra sensum obvium verborum, in iis præsertim quibus restringitur libertas, et induceretur nullitas actuum et pactorum quæ ad institutum

1. Cf. Suarez, lib. II, cap. XVI; — Pirhing, lib. III, tit. XXXVI, nº 33; — Schmalzgrueber, eod. tit., nº 48.

referuntur. Atqui sanctiones canonicæ de quibus agimus, si sensu naturali verborum et consueta interpretatione temporis quo editæ sunt sumantur, afficiunt solummodo congregationes religiosas quæ vota saltem simplicia cum habitu religionis habent. Quamvis enim in Decreto Concilii vox *Ordo* forte latius pateat quam vox *Religio*, ut notatum diximus a canonistis, nunquam tamen, usu consueto loquendi, vox illa tunc temporis non secus ac sæculis subsequentibus, adhibita fuit ad aliud designandum quam Institutum religiosum votis, saltem simplicibus, firmatum et habitu a societatibus sæcularibus distinctum, sine quibus ne excogitabatur quidem constitui posse ordinem religiosum.

448. — II° *Utrum et quatenus necessitas approbationis temperata fuerit a tempore concilii Lugdunensis?*

I. Disciplina a concilio Lugdunensi sancita in suo rigore ad nostram ætatem permansit quoad omnes ordines religiosos, qui habent vota solemnia; adeo ut nusquam admissa sit solemnis professio vitæ regularis, absque prævia approbatione Sedis Apostolicæ.

II. A tempore concilii Lugdunensis, ac præsertim a tempore concilii Tridentini, plurimæ Congregationes institutæ sunt cum votis simplicibus, sine prævia approbatione Sedis Apostolicæ. Id vetitum quidem fuisse pro conventibus mulierum a S. Pio V vidimus supra (n° 436); qui alteram etiam constitutionem, scilicet Bullam *Lubricum vitæ genus*, anno 1568, edidit pro conventibus virorum, qua edicebat, sub pœnis gravissimis, ut omnes conventuales quarumcumque Congregationum, professionem regularem solemniter emitterent, sub una regula ex approbatis, si vellent in domo, conventu, seu congregatione commorari. Verum hæc disciplina non diu viguit in praxi; nam sæculis mox secutis plurimæ enatæ sunt Congregationes, sub regimine Episcoporum, tolerantibus SS. Pontificibus, quæ non habebant vota solemnia; et hujusmodi instituta Sancta Sedes

approbavit, quia adjecto voto perseverantiæ sufficienter cautum visum est stabilitati vitæ regularis, quod præcipue intenderat S. Pius V.

III. Est igitur temperamentum, longa consuetudine inductum, hujusmodi Congregationes tentari et inchoari posse, cum suis statutis ac votis simplicibus, sub auctoritate Episcoporum. Quin etiam expedire judicatum est ut per certum tempus hæc instituta expertam habuerint convenientiam suorum statutorum, donec summus Pontifex illa approbet.

Exemplum memoria dignissimum hujus tolerantiæ, imo et assensus taciti, retulimus quoad conventus Tertiariorum. Nemo aliunde ignorat quot, a centum circiter annis, formatæ sint Congregationes mulierum in Galliis, sub regimine Episcoporum, quas Sancta Sedes eximiis laudibus honestavit, gratiisque spiritualibus benigno favore ditavit, nedum improbaverit.

Sancta Sedes eodem modo egit erga Congregationes virorum; plures Congregationes clericorum nostra ætate institutæ sunt cum votis simplicibus, quas inchoationes Ecclesia Romana gratas habere testificata est Brevibus apostolicis. Sic Gregorius XVI in Bulla qua Congregationem clericorum *Societatis Mariæ* approbavit, dixit : « Non « mediocri certe voluptate affecti fuimus, ubi accepimus « dilectum filium Claudium Colin, et aliquos presbyteros, « multis abhinc annis, novæ religiosorum hominum socie- « tatis fundamenta posuisse titulo *Societatis Mariæ*. » (Bulla *Omnium gentium*, an. 1836.)

Hinc jure concludendum temperatam fuisse diuturna consuetudine, et assensu Sanctæ Sedis, disciplinam decretis conciliorum Lateranensis et Lugdunensis, nec non Bullis S. Pii V et aliorum Pontificum institutam; licitum nempe esse inchoare Congregationes religiosas cum assensu Episcoporum, non obtenta prævia approbatione Sanctæ Sedis, valere statuta congregationum sub regimine

episcoporum, valere insimul vota quæ in iisdem Congregationibus emittuntur, donec opportunum videatur, post sufficiens experimentum regularum, recurrere ad auctoritatem S. Pontificis quo constabiliatur novum institutum [1].

449. III° *Utrum et quatenus Prælati regulares obtinere debeant beneplacitum apostolicum, et licentiam Ordinarii, ut valeant erigere conventus et domos?*

Ordines religiosi sunt in potestate S. Pontificis qui prospicit, pro sua sollicitudine in Ecclesiam universalem et in commoda uniuscujusque ordinis, conventuum fundationibus, et definitionibus provinciarum ordinum religiosorum. Subduntur insuper auctoritati Episcoporum in quorum diœceses propagari exoptant; est quippe Ordinariorum loci examinare an conventuum fundationes expetitæ utilitati suæ diœcesis inserviant.

I. Disputatum est olim, inter celebriores canonistas, de necessitate beneplaciti Apostolici pro erectione novarum domuum religiosarum [2]. « Verum communis hodie et in « tribunalibus recepta opinio est, ait Benedictus XIV, non « licere regularibus, tam intra quam extra Italiam, nova « monasteria sive collegia fundare sola Episcopi localis « auctoritate, sed Apostolicæ Sedis licentiam præterea « necessariam esse. » (*De Synodo*. lib. IX, cap. I, n° 9). Ad illam sententiam adducti sunt juris interpretes decretis concilii Lugdunensis et Bonifacii VIII, ac præsertim praxi quæ a multo jam tempore prævaluit. Concilium Lugdunense prohibuit Mendicantibus « ne de novo domum vel « locum acquirant sine Sedis Apostolicæ licentia speciali » ; quam legem rursus confirmavit Bonifacius VIII ob fre-

1. Cf. *Collectanea Card. Bizzarri*, pag. 828 et seq., ubi exponitur methodus quam sequitur S. Cong. Regularium in approbandis novis Institutis votorum simplicium quæ fuere cum approbatione Episcoporum inchoata.

2. Cf. Fagnan, in cap. *Non amplius*, n^is^ 55-72, DE INSTITUTIONIBUS, lib. III Decret.

quentes querimonias ad suam Sedem delatas. « Nos, inquit, super hoc providere volentes, hoc perpetuo prohibemus edicto, ne deinceps aliquis, vel aliqui de prædictis « (Prædicatoribus, Minoribus, et religiosis aliis Mendicantibus), quibuscumque super hoc privilegiis muniti existant, in aliqua civitate, castro, villa seu loco quocumque, domos ad habitandum, vel loca quæcumque de « novo recipere, seu hactenus recepta mutare... absque « Apostolicæ Sedis licentia speciali plenam et expressam « mentionem faciente prohibitionis hujusmodi; si secus « egerint, irritum decernentes. » (Cap. *Cum ex eo*, DE EXCESSIBUS PRÆLATORUM, in VI°). Hæc decreta, quibus de ordinibus Mendicantibus Pontifices statuerant, extensa deinceps fuerunt, praxi et jurisprudentia Curiæ Romanæ, ad alios ordines, congregationes et societates cujusvis alterius instituti vota solemnia habentis; atque etiam, ut putamus ad conventus Monialium de quibus non agebatur in decretis allatis.

Jura nihil statuerunt de Congregationibus votorum simplicium, sed usu et decisionibus S. Sedis prævaluit ut domus saltem novitiatus non erigatur sine recursu ad S. Congregationem Episc. et Regul.

Beneplacitum Apostolicum requiritur etiam in fundatione novi conventus ejusdem ordinis in civitate jam admissi; quandoquidem ratio legis est ne præjudicium afferatur conventibus antea erectis, ac simul ut præcaveantur rixæ quæ ex æmulatione inter vicinos conventus quandoque enascuntur; hæc autem motiva urgent, sive ejusdem instituti sive alterius novi conventus erigantur [1].

S. Sedes non consuevit dare regularibus licentiam erigendi novos conventus, saltem cum privilegiis ordinariis exemptionis a jurisdictione Episcoporum, nisi sint ad minus duodecim numero religiosi; quia periculum est ne obser-

1. Pignatelli, tom. I *Consultationum*, Consult. 179. — Matthæucci, *Officialis curiæ ecclesiasticæ*, cap. XVI, n° 5.

vantiæ regulari male consulatur quando minor est numerus. Hanc ordinationem, plurium pontificum decretis constitutam, de novo præscripsit Innocentius XII, in Bulla *Nuper* an. 1697 : « deinceps monasterium, conventus, « domus, congregatio vel societas religiosorum, seu regu- « larium, nullibi recipiatur, nisi, præter alia ad id requi- « sita, in singulis hujusmodi locis duodecim saltem fratres » aut monachi seu religiosi degere, et ex redditibus et « consuetis eleemosynis, detractis omnibus detrahendis, « competenter sustentari valeant, ad præscriptum Decreti « Gregorii XV hac de re editi; alioquin monasteria, et « loca hujusmodi post hæc recipienda, in quibus duode- « cim religiosi, ut supra, sustentari atque inhabitare non « poterunt et actu non inhabitaverint, Ordinarii loci visi- « tationi, correctioni, atque omnimodæ jurisdictioni sub- « jecta esse intelligantur. »

450. — II. Præter beneplacitum S. Sedis, requiritur licentia Episcopi juxta sanctionem concilii Tridentini : « In monasteriis et domibus tam virorum quam mulierum, « bona immobilia possidentibus vel non possidentibus, is « tantum numerus constituatur, ac in posterum conserve- « tur, qui vel ex redditibus propriis monasteriorum, vel « ex consuetis eleemosynis, commode possit sustentari ; « nec de cætero similia loca erigantur sine Episcopi, in « cujus diœcesi erigenda sunt, licentia prius obtenta. » (Sess. xxv, cap. III.)

Conditionem a concilio Tridentino impositam confirmavit Urbanus VIII, Const. *Romanus Pontifex* an. 1624, qua interdixit, sub pœna privationis vocis activæ et passivæ, necnon officiorum ac inhabilitatis ad illa in futurum obtinenda, et etiam excommunicationis, superioribus ordinum, etiam Mendicantium, congregationum, societatum, aliorumque institutorum quovis nomine appellentur, quibusve privilegiis donata fuerint, « recipere, erigere, fun- « dare, seu alias quomodolibet instituere nova monasteria,

« collegia, domus, conventus, et alia loca regularia hujus-
« modi, nisi de expressa licentia Ordinariorum et servata
« in omnibus sanctorum canonum forma [1]. »

Conventus Regularium habere possunt Ecclesiam, ubi, pro ratione sui instituti, januis apertis celebrentur missæ et fiant conciones; si autem velint exstruere novam Ecclesiam a sua domo sejunctam, necesse omnino est ut ad Ordinarium loci recurrant; agitur quippe de re non levis momenti, quæ aliorum conventuum et parochiarum interest. A sæculo XIII Innocentius IV idem præcaverat, vetando ne regulares, etiam exempti, oratoria vel capellas in locis non exemptis construere præsumerent sine Ordinariorum locorum licentia. (Cap. *Auctoritate*, 4, DE PRIVILEGIIS, in VI°.)

Potestas Episcopo attributa non est arbitraria, adeo ut pro libitu valeat concedere aut denegare licentiam quam ab eo expetit prælatus regularis ad fundationem conventus peragendam. Prospicere utique tenetur ne novus conventus præjudicium afferat institutis religiosis præexistentibus, aut parochiis, at simul non debet obstare fundationi in detrimentum ordinis, si nulla rationabilis causa intercedat. Ut præjudicium præcaveat, præscriptum est constitutionibus pontificiis, præsertim Clementis VIII *Quoniam* an. 1603 et Gregorii XV *Cum alias*, an. 1622, licentiam non concedendam fore, nisi postquam aliorum conventuum in iisdem urbibus vel in vicinis locis existentium priores, seu procuratores, et alii *interesse habentes* « vocati
« et auditi fuerint, ac tali erectioni consenserint; *vel alias*
« *Ordinariis locorum constiterit, religiosos monasterii, con-*
« *ventus, seu domus, sic erigendi, absque detrimento reli-*
« *giosorum in monasteriis, seu domibus ante in civitatibus*
« *et locis hujusmodi erectis degentium, ibi in numero duo-*
« *decim commode et congrue manuteneri et ali posse.* »

1. Cf. Ferraris, v° *Conventus*, art. I, n° 4.

451. — Nonnulla proposita sunt apud canonistas dubia de sensu prædictarum Constitutionum. 1° Quinam sint citandi et audiendi; 2° quis ordo servandus in hoc negotio; 3° an Episcopus teneatur semper citare et audire partes, antequam licentiam concedat novas domus erigendi; 4° quid, si partes interesse habentes appellaverint ad S. Sedem.

I. — Ad 1um : *Interesse habentes* in re præsenti, sunt Superiores conventuum Mendicantium, existentium in eadem civitate et circumvicinis locis suburbanis, et probabiliter parochi Ecclesiarum intrà quarum fines erigenda est domus religiosa.

De superioribus conventuum Mendicantium habetur mentio expressa.

De parochis non ita constat; illos tamen decretis allatis comprehendi tenent communius canonistæ. « Controver- « tunt aliqui, ait Reiffenstuel, an inter citandos et audien- « dos, etiam sint parochi locorum. Passarinus siquidem... « et alii putant eos nec citandos nec audiendos esse. Ve- « rum contraria opinio, videlicet quod et parochi, ante « consensum, audiendi sint, probabilior et juri conformior « esse videtur, prout sæpe decidit Rota, teste ipso Passa- « rino...; idque probatur ex Bulla Clementis VIII ubi « expresse prohibetur ne Episcopus consensum præbeat, « nisi prius vocatis et auditis religiosis existentibus in loco, « et, n. b., aliis *interesse habentibus;* atqui parochi in « hujusmodi causa interesse habent, cum contingere pos- « set quod ex nova monasteriorum constructione eorum « oblationes, aliave jura parochialia ita diminuerentur « ut congruam sustentationem non amplius haberent [1]. »

1. Reiffenstuel, in tit. XLVIII, lib. III, n° 33; — Schmalzgrueber, in tit. XXXVI, lib. III, n° 35; — Card. Petra, *Comment.* in II Const. Paschalis II, sect. I, nis 31-41, tom. I, pag. 217; — Pignatelli, *Consult.* 179, tom. I; — Ferraris, v° *Conventus*, nis 36, 41. — Pro sententia opposita Cf. *Examen historicum et canonicum*, lib. P. Mariani Verhoeven, cap. XXII.

Talis esse videtur sensus obvius bullæ Clementis VIII; etenim vult, modo generali, ad mentem legislationis Ecclesiasticæ, ut in erectione novorum conventuum provideatur omnibus interesse habentibus. Porro, Parochiæ sunt publica instituta quæ detrimentum pati possunt ex novis erectionibus conventuum; parochi non minus interesse habent in causa hujusmodi quam priores conventuum, et Ecclesiæ non minor cura est de statu parochiarum quam de commodo conventuum regularium. Idcirco audiuntur superiores conventuum quia forte, novis erectis domibus religiosis, aliæ domus præexistentes carebunt redditibus quibus commode sustententur : sed accidere etiam potest ut parochi non minus imo magis graventur quam superiores conventuum. Non satis est integra permanere jura parochialia stricte sumpta, v. g., jus conferendi baptismum, benedicendi nuptias, defunctis funebria exsolvendi, si aliunde assueti redditus, ex minori concursu fidelium ad divina officia, notabiliter diminuantur. Neminem certe latet præcipuos redditus parochiarum provenire ex subselliorum locatione in æde sacra, ex eleemosynis quas fideles intra divina officia largiuntur, ex piorum parochianorum liberalitate, denique ex Missarum stipendiis; si proinde, multiplicatis circumcirca oratoriis publicis regularium, fideles ab assistentia officiis parochialibus avocentur, notabile, imo gravissimum quandoque inde detrimentum parochiæ inferetur, adeo ut jam non valeat convenienter provideri sumptibus cultus publici, vicariorum sustentationi, pauperum sublevamini, quod, quantum in se est, parochus præcavere debet.

Igitur sive ad textum legis, sive ad illius finem, sive ad auctoritatem canonistarum attenderimus, concludendum videtur audiendos esse parochos, quoties dubium est an grave præjudicium inferre debeat parochiæ novi conventus fundatio. Rationes allatæ tanti ponderis sunt, nostro quidem judicio, ut, etiamsi Episcopus non arbitraretur, se

stricte obligatum ad audiendum ex officio parochum, potest certe denegare expetitam licentiam quoties istius modi præjudicium secuturum fore prudenter existimat.

Ad II^{um} : Quando superior regularium postulat licentiam erigendi monasterium, vel Ecclesiam cultui publico dicandam, Episcopus pensat simul rationum momenta ob quæ expostulatur novi conventus aut Ecclesiæ fundatio, et suæ diœcesis commoda. Si non arbitretur, omnibus attente consideratis, obsecundandum petitioni regularium, potest denegare licentiam. Si vero attentione digna sibi videantur motiva allegata, et dubium sit an novus conventus aliis præjudicium afferat, citabit superiores aliorum monasteriorum, parochum loci in quo novus conventus erigendus proponitur, et alios, si qui sint interesse habentes. Regulares citati ab Episcopo debent rem propositam capitulariter inter se pertractare; superiores enim non possunt consensum præstare nomine sui ordinis, nisi forma regulis sui instituti præfixa servata sit. Si existiment sui notabiliter interesse ut impediatur erectio conventus, suas rationes in scriptis afferent Episcopo; idem curabunt cæteri, Parochus nempe et alii interesse habentes, quia Episcopus ipse tenetur motiva suæ sententiæ, si recusaverit licentiam postulatam, aperire, et etiam, in casu appellationis, causas deferre ad S. Congregationem. Tandem cum omne negotium, auditis quæ ex utraque parte allata sunt, mature perpenderit, sententiam dicet in forma authentica, concedendo vel denegando licentiam, prout in Domino judicaverit.

Ad III^{um} : Probabilissimum nobis videtur Episcopum non teneri ad citandum superiores conventuum et Parochum, quoties sibi certe constat erectionem novi conventus nullum præjudicium notabile allaturum fore. In eo omnes quidem non consentiunt. Plures tenent sententiam oppositam, quia, juxta illos, quando Gregorius XV obligationi generali citandi omnes interesse habentes, clausu-

lam restrictivam seu disjunctivam adjecit, *vel alias ordinariis locorum constiterit...* (nº 430), id intelligendum voluit solummodo quoad *consensum* partium, non quoad illarum *citationem*, quatenus scilicet Episcopus deberet quidem semper citare omnes interesse habentes, sed non teneretur habere illorum consensum, si aliunde noverit consensum denegari sine sufficienti causa. Ita præsertim Pignatelli.

Communior videtur opinio quam sequimur, et gravibus momentis nititur. 1º Clausula restrictiva pure ac simpliciter additur; ergo debemus illam ad citationem partium non secus ac ad illarum consensum apponere. 2º Citatio et consensus non alia ratione postulantur a SS. Pontificibus, quam ut provideatur statui interesse habentium; ergo si aperte Episcopo constiterit novam domum nullum præjudicium aliis afferre posse, non est cur procedere debeat ad citationem et inquisitionem; eo magis, quod hujusmodi inquisitiones haud raro varia incommoda adducant animosque commoveant. 3º Praxis constans in nostris Ecclesiis interpretationem datam confirmat; omnibus satis notum est Episcopos, in hisce provinciis, non consuevisse citare superiores conventuum existentium, quando agitur de erigenda nova domo religiosa; nec, ubi nulli Regulares ibidem existunt, locorum incolas et habitatores ut eorum consensum obtineant, quemadmodum præscriptum fuit in constitutione Gregorii XV, sed sponte concedere licentiam petitam pro novis erectionibus, quoties id opportunum judicant. Si admitteretur adversariorum opinio, nulla esset apud nos domus religiosa canonice et valide erecta; quod certe nemo admittet. — Ita Ferraris, Reiffenstuel, Leurenius, et multi alii tam veteres, quam recentiores [1].

Nota. Quando Episcopus, sponte propria, nulla facta

1. Pignatelli, *Consultationum* tom. I, *Consult.* 179, nº 30. — Reiffenstuel in tit. DE ECCLESIIS ÆDIFICANDIS, lib. III Decret., nº 42. — Leurenius in eumd. tit., quæst. 997. — Ferraris, vº *Conventus*, art. 1, nis 22, 23.

citatione, licentiam concedit Religiosis conventum erigendi, expedit ut concessio scriptis authenticis consignetur, ut de illa et de conditionibus adjectis certius constet. Hæc autem cautio nullibi requiritur ad validitatem concessionis; cognosci potest ex circumstantiis datam fuisse expressam licentiam, tametsi non scriptam.

Ad IV[um] : Omnibus quorum interest fas est appellare a sententia Episcopi ad Congregationem Episcoporum et Regularium; et si reipsa intercesserit appellatio, omnia in suspenso manent ex præscripto constitutionis Gregorii XV; regulares non debent ædificationem conventus, seu oratorii publici, incipere, nec incœptam persequi possunt, donec prolatum sit judicium definitivum.

Supervacuum foret hæc fusius explicare, quæ nunquam in praxim adducuntur apud nos. Regulares qui alicubi conventum erigere desiderant, sua vota Episcopo loci aperiunt, causamque suam illius caritati et prudentiæ committunt. Inauditum nobis est decisionem Episcopi, quævis fuerit, occasionem unquam dedisse reclamationibus, multo minus canonicis appellationibus; omnes quippe norunt Episcopos sua pastorali sollicitudine æqualiter fovere felicem statum parochiarum et bonum institutorum religiosorum. Hoc unum intendunt, quid magis prosit suæ diœcesi.

452. — IV° *Quid jure præscriptum sit ad provinciarum constitutionem, unionem, seu divisionem?*

Non est cur prælati regulares adire teneantur Episcopos locorum pro constitutione, seu divisione provinciæ; quandoquidem provinciarum definitio, si cæteroquin non erigantur novi conventus, nullatenus officit jurisdictioni Episcoporum, nullumque gravamen aliis institutis regularibus, nec incolis regionis affert. At indigent indulto apostolico. Multæ constitutiones reperiuntur in Bullario, quibus SS. Pontifices sua auctoritate sanxerunt ordinationes capitulorum generalium Franciscanorum et Prædicatorum de

provinciarum unione et divisione, ut quod prælati regulares cum capitulis definierant, majori stabilitate firmaretur; quin etiam, in nonnullis harum constitutionum indicitur necessariam omnino esse auctoritatem Sanctæ Sedis ut valeant præfinitiones provinciarum. Id præ cæteris indicat Constitutio Innocentii XI *Injuncti nobis divinitus*, an. 1677. Relata postulatione Cardinalis Nicolai Acciaioli protectoris ordinis Minorum Capuccinorum, de divisione provinciæ in duas, S. Pontifex dixit : « Cum autem ejusmodi divisiones « provinciarum absque speciali nostro et hujus Sanctæ « Sedis indulto fieri nequeant; nobis propterea dictus Car- « dinalis Nicolaus humiliter supplicavit, ut in præmissis « opportune providere et indulgere de benignitate apos- « tolica dignaremur. »

Hæc ab initio constituta pro nonnullis ordinibus mendicantibus, extensa deinde fuerunt, praxi S. Congreg. Regularium, ad alias religiones. Eadem reservatio facta Sanctæ Sedi, reperitur etiam consignata in statutis quarumdam Congregationum sæcularium, v. g., Redemptoristarum, Maristarum, et sensim aliis applicatur; adeo ut generatim loquendo, ipsæ congregationes constitutæ cum votis simplicibus, non aliter quam obtento speciali indulto, suas provincias unire vel dividere consueverint.

453. — Ex dictis sequitur : 1° Regulares, qui conventum vel oratorium publicum erigunt non servatis formis jure præfixis, absque beneplacito apostolico et expressa licentia Episcopi, graviter peccare contra sanctiones pontificias; 2° quidquid neglectis conditionibus præsumpserunt, irritum esse et inane, nullumque consequenter jus exinde ipsis tribui. Episcopi possunt eos coercere censuris ecclesiasticis ut ab incœptis desistant, et ne domibus, seu oratoriis publicis, præter jus ædificatis, utantur.

Utrum hæc applicanda sint ordinibus regularibus qui, postquam injuste expulsi de loco fuerint, aut vi suppressi, iterum ad civitates de quibus discesserant redeunt, et con-

ventus atque Ecclesiam reædificare volunt, quæstio ambigua videtur et resolvenda ex variis circumstantiis. Generatim conventus injuste suppressus conatu hæreticorum, hostili furore, aliove simili casu, et paulo post, sedata tempestate, restitutus, recuperat locum et primæva jura; « quoniam, ait Matthæucci, tanquam injuste suppressus, « nunquam fuit sua possessione privatus, licet per aliquod « temporis caruerit exercitio. Et propterea redintegratio « verissime dicitur continuatio ejusdem status primævi. » (*Officialis curiæ ecclesiasticæ*, cap. ult., n° 9.) Non indiget proinde iterum recursu ad Sanctam Sedem, et ad Ordinarium loci, ad obtinendum licentiam conventum erigendi.

Si tantum temporis elapsum sit ut, juxta moralem hominum existimationem, conventus censeatur penitus cessasse, ac novam inchoari fundationem, superiores regulares ordinis qui olim conventum, domum, Ecclesiam, tenebat in civitate, non possunt similia loca ibidem erigere sub obtentu præteritæ concessionis, sed novam licentiam obtineant necesse est. Ordines regulares, v. g., qui in Galliis monasteria et conventus habebant ante perturbationem Gallicanæ reipublicæ, et ex ea ætate suppressi sunt calamitate temporum, jus prætendere hodie non possunt ad suorum præteritorum conventuum reædificationem, nisi intercesserit beneplacitum S. Pontificis, cum licentia Episcopi, ex præscripto juris communis.

Lex quidem civilis nequaquam potuit supprimere conventus, de quo certe dubium non est apud catholicos; nec eosdem suppressit concordatum, quum de illis mentio facta non sit; verumtamen, præter quod jura præterita horum Ordinum cessasse penitus communiter existimantur tam diuturna interruptione, adeo dissimilis est status præsens Ecclesiarum Galliæ a statu sæculorum præteritorum, ut quicumque vir prudens, qui non thesibus mere speculativis inhæret, sed rationem practicam rerum habet, fateatur recurrendum fore ad Sanctam Sedem, et ad Epis-

copos locorum, ut S. Pontificis auctoritate, atque prudentia Antistitum qui Ecclesiis præsunt, determinetur quatenus expediat novas domos religiosas loco veterum instaurari.

Idem dicendum si regulares velint reassumere conventum quem sponte reliquerant. Ita declaratum refert Monacelli; qui insuper notat, in reassumptione conventus derelicti, non reviviscere jura præcedentia quibus regulares hujus conventus antea potiebantur, nisi restitutio concedatur plenarie quoad omnia. (*Formularium legale*, part. I, tit. VI, formula XIX, n[is] 13, 14.)

Articulus IV. — De Admissione fidelium in statu religioso.

Tres sunt præsertim quæstiones solvendæ relative ad admissionem fidelium in statu religioso : 1ª Quinam admitti debeant; 2ª quibus præviis exercitiis spiritualibus ad statum religiosum proxime disponantur; 3ª quonam actu reapse admittantur et ordini religioso cooptentur.

§ 1. — *De admittendis in statu religioso.*

Admittendi sunt ad statum religiosum qui prudenter reputantur divinitus vocati ad hoc genus vitæ eligendum, et qui aliunde liberi sunt ab omni impedimento.

454. — I° *Utrum et quatenus necessaria sit vocatio divina ad statum religiosum?*

I. Non pauci scriptores ita de prævia deliberatione ad eligendum statum religiosum loquuntur, ut videantur idoneos dicere ad hunc statum omnes indiscriminatim qui impedimentis non tenentur. Sicut, inquiunt, saluberrima res est renuntiatio sæculi et religionis ingressus, ita et cuilibet, nisi impedimentum interveniat, maxime expediens, quia consilium Christi ad omnes et singulos pertinet, quibus liberum est illud amplecti. Nullus excipitur; omnibus dictum est : *Qui potest capere capiat*, hoc est : Neminem

cogo, omnes invito ad statum perfectiorem [1]. Doctrina tamen communissima, a qua forte non dissentiunt iidem ipsi theologi, si bene inspiciatur illorum mens, est prærequiri specialem vocationem Spiritus Sancti.

Sit igitur proposito : *Divina vocatio necessaria est ut qui statum religiosum amplectatur.*

Prob. 1° Ex iis quæ disseruimus de vocatione ad statum clericalem (n° 316); eadem enim dici etiam debent de vita religiosa, habita tamen ratione discriminis utriusque status.

Prob. 2° Ratione deducta ex dispensatione divinæ providentiæ. Dubitare fas non est quin conservatio et profectus status religiosi, maximas partes habeant in supernaturali providentia; quandoquidem nihil est quod, post constitutam hierarchiam ordinis clericalis, magis referat ad bonum universale Ecclesiæ, ad fidelium communem ædificationem, ad plurium animarum perfectionem. Atqui Deus providet conservationi atque profectui status religiosi præsertim vocatione, eligendo in Ecclesia quos suis præordinationibus vult donis supernaturalibus in via perfectiori constituere. Omnes quidem vocat ad perfectionem, *Estote perfecti sicut Pater cælestis perfectus est*, quatenus omnes æmulari debent proficere in charitatis exercitio abnegatione sui, vitiorum mortificatione, animum amovendo ab inordinato rerum terrenarum affectu; sed non omnes vocat ad exteriorem stabilemque abnegationem voluntatis propriæ, et dominii rerum temporalium, per vota in quibus consistit status religiosus. *Multi unum corpus sumus in Christo... omnia autem membra non eumdem actum habent... Unusquisque proprium donum habet ex Deo; alius quidem sic, alius vero sic* [2]. Id paucis datum est, paucis, inquam, comparate cum cæteris fidelibus qui communem vitam sequuntur.

1. Lessius, *de Statu vitæ deligendo*, quæst. IV, n° 27.
2. Rom., XII, 4 et 5. — I Corinth., VII, 7.

II. Vocatio divina innotescit communiter quodam impulsu interno quo aliquis se incitatum sentit ad religionem, et idoneitate ad implenda religionis officia.

Si de affectu agitur, unusquisque nostrum sibi conscius est an se interius inclinatum versus statum religionis sentiat. Ut tamen possimus discernere utrum affectus ille sit a Deo, considerandus est finis ad quem refertur, cujus scilicet amore et desiderio ad talem statum impellimur. « Cum enim, ait Lessius, status religiosus non sit « ultimus finis, sed medium quoddam, nunquam propter « se appetitur, sed semper propter aliud. Desertio sæculi, « paupertas, subjectio, voluptatum abnegatio, quibus reli- « gio constat, non sunt res blandæ quæ vi sua nostræ vo- « luntatis affectum alliciant et in sui amorem pertrahant; « sed opus est aliquod aliud bonum interveniat, cujus « amore ad illa inamœna moveamur. » (Loco cit., n° 56.)

Si tota igitur ratio quæ impellit animum ad religionem est bonum spirituale, nempe ut periculis sæculi eximamur, et Christi vitam imitemur, Deo perfectius serviendo, nostræ saluti consulamus et alios ad meliora provocemus, non est dubitandum quin affectus ille sit a Deo. Non potest provenire a dæmone, nec a naturæ propensione; ergo illum indidit Sanctus Spiritus. Attamen expedit ut qui hunc affectum habet, virum pium æque ac prudentem, in rebus divinis exercitatum, consulat, ne forte in errorem incidat, sumendo momentaneum spiritus fervorem pro vocatione, et deinceps, mobilitate animi, ipsum pœniteat. Hoc eo magis attente considerandum, quod, ut sapienter animadvertit Suarez, « Sæpe Spiritus Sanctus præbet desiderium « alicujus rei, cujus executionem non vult, sicut præbuit « Davidi voluntatem ædificandi templum; immittit enim « interdum Spiritus sanctus tale desiderium propter bonum « et meritum ipsius; quamvis ad executionem perventu- « rum non sit, aut pervenire non expediat. » (*De religione*, lib. V, cap. VIII, n° 4.)

Dixi *communiter;* quia adest aliquando vocatio, etiamsi non ita sentiamus efficaciter impulsum Sancti Spiritus. Scilicet, identidem accidit ut homo, quamvis impulsum internum non experiatur, habeat nihilominus aliquas cogitationes et motiones internas, vel ob mundi pericula sibi apprime nota, vel ob excellentiam status religiosi, vel ob incertitudinem in qua versàtur in eligendo statum vitæ, et exinde consilium a directore postulet, dispositus ad faciendum quod sibi melius indicatum fuerit. Qui post maturam deliberationem, et approbante moderatore suæ conscientiæ, statum religiosum amplectitur, prudenter agit ac se vocatum existimare potest, licet efficaciorem impulsum a S. Spiritu non experiatur.

Suarez animadvertit directori caute agendum, ne aliquem inducat ad religionem, si gravia indicia non perspexerit. Timendum est enim periculum inconstantiæ in eo qui sic attrahitur vividis cohortationibus et blanditiis. Petenti consilium veritas aperienda est. « Ille quem Spiri- « tus sanctus movere cœpit juvandus est, vel ut in sancto « proposito firmus maneat, vel ut Spiritui sancto non re- « sistat, sed potius per orationes et bona opera se dispo- « nat, ut ab illo efficacius moveatur. Prius autem quam « Spiritus sanctus incipiat aliquem vocare, raro expedit, « ut opinor, illum directe inducere ad hunc statum assu- « mendum. » (Loc. cit., nº 10.)

Quoad idoneitatem, est præsertim superiorum ordinis religiosi judicare an qui se illis offerunt habeant dotes necessarias mentis et corporis ad implenda officia et regulam servandam sui instituti [1].

III. Vocatio ad statum religiosum non ita urget per se, ut gravis peccati aliquis redarguendus sit eo ipso quod abnuat obsecundare decisioni sui directoris; non enim tenemur sequi consilia evangelica. Quoties tamen mora-

1. Cf. P. Gautrelet, *Traité de l'État religieux*, tom. I, chap. II.

liter certi sumus de vocatione, nos in gravi periculo salutis conjicimus, si Spiritui Sancto attrahenti resistamus. Etenim 1° Sanctis doctoribus semper persuasum fuit plures salvari in religione, qui damnati fuissent inter sæculi tempestates ac sensuum illecebras; unde S. Gregorius Magnus conquestus est apud Mauritium imperatorem de lege qua militibus interdicebatur ingressu monasterii, quasi hac lege pluribus cœlum fuisset clausum : « *Sunt*, ait sanctus « doctor, *qui nisi omnia reliquerint, salvari apud Deum* « *nullatenus possunt.* » 2° Qui manet in sæculo, quamvis se divina inspiratione sentiat attractum ad statum religiosum, non habebit illa efficaciora gratiæ auxilia, quæ ipsi Deus in hoc statu præparavit; et ideo iis destitutus difficulter tentationibus resistet, et grave periculum damnationis incurret. Nihil tam pertimescendum homini quam ne Deus ita providentiæ suæ curam et auxilia gratiæ imminuat; nec quidquam est adeo sollicite ab eo petendum quam ut eam auxiliorum mensuram nobis conferat qua novit nos certius salvandos; hoc est, ut in omnibus nos protegat, excitet, dirigat, sicut novit saluti nostræ expedire [1]?

455. — II° *Quinam jure impediantur ab ingressu religionis?*

Jure impediuntur ab ingressu religionis : conjugati, ære alieno gravati, ratiociniis reddendis obnoxii, criminosi, liberi quorum parentes in extrema vel gravi necessitate versantur, parentes quorum opera liberi indigent ad suam educationem, Episcopi.

I. *Conjugati* impediuntur vinculo quo alter alteri alligatur. Lex tamen conjugii non semper obstat admissioni in religione : vel enim matrimonium est solummodo ratum, ut aiunt, vel usu consummatum.

Si 1um, liberum est alterutri, relicta comparte, ingredi

1. Lessius, *loc. cit.*, n^{is} 98, 99; — S. Liguori, lib. IV, n° 78.

religionem solemnem, et, facta professione, dissolvitur matrimonium, adeo ut liceat parti remanenti in sæculo ad alia vota transire. Bimestre conceditur sponsis ad deliberandum de sua vocatione, quo tempore possunt abstinere ab usu matrimonii; nec consequenter tenetur pars deliberans de ingressu religionis, reddere debitum. At duo sunt bene notanda : 1° hæc de religione solemni intelliguntur, non de congregationibus ubi emittuntur vota simplicia ; 2° matrimonium ratum non dissolvitur per ingressum in conventum, nec per novitiatum, sed per professionem religiosam.

Si 2um, conjux potest, non obstante matrimonio consummato, admitti ad vitam religiosam, sive fiant vota solemnia sive non, in duplici casu : nempe quando compars consentit, et ipsa religionem alicubi profitetur, vel promittit servare castitatem in sæculo, modo tamen sit, ob ætatem provectam virtutisque experimentum, ab omni suspicione aliena ; alter est casus, si compars jus suum amiserit criminibus ob quæ licitum admittitur divortium in favorem conjugis innocentis.

Hæc exponuntur in tract. theologico *de Matrimonio*, et canonistæ disserunt de regulis ea de re servandis in suis commentariis tituli DE CONVERSIONE CONJUGATORUM, XXXII, lib. III Decret.

NOTA. Etsi jure communi valeant decisiones allatæ, tum quoad dissolutionem matrimonii rati per professionem religiosam, tum quoad facultatem ingrediendi religionem post matrimonium consummatum, in casu divortii ; magnopere tamen cavendum in praxi ne id fiat cum periculo probabili scandali, vel perturbationis domus religiosæ. Quoties pars altera non consentit, et nulla aliunde interfuit sententia judicis sæcularis pronuntiantis separationem conjugum, timendum est istius modi periculum, nisi forte conjux deliberans de suo ingressu in religionem se subtrahat actioni civili, in terras exteras transeundo, quod non

est regulariter consulendum... In graviora discrimina se injiceret qui vellet alterum matrimonium contrahere, priore dissoluto per professionem solemnem conjugis; cum enim leges civiles non admittant hanc dissolutionis causam, traduci posset coram tribunalibus quatenus bigamiæ reus, et pœnis in codice criminali indictis plecti.

456. — II. *Ære alieno gravati*, vel ratiociniis reddendis obligati.

Qui gravantur ære alieno, et possunt debita solvere remanendo in sæculo per breve tempus, puta per biennium vel triennium, admitti non debent donec suis debitis satisfecerint. Obstat jus naturale quemque obligans ad præstandum creditoribus quod ipsis debetur; nec enim prætermittenda sunt officia legis naturalis, ut serventur consilia evangelica. Obstat insuper jus canonicum, quo interdictum fuit superioribus conventuum hos debitores admittere. Quod si vero nec actu habeant, nec in futurum acquisituri sint unde sua debita possint solvere, liberi remanent jure naturali, eximente impossibilitate; liberos etiam reputamus a parte juris canonici, quia nihil tunc creditorum refert, nec ulla est ratio eos detinendi in sæculo, si tamen nihil timeatur ex parte creditorum; quapropter præsumere fas est SS. Pontifices ad talem casum suas constitutiones non voluisse extendere.

Plures idem dicendum putant de casu quo debitor non possit creditoribus satisfacere nisi per longum tempus, ultra triennium; quia juxta illos, diuturna dilatio, cum privatione gratiarum quæ inde resultat, merito æquiparatur impotentiæ morali. His doctoribus assentimur si ponatur debitorem gravi periculo salutis exponi remanendo in sæculo, ratione habita nimiæ illius fragilitatis; verum si non aliud gravamen experiturus sit præter privationem consolationis spiritualis et donorum gratiæ quibus sperat se fruiturum in statu religioso, remanere debet in sæculo quia non versatur in vera impotentia morali, et aliunde

adstringitur obligatione debitis satisfaciendi. Quod nonnulli dixerunt cum S. Thoma : « Propter pecuniam persona « liberi hominis secundum jura civilia non obligatur, sed « solum res : quia persona hominis liberi superat omnem « æstimationem pecuniæ. Unde licite potest, exhibitis suis « rebus, religionem intrare ; nec tenetur in sæculo rema« nere ut procuret unde debitum reddat » : in eo solummodo sensu admittendum nobis videtur, quod persona debitoris nec debeat in servitutem tradi propter debitum pecuniæ, ut olim inter paganos, nec etiam in carcerem detrudi, quod nunc leges civiles vetant ; cæterum persona debitoris obligatur moraliter, quatenus si possit suo labore et industria bona acquirere unde solvat debita, tenetur in conscientia id præstare [1].

Nedum Ecclesia faveat debitori in hoc casu, illum potius removet a conventu, interdicendo ne admittatur. In constitutionibus Pontificiis ad quas modo alludebamus, Sixtus V vetat ne Prælati regulares recipiant *ingenti ære alieno supra vires facultatum suarum gravatos...* et susceptionem habitus, item professionem aliter temere factam irritat, omnique effectu carere decernit. (Const. *Cum de omnibus*, die 26 nov. an. 1587.) Clemens VIII decretum Urbani temperavit quoad *nullitatem* professionis, sed quoad cætera legem in suo vigore reliquit Const. *In suprema*, die 2 aprilis an. 1602 ; quamobrem stante illa disciplina, superiores non debent admittere gravatos ære alieno ; nisi tamen in casu quem supra diximus, posito quod nullam turbationem formident ex parte creditorum.

Ratiociniis reddendis obligati non admittuntur, donec ratiocinia sua reddiderint ; quia non possent, inchoato novitiatu, rerum temporalium sollicitudinibus implicari absque gravi suo detrimento. Motivum non ita urget quando

1. Cf. S. Thomam, 2a 2æ q. 189, art. 6, ad 3. — Ferraris, v° *Restitutio*, art. IV., nis 60-68. — S. Liguori. lib. IV, n° 71. — Schmalzgrueber, in tit. DE REGULARIBUS, nis 35-40.

agitur de dispensatione rei levioris momenti, v. g., de administratione tutelæ quæ nullis ambagibus locum dare debet; si qua ratio suadeat ingredi religionem absque mora, id superioris arbitrio dimittetur.

457. — III. *Adstricti obligatione sublevandi egestatem parentum.*

Canonistæ tenent communiter licitum non fore filio suos parentes in extrema, vel etiam gravi necessitate, dimittere, ut monasterium ingrediatur. « Dicendum est, ait S. Thomas, quod parentibus in necessitate existentibus, ita « quod eis commode aliter quam per filiorum obsequium « subveniri non possit, non licet filiis, prætermisso paren- « tum obsequio, religionem intrare. » 2, 2, quæst. CLXXXIX, art. 6. Id vetat præceptum naturale *Honora patrem tuum*, etc., nisi tamen graviter urgeat necessitas salutis filii, quod vix admittendum in praxi.

Quinimo, iidem doctores tradunt filium teneri egredi e monasterio, facta etiam professione, si parentes prolabantur in extrema necessitate, ac desit aliud medium illis subveniendi. *Hoc certum est*, ait S. Liguori. Si vero de gravi necessitate agatur, alii aliter opinantur. Plures censent filium teneri egredi e monasterio. Ita præ cæteris Lessius, Suarez et Sylvius, præsertim quando necessitas præcessit ingressum religionis : 1° quia obligatio naturalis quæ urget ante professionem non extinguitur emissione votorum; 2° quia filii non tenentur solum in casu extremæ necessitatis, sed et gravis; alioquin non magis erga parentes quam erga extraneos urgeret præceptum charitatis.

Alii contrarium opinantur, sive necessitas parentum præcesserit, sive supervenerit. Ita S. Liguori, qui cæteroquin priorem opinionem valde probabilem existimat. Innituntur 1° auctoritate S. Thomæ qui dicit : « Ille qui jam « est in religione professus, reputatur jam quasi mortuus « mundo; inde non debet, occasione sustentationis paren- « tum, exire claustrum in quo Christo consepelitur, et se

« iterum sæcularibus negotiis implicare. Tenetur tamen, « salva sui prælati obedientia, et suæ religionis statu, « pium studium adhibere qualiter ejus parentibus subve- « niatur. » 2 a, 2æ, quæst. CI, art. 4. — Nituntur 2° comparatione adducta cum filio conjugato, qui non tenetur uxorem dimittere, ut parentes adeat, quia magis adhæret uxori quam suis parentibus. (Lib. IV, nis 66-70.) Ratio præcipua est periculum cui frequenter exponitur religiosus rediens e conventu inter sæcularia negotia.

In hac opinionum contrarietate, religiosus qui vult sic parentibus obsequi ut sibi consulat, suum suorumque parentum statum ingenue exponat, superiorisque sententiam sequatur : ipsi opus erit dispensatione S. Pontificis, si debeat dimittere habitum religiosum, vel commorari ad longum tempus extra monasterium [1].

Quæ de filiis respectu parentum diximus, hæc vicissim de parentibus intelligas respectu filiorum, quorum educationi operas dare tenentur jure naturali, usquedum sint ea ætate qua sibi consulere possint.

Fratres et sorores, ait S. Liguori, non licet deserere in necessitate extrema, sed licet in gravi, quamvis posset quis ratione charitatis differre, et etiam omittere statum religionis, ad subveniendum fratribus graviter indigentibus (loc. cit., n° 70). Gravior certe ratio urget, si in discrimen veniat salus spiritualis fratrum et sororum.

458. — IV. Episcopi consecrati, vel etiam confirmati, non possunt suam sedem deserere, ut profiteantur vitam religiosam, sine prævio consensu S. Pontificis, ut probatum fuit alibi (n° 194, t. I, p. 334).

Regula data extenditur ad Episcopos titulares, quia et ipsi alligati sunt certæ Ecclesiæ, etsi per accidens, ob infidelium occupationem, vel ob tyrannorum persecutio-

1. Cf. Collet, *Traité des dispenses*, liv. IV, n° 99. *Lettre sur la profession religieuse d'un homme dont les parents sont dans le besoin.*

nem, non possint actu præesse suo episcopatui. (Schmalzgrueber, n° 32, DE REGULARIBUS.)

459. — III° *Utrum beneficiati et cæteri clerici possint religionem ingredi, non obtenta prius sui respective prælati licentia?*

I. Presbyter regimen Ecclesiæ aliudve ministerium dimissurus debet consilium suum ejusque capiendi rationes, quantum eorum natura fert, aperire Episcopo. De hoc *nemo dubitat*, ait Benedictus XIV, qui addit : « In hoc « non tam officio et honestati quam legis naturalis præ« cepto satisfaciet. Cum enim presbyteri in animarum « cura, aliisque gravibus muneribus ad pastorale regi« men spectantibus, Episcopi ministri sint; ita cum eo « se gerere debent, ut is animarum quas ipsi regebant, « et negotiorum quæ administrabant, necessitatibus op« portune consulere valeat. » (Brev. Apost. *Ex quo*, n° XXV, an. 1747, ad Card. Quirinum.)

II. Episcopus non debet, nec potest, regulariter loquendo, suum assensum denegare clerico postulanti liberum ingressum religionis. Prob. 1° Ex cap. *Duæ sunt*, 2, caus. XIX, quæst. II, in quo Urbanus Papa statuit : « Si quis in Ecclesia sua, sub Episcopo, populum reti« net, et sæculariter vivit, si afflatus Spiritu sancto, in « aliquo monasterio, vel regulari canonia, salvare se « voluerit... etiam suo Episcopo contradicente, eat liber « nostra auctoritate. » 2° Auctoritate DD., qui communiter docent certam esse libertatem clericis religionem ingrediendi, nec de eo movent controversiam; unde Benedictus XIV in suo Brevi dicit : « Si denegetur permissio, « hujusmodi dissensus, ex auctoritatibus supra citatis, « presbyterum non adstringet, quominus religionem in« gredi valeat. » 3° Ratio est quod jus canonicum clericis asserere voluit libertatem sectandi vitam perfectiorem. Ipsimet religiosi, ut infra exponetur, possunt transire ad religionem strictiorem, tametsi obedientiam superiori et

stabilitatem voto spoponderint in ordine laxiori : pari jure datur clericis eadem facultas, non obstante promissione obedientiæ, quam, ad normam canonum, suo Episcopo præstiterunt.

Dixi *regulariter loquendo;* quia duo sunt casus excipiendi : nimirum, 1° si Ecclesia detrimentum grave patiatur ex dimissione presbyteri; 2° si clericus gratuito fuerit educatus sub conditione quod in diœcesi commoraturus sit sub regimine Episcopi.

Circa priorem casum, hæc animadvertimus : 1° Juxta Benedictum XIV, « certis in casibus, justisque exigenti- « bus causis, Episcopo competit, ut suum clericum sæ- « cularem ordini regulari adscriptum repetere possit. « Hoc, inquit, tradit clarissimus canonum doctor Inno- « centius IV in cap. *Licet*, cujus hæc sunt verba : *Clericus « potest transire ad religionem, non petita licentia, etiamsi « contradicatur; crederemus tamen quod posset* (Episcopus) « *eum repetere, si ex transitu suo prima Ecclesia gravem « sustineret jacturam.* Satis igitur provisum est Episcopo « qui factum clerici sui, ad regularia castra, se invito, « digressi, impugnare velit. » 2° Contingere haud raro potest Ecclesiam gravem jacturam pati ex desertione clerici in nonnullis regionibus, ubi pauci admodum sunt sacerdotes, paucissimi vero quibus difficiliores administrationes committi tuto possint.

Vidimus supra gravem necessitatem temporalem parentum esse motivum differendi vel etiam omittendi ingressum religionis; quidni gravis necessitas diœcesis non habentis presbyteros numero sufficientes ad regimen parochiarum, vel nonnisi unum aut alterum quem Episcopus promovere valeat ad officium vicariatus generalis, alteriusve ministerii magni momenti, non reputaretur motivum valde fundatum differendi ingressum religionis? Episcopus cui commissa fuit cura providendi necessitatibus suæ diœcesis, judex est opportunitatis et necessitatis de

qua agimus. Profecto, clericum qui serio affirmat se, pro sua fragilitate, in discrimen salutis venire remanendo in sæculo, invitum et in periculo ancipitem non detinebit. Si rationem hujusmodi affirmare non valeat clericus, nec Episcopus suspicetur, sed solummodo agatur de communi desiderio vitæ religiosæ, jure poterit Episcopus ipsi interdicere ne locum suum officiumque deserat, relicta aliunde clerico facultate adeundi summum Pontificem, quod omnibus licet quando injuste gravatos se reputant. Causa deferetur ad Congregationem Episcoporum et Regularium intereaque expectabit clericus, debitam reverentiam exhibendo suo Episcopo.

Quod ad secundum casum attinet, quando scilicet clericus promisit, ante ordinationem, se obsequium exhibiturum fore suo Episcopo per totum vitæ decursum, aut per certum tempus determinatum, et sub hac conditione promotus fuit, tenetur stare promissis. Id autem exigere potest Episcopus, etiamsi non intercesserit explicita promissio, ab iis generatim qui sumptibus diœcesis aliti sunt, quoniam æquum est et maxime rationi consentaneum, ut ei operam suam præstent cujus beneficio ad dignitatem officii clericalis conscenderunt. Hac de causa, sanctus Carolus Borromæus sic præscribendum duxerat in regulis seminarii : « Si quis decursu temporis de statu « mutando consilium caperet, etiamsi de religione ingre- « dienda cogitaret, de eo R. Archiepiscopum vel rec- « torem certiorem faciat; peccaret enim si in seminario « hoc animo viveret, in alium finem consumens quod ad « operarios solum pro hujus Ecclesiæ auxilio sustentan- « dos est constitutum [1]. » Pius item IX hæc præscribenda voluit omnibus alumnis seminarii Romæ erecti, litteris apostolicis *Cum Romani Pontifices*, an. 1853 : « Alum- « nus... eo die (quo propriam vestem seminarii assumit)

1. *Institutiones seminarii*, part. III, cap. I.

« postquam sacris adstiterit et Eucharistiæ sacramento se « refecerit, jusjurandum dare debet supra Sancta Evange- « lia, velle se, absolutis in seminario studiis, in propriæ « diœcesis et Episcopi servitium remigrare ; quod quidem « actum in tabulas referatur, a rectore, a candidato, ac « duobus testibus subscribendum. Solus legitimus aposto- « latus missionum exterarum, donec ad illas incumbat, ab « hoc vinculo eum solvere potest [1]. »

Hæc cum ita sint, cum clerici de quibus agitur strictiori vinculo, titulo nempe justitiæ, ob tacitam saltem conventionem, et insuper titulo religionis, si intercesserit juramentum, devinciantur suæ diœcesi, prudenti arbitrio Episcopi dimitti oportet ut facultatem ingrediendi religionem concedat, aut dare abnuat, prout, rebus cunctis attentis, in Domino judicaverit.

460. — *Nota.* 1° Jus assertum clericis religionem ingrediendi, etiam contradicente Episcopo, refertur ad religionem solemnem ; nam, si ad litteram spectetur, auctoritates citatæ statuunt solummodo de ingressu monasterii seu religionis solemnis, in quocumque ordine habeatur. Verum S. Congregatio Episcoporum et Regularium haud semel declaravit, ætate recentiore, jus illud extendi ad congregationes etiam votorum simplicium, *ne impediatur vocatio ad statum perfectiorem*, ut dicitur in resolutione data die 3 maii an. 1839, — quod in mentem revocat relator alterius causæ, in quæstionibus similibus, an. 1864 [2]. Cum ad S. Cong. pertineat sensum canonum, summa auctoritate, interpretari, ex datis decisionibus discimus principium in canonibus laudatis positum applicandum esse, ob pari-

1. Hujusmodi juramentum a duobus sæculis exigitur ab alumnis collegii *de Propaganda ;* et Alexander VII Brevi *Cum circa juramenti* an. 1660 prohibuit ne « quovis tempore quilibet alumnus possit ad « religionem admitti, nisi de expressa S. Pontificis licentia... sub « pœna nullitatis professionis pro jure, si aliter fuerint ingressi. »

2. Bizzarri, *Collectanea*, pag. 474 et seq., pag. 764.

tatem rationis, congregationibus ubi fiunt vota simplicia.

461. — *Nota.* 2° Clerici, non secus ac laici, qualemcumque ordinem seu congregationem adierint, debent habere litteras testimoniales sui Episcopi, antequam admittantur. Ita fuit præscriptum a Pio IX, decreto 25 jan. 1848, quod sic habet : « 1° In quocumque ordine, congregatione, so« cietate, instituto, monasterio, domo, sive in iis emittan« tur vota solemnia sive simplicia, nemo admittatur ad habi« tum absque testimonialibus litteris, tum Ordinarii originis, « tum etiam Ordinarii loci in quo postulans, post expletum « decimum quintum suæ ætatis annum, ultra annum mo« ratus fuerit. 2° Ordinarii in præfatis litteris testimoniali« bus, postquam diligenter exquisiverint, etiam per secre« tas informationes, de postulantis qualitatibus, referre « debeant de ejus natalibus, ætate, moribus, vita, fama, « conditione, educatione, scientia; an sit inquisitus, aliqua « censura, irregularitate, aut alio impedimento canonico « irretitus, ære alieno gravatus, reddendæ alicujus admi« nistrationis rationi obnoxius. » Eodem decreto declaratur Episcopis liberum non esse denegare litteras testimoniales; et graves pœnæ decernuntur in superiores ordinum et congregationum, qui aliquem ad habitum admittere præsumerent, non obtentis litteris testimonialibus.

§ 2. *De novitiatu.*

462. — I° *Quid jure canonico præscriptum sit de novitiatu?*

Concilium Tridentinum multa statuit de probatione prævia ad professionem vitæ religiosæ, hæc imprimis : 1° ut nemo ad professionem admittatur, qui non fuerit in probatione per annum integrum post susceptum habitum; 2° ut plena libertas detur novitiis deserendi propositum, si voluerint, et ideo nec teneantur donationibus vel renuntiationibus quas antea fecissent, etiam in favorem cujusvis causæ

piæ, intuitu futuræ suæ professionis, si professio non sequatur; 3° ut finito tempore novitiatus, superiores admittant quos ex novitiis idoneos invenerint, cæteros e monasterio ejiciant. (Cap. XV, XVI, sess. XXV, DE REGULARIBUS.) Multa SS. Pontifices addiderunt ut disciplina Tridentina certius servetur, de quibus nunc per singula dicendum.

I. Prælati ordinis, seu congregationis, est admittere postulantes ad novitiatum, servatis constitutionibus Pontificiis ea de re editis et regulis sui instituti. Approbatio data ab auctoritate competenti includit facultatem recipiendi novitios, cum ordo nequeat propagari nec subsistere aliter quam novitiorum admissione.

Nullibi jure statutum reperimus hanc facultatem, quæ naturaliter inest Prælatis conventuum, restringi vel coarctari necessitate rem deferendi ad Episcopum pro congregationibus virorum; aliter vero ordinatum fuit quoad congregationes monialium. Concilium Tridentinum, libertati virginum Deo dicandarum prospiciens, statuit atque decrevit ut puella quæ habitum religionis suscipere voluerit, « non ante eum suscipiat, nec postea promissio-« nem emittat, quam exploraverit Episcopus, vel, eo « absente vel impedito, ejus vicarius, virginis voluntatem « diligenter ; an coacta, an seducta sit, an sciat quid agat. » Sess. XXV, cap. XVII, DE REGULARIBUS. Hæc, cum sint absolute præscripta, in omnibus monasteriis servari debent, ne exceptis quidem domibus quæ regularibus subjiciuntur, ut sæpius declaravit S. Congregatio Concilii, cujus decisiones referuntur apud auctores [1]. Potest igitur Episcopus præcipere monialibus, quamlibet exemptionem prætendant, et illorum superioribus, ne puellam ad habitum admittant nisi sit ipse prius certioratus.

Quandonam, quonamve modo, Episcopus examen puellæ inire debeat, mox dicemus, ubi de professione

1. Ferraris, v° *Moniales*. art. 1, n° 66.

agendum nobis erit; quod ad rem præsentem attinet, concludamus duas auctoritates simul convenire debere in admissione puellarum ad habitum religionis, Episcopum et superiorissam. Episcopus superiorissam cogere nequit ut recipiat novitiam : hæc enim admissio fieri debet cum plena libertate a communitate, collatis omnium suffragiis ad regularum præscriptum; nec vicissim superiorissa ullam admittere potest novitiam absque prævio judicio Episcopi.

Superior nullum ad novitiatum recipit, de cujus conditione, natalitiis, moribus, non fuerit sufficienter informatus[1]; insuper habeat necesse est litteras testimoniales Episcopi originis et domicilii, sensu supra exposito; quod ultimum tamen non requiritur pro conventibus monialium. Ratio informationum est discernere an postulantes aliquo mpedimento teneantur; an scilicet graventur ære alieno, an obnoxii ratiociniis reddendis, an inquisiti in foro externo; an tandem vitam religiosam elegerint non mundano motivo, impulsu parentum, aliave hujus generis causa, sed sua sponte ad Deo serviendum. Non opus est juridica inquisitione ut hæc veniant in notitiam superioris, sed simplici informatione quæ præbeat saltem rationabilem præsumptionem, arbitrio viri prudentis; quod enim præviis inquisitionibus defuerit, supplent probationes novitiatus.

II. Jura non determinant ætatem requisitam pro novitiatu; rationi consentaneum est novitios ea ætate admitti

1. S. Congregatio *super statu Regularium* edidit, die 28 jan an. 1848, jussu Pii IX, decretum de receptione novitiorum ad habi. tum et professionem, quo determinantur regulæ servandæ, et scrutinia facienda, ab omnibus superioribus cujuscumque ordinis seu congregationis, sive in iis emittantur vota solemnia, sive simplicia, ut certo constet de qualitatibus admittendorum, tum ad habitum pro novitiatu, tum, peracto novitiatu, ad professionem. Illud decretum cum variis declarationibus datis a S. C. ex integro refertur apud Bizzarri, *Collectanea*, pag. 884 ad 899.

ut, expleto temporis spatio requisito, profiteri valeant; unde S. Congregatio non semel declaravit illos non admittendos regulariter fore ante annum decimum quintum.

Decretum concilii Tridentini innuit novitios induere habitum proprium ordinis in quo profiteri intendunt, sive habitus ille sit communis professis et novitiis, sive specialis. « In quacumque religione tam virorum quam mu-« lierum, professio non fiat ante decimum sextum annum; « nec qui minori tempore, quam per annum *post susceptum* « *habitum* in probatione steterit, ad professionem admit-« tatur. » Plures quidem negant id stricto jure requiri, et in suæ opinionis patrocinium adducunt praxim religiosorum Angliæ, Hiberniæ, aliarumque regionum sub ditione principis hæretici, qui suos novitios probant in habitu sæculari; sed longe communior est sententia affirmans, quæ potissimum innititur textu allato concilii Tridentini, ex quo postulans non censetur suum novitiatum inchoasse nisi a die suscepti habitus. Ratio suadet rem non aliter statuendam; nam gestatio habitus est austeritas quædam vitæ quæ inter probationis experimenta optimo jure reputatur : est insuper medium valde conveniens novitium removendi a sæcularibus affectibus atque ad statum religiosum disponendi. Habitus ordinis non parum inservit, si novitius illum sicuti oportet gestaverit, ad fovendum interius, exteriusque manifestandum ingenium religiosi instituti. Excipe tamen si aliter determinetur in statutis, vel requirat necessitas locorum; unde non probant exempla allata contra legem generalem.

III. Novitiatus perfici valide non potest extra monasterium ordinis quem novitius vult profiteri; et valde expedit ut sit domus ad hoc speciali designatione destinata, in qua scilicet novitii recludantur, seorsim ab aliis religiosis. Necesse est enim ut ordo mores novitii experiatur, et vicissim ut novitius experiatur disciplinam ordinis; quod utrumque non obtinebitur sufficienter, nisi probatio fiat

in domo ordinis, et in consortio quorumdam religiosorum qui novitiorum cultui atque educationi sint specialiter addicti. Præterea, Clemens VIII, Const. *Regularis disciplinæ* pro educatione novitiorum, an. 1596, præcepit omnibus Prælatis regularibus conventuum intra Italiam et insularum adjacentium fines constitutorum, ut de cætero neminem, sub quovis prætextu, ad habitum regularem admittant nisi in conventibus auctoritate apostolica designandis, quod sub pœna nullitatis decrevit. Hæc decreta S. Congregatio Regularium ad plures alios ordines extra Italiam extendit, non quidem ulla constitutione generali edicta, sed per modum præcepti particularis. Unumquodque institutum stare debet regulis sibi præfixis a Sancta Sede, aut suis statutis peculiaribus; nihil enim tantum refert ad ordinem religiosum, quam ut novitii sedula cura instituantur, informenturque disciplina, moribus et traditionibus sui instituti.

IV. Novitiatus perdurare debet regulariter per annum integrum et continuum, ita statuente concilio Tridentino, *nec minori tempore quam per annum*... Quod stricte intelligendum censent communius canonistæ, adeo ut non valeat professio, si vel una hora defecerit; v. g., si quis vota emittat anno subsequenti eodem die suscepti habitus, sed ante duas vel unam horam. Ratio est quod jura omnino præscribant non admittendos esse novitios ad professionem ante *annum elapsum*, uti legitur in cap. *Non solum*, 2, DE REGULARIBUS, in VI°; annus autem non est elapsus nisi ultimum momentum diei supremæ excesserit. Novitius cui vel una hora defecit, *minori tempore* quam per annum stetit in probatione, quod districte prohibuit concilium Tridentinum. Nec dicatur diem incœptum pro completo haberi in favorabilibus ; nam in præsenti materia, favor tum novitii, tum religionis, potius expetit ut nullum instans alterutri præripiatur. Favor est novitio ut anno integro probet onera et labores religionis, et de ejusdem obligationi-

bus instruatur; favor vero religioni ut probet mores novitii, qui cum est professioni proximior, solet magis experiri utrum vero zelo, an humano affectu, statum religiosum elegerit[1].

Annus probationis continuus sit oportet, nam ubi jura certi temporis mentionem faciunt, intelligi debent de tempore continuo. Regula eo magis urget quod integritas anni novitiatus valde prosit ad probandam novitii firmam perseverantemque dispositionem. Hinc S. Congregatio censuit novitium qui e monasterio abierat, ut aliam religionem ingrederetur, duas tantum horas in alio conventu moram traxerat, et facti deinde pœnitens reversus fuerat, teneri incipere novum annum probationis. Non ita dicendum, si, cum superiorum licentia, familiam suam, negotiorum causa, adierit, vel si invitus retrahatur e monasterio et postea redeat ad consueta exercitia suæ probationis. Ratio discriminis manifesta est. In priori casu, exitus cum dimissione habitus, animo religionem relinquendi, est abdicatio et desertio religionis; quamobrem si novitius statum reassumat, novum annum incipere debet, nam adfuit iuterruptio moralis; in secundo autem casu novitius statum neutiquam dimisit; remansit enim animo et reipsa sub sui Prælati disciplina. Licentia dari debet ad tempus breve; non expedit ut novitius qui, etiam ob causam rationabilem, puta ad rem familiarem, vel ad curandam infirmitatem, obtinuit libertatem versandi extra monasterium per plures menses, admittatur, peracto anno, ad professionem; hoc alienum reputamus a mente concilii et SS. Pontificum, qui statuerunt integrum annum probationis agendum fore in domo ordinis quem novitius vult profiteri.

V. Expleto anno probationis, novitius admittitur; vel, si non judicetur idoneus vitæ religiosæ, e monasterio dimittitur, adeo ut non liceat superiori, nequidem consen-

1. Cf. Matthæucci, *Officialis curiæ ecclesiasticæ*, cap. XXXIV, n^is 2-14. — Fagnan, in cap. *Ad nostram*, DE REGULARIBUS, n^is 10-34.

tiente novitio, tempus probationis pro arbitrio prorogare. Ita statuit concilium Tridentinum : *Finito tempore novitiatus, superiores quos habiles invenerint novitios ad profitendum admittant, aut e monasterio eos ejiciant.* Cap. XVI. Id tamen canonistæ interpretantur, subaudita conditione, si nulla subsit causa rationabilis prorogandi tempus, et in suæ interpretationis gratiam adducunt declarationes datas a S. Congregatione. Sensus est quod superior debeat, expleto tempore, admittere novitios sufficienter paratos, et dimittere quos invenerit non habiles ad vitam religiosam; illos autem qui adhuc non inveniuntur dispositi, sed probabiliter, post certum tempus, futuri sunt habiles ad hunc statum, retinere valet, novi experimenti causa.

463. — II° *Quæ sint obligationes et jura novitiorum?*

I. Novitii non tenentur stricto jure servare regulas et præcepta communia ordinis religiosi, licet omnino deceat hæc servari. Non tenentur vi votorum, cum ea non emiserint; nec vi statutorum ordinis, quæ id juris solum superiori concedunt, ut suos novitios regere, instruere, ac delinquentes punire valeat, quod obtinet, etiamsi novitii non obligentur in conscientia.

Utrum vero superiores aliquid præcipere possint novitiis mandato particulari inducente obligationem strictam, et etiam comminatione censurarum, pendet a quæstione quam canonistæ diversimode resolvunt; scilicet, an superiores habeant veram jurisdictionem quasi episcopalem, tam in foro interno quam externo, in novitios. Plures hanc jurisdictionem denegant superioribus ordinum regularium. (Ferraris, v° *Novitii*, n^is 11-15.) Alii jurisdictionem superiorum regularium in novitios tuentur, præsertim si agatur de ordine religioso exempto; existimant id jure communi concedi, quatenus inclusum in jurisdictione generali qua superiores potiuntur ad regendam communitatem suam; unde concludunt prælatos regulares exemptos posse, respectu omnium suorum subditorum, ne exceptis

novitiis quamdiu hi remanent in novitiatu, quod possunt Episcopi respectu suorum diœcesanorum. (Schmalzgrueber, in tit. DE REGULARIBUS, n^is 88, 89.)

Quid sentiendum in hac opinionum contrarietate, nobis dubium est; magis tamen inclinamur in opinionem negantem : 1° quia nullum argumentum positivum adducitur jurisdictionis quasi episcopalis prælati regularis in novitios; 2° quia supponenda non videtur jurisdictio in personam ita sponte sua subditam, ut pro arbitrio valeat se huic potestati subtrahere, deserendo novitiatum; 3° quia hæc potestas non est necessaria, cum abunde sufficiat potestas directiva, cum jure puniendi et ejiciendi pervicacem, ad probandum utrum novitius conveniat religioni.

II. Novitii in favorabilibus sub nomine religiosorum comprehenduntur, et propterea gaudent privilegio *canonis*. Lucrantur indulgentias suo ordini concessas, et alia privilegia participant; sacramenta recipere possunt et a censuris absolvi a suis superioribus.

464. — III° *Utrum et quatenus novitii valeant sua bona patrimonialia, et beneficia ecclesiastica, abdicare ante professionem?*

Concilium Tridentinum statuit : « Nulla renuntiatio, « aut obligatio antea facta, etiam cum juramento, vel in « favorem cujuscumque piæ causæ, valeat, nisi cum licen« tia Episcopi fiat intra duos menses proximos ante pro« fessionem; ac non alias intelligatur effectum suum sor« tiri, nisi secuta professione; aliter vero facta, etiamsi « cum hujus favoris expressa renuntiatione, etiam jurata, « sit irrita et nullius effectus. » Cap. XVI.

Cum ex decreto S. Congregationis quod infra (n° 466) referimus, vota a novitio emissa sint simplicia per triennium antequam admittatur ad professionem solemnem, S. Pontifex statuit renuntiationem quam in citato capite conc. Trident. respicit, pro professis votorum simplicium locum habere infra duos menses proximos ante professio-

nem votorum solemnium. (1 aug. 1862. Lucidi, *de Visit. Sac. Lim.*, parte I, de IV Cap. *ad regulares pertinente*, n° 153.)

1° Decretum Tridentinum interpretamur de donationibus et de renuntiationibus factis a novitio; factis scilicet post inchoatum novitiatum, aut saltem postquam ingressus est monasterium, non vero de renuntiationibus quas fecisset antea. Dissentiunt ea de quæstione canonistæ, quia concilium providere voluit libertati professionis religiosæ et donationes factæ ante novitiatum non minus officere possunt huic libertati, quam si factæ fuissent in novitiatu, si donator, quæstione maturius perpensa, non putaret se vocatum ad statum religiosum. Stamus nihilominus sententiæ datæ, ea potissimum ratione quod stricte interpretari oporteat legem qua restringitur libertas naturalis seu disponendi de suis bonis, seu recipiendi quæ sponte data sunt : porro Concilium Tridentinum loquitur, in suo contextu de novitiis; suam legem includit sub titulo *de Regularibus;* extendi igitur non debet ad illos qui novitiatum non erant ingressi quando de suis bonis libere disposuerunt, intuitu etiam futuri ingressus in religionem, quem forte meditabantur. Finis quem sibi proposuit legislator non sufficit per se ad extendendum obligationem ultra sensum naturalem quem textus et contextus legis præ se ferunt [1].

2° Donationes non censentur interdictæ, nisi sint alicujus momenti relative ad bona novitii; eleemosynæ erogatæ pauperibus, et munuscula quibus non imminuitur fortuna, non subjacent decretis citatis.

3° S. Congregatio declaravit decretum Tridentinum non attingere dispositiones quæ fiunt per testamenta, siquidem non afficiunt libertatem novitiorum. Quod ad dispo-

1. Ita Fagnan in cap. *Statuimus*, DE REGULARIBUS, n^is 40-47. — Ferraris, v° *Novitius*, n^is 38-42. — Vid. contra Pirhing DE REGULARIBUS, qui tamen nostram interpretationem habet uti probabilem. — *Acta S. Sedis*, tom. XII, pag. 582 et seq.

sitiones inter vivos, si novitii eas facere intenderint ob prævisam futuram professionem, suadendum putamus, non solum ut expectent tempus præfixum a concilio, scilicet intra duos menses proximos ante professionem, sed præterea ut donationes faciant sub conditione expressa, suspensiva aut resolutoria, professionis; ne in casu quo ad vitam sæcularem redierint, donatarii renuant reddere bona accepta; plerique enim e laicis non reputarent eam esse vim legum mere canonicarum ut irritare possint contractus civiles.

4° Clericus beneficiatus non potest, inchoato semel novitiatu, sua beneficia resignare, nisi iisdem conditionibus quas concilium præscripsit pro aliis renuntiationibus bonorum temporalium; nec etiam per duos ultimos menses novitiatus tenetur suum beneficium resignare : illud servare potest quoadusque professus fuerit. « Beneficium illius qui « religionem ingreditur, non est intra probationis annum « alicui conferendum, nisi ad id ipsius accedat assensus, « aut constet quod professionem fecerit. » Cap. *Beneficium*, 4, DE REGULARIBUS, in VI°.

5° Novitius egrediens e monasterio non tenetur conventum indemnem facere ab impensis sui causa factis, nisi id usu stipulatum censeatur. Sancta synodus præcepit insuper « ut abeuntibus ante professionem omnia restituantur « quæ sua erant. Quod ut rectè fiat, Episcopus, etiam per « censuras ecclesiasticas, si opus fuerit, compellat. »

Ita ordinatum fuit in favorem simul novitii et religionis, ut certior sit libertas professionis. Libertas imminueretur si novitius reversurus ad sæcularia teneretur refundere conventui omnes impensas in sui sustentationem factas. Si vero dolose egerit decipiendo superiores, debet communitatem indemnem facere.

Quod concilium Tridentinum injunxit ut novitiis obeuntibus ante professionem omnia restituantur quæ sua erant, non exceptis quæ voluntarie dederant, adeo ut donatio

facta intra duos menses ante professionem irrita censeatur professione non secuta, locum non habet in nonnullis Institutis, ubi alia est disciplina a S. Sede approbata. Regula horum Institutorum est ingressuros congregationem debere omnia bona temporalia quæ habuerint distribuere antequam vota sólemnia emittant, vel antequam vivere incipiant in domo aliqua sub obedientia; debent utique sua bona juxta propriam devotionem dispensare, a se *removendo omnem fiduciam eadem ullo tempore recuperandi*. Regula applicatur donationibus Instituto factis, non secus ac extraneis : quamobrem sive novitius sponte recedat, sive dimittatur e societate, nihil ei de jure restituendum est. Donationes factæ libere, tempore canonibus præfixo, juxta regulas approbatas, sunt ex omni parte irrevocabiles jure naturali. Schmalzgrueber ea de re sapienter animadvertit quod si expediat consulere libertati novitiorum, qui non putant se ad religionem vocatos, expediat simul illos tutari contra mobilitatem atque animi inconstantiam, ipsis occasionem dando a proposito recedendi nimia facilitate et spe humana sua bona recuperandi [1].

465. — IV° *Utrum et quatenus novitiæ debeant dotem conventui dare ante professionem?*

1° Cum pleraque monialium monasteria sine dotium subsidio substineri non possint, ea præsertim quæ vitam contemplativam agunt, et accidere possit ut, propter ingruentes necessitates et casus inopinatos, ad inopiam redigantur, provisum est ut dotes a novitiis persolvantur ante professionem.

2° Quantitas dotis pro monialibus pendet a ratione expensarum quæ pro cujuslibet sustentatione necessariæ sunt, et expensæ determinantur juxta locorum et temporum circumstantias. Unumquodque Institutum ea de re regulas habet, seu probatas consuetudines, quæ servandæ sunt.

1. Schmalzgrueber, DE REGULARIBUS, § 6, n° 138.

3° S. Congregatio Regularium statuit dotes monialium in bonis stabilibus collocandas fore; quibus deficientibus, jussit ut in censibus securis investiantur; ad aliumve modum recurrant superiores, ut tuto conserventur. Non sinit eas expendi pro extinguendo ære alieno, nec etiam in necessitates monasterii, nisi obtenta licentia a S. Sede, quæ difficile et raro conceditur, si dos integra alienanda sit.

Hæc pro conventibus votorum solemnium constituta, servari etiam necesse est in congregationibus votorum simplicium, ut præcaveantur gravissimæ difficultates quæ sæpius occurrunt, si dos moniali restituenda sit; ut dicetur infra de casu transitûs ab uno instituto in aliud, et contingere potest alias ob causas (n° 485). Dotem insuper refundendam fore novitiæ, si recedat ante professionem, in aperto est ex dictis supra.

Nota. Regulæ quas modo exposuimus de tempore, loco, et conditionibus novitiatus, non attingunt, vi juris communis, nisi ordines in quibus fiunt vota solemnia. Verum plures congregationes votorum simplicium eamdem disciplinam servant, conformiter ad sua statuta; aut etiam ad id fuerunt adductæ animadversionibus S. Congregationis Regularium, ut majori cura novitii disponerentur. Quo magis accedunt ad dispositiones juris communis, eo efficacius providetur prosperitati et stabilitati institutorum.

§ 3. *De professione.*

466. — I° *Quid sit professio religiosa, et quotuplex distinguatur?*

Professio est emissio votorum libere facta et ab ordine per superiorem acceptata, vi cujus novitius, expleta probatione, in statu religioso admittitur.

I. Duplex distinguitur professio, si ad votorum conditionem attendamus : alia proprie et stricte sumpta, si emittantur vota solemnia; altera late sumpta, ac minus

proprie, si vota sint simplicia. Quando autem leges ecclesiasticæ de professione statuunt, intelligendæ sunt de emissione votorum solemnium, eo magis quod vix alia emitterentur tunc temporis quo hæ leges condebantur.

Alia est distinctio professionis in expressam et tacitam, ratione habita modi quo vota fiunt. Est professio *expressa*, si verbo vel scriptis fiat; dicitur *tacita*, si absque voce et scriptis fiat, sed actibus quibusdam qui ex sua natura, seu ex more solito, censentur includere professionem quando ponuntur cum intentione profitendi : v. g., si novitius, expleto tempore novitiatus, gestet habitum proprium professis, suffragium ferat in capitulo, aliave id genus agat. Jus commune utrumque modum profitendi olim approbavit, tametsi professio explicita fuerit magis consueta.

II. Ex decreto S. Congregationis regularium, lato die 19 martii, an. 1857, novitii ordinum religiosorum debent, peracto novitiatu, emittere vota tantummodo simplicia; deinde, post triennium a die quo hæc vota emiserint computandum, ad professionem votorum solemnium admittentur si digni reperiantur. Potest superior generalis, ac etiam superior provincialis ex justis et rationabilibus causis professionem votorum solemnium differre, non tamen ultra ætatem 25 annorum expletorum [1]; nisi forte pro aliquibus institutis, quibus id indultum fuit, professio votorum simplicium ad longius tempus protrahatur.

Cum decretum nonnullis dubiis locum dederit circa naturam et qualitatem votorum, et circa obligationes ac jura illorum qui vota emiserunt, novæ prodierunt declarationes ex Secretaria S. Congregationis, 17 julii 1858, in hunc modum :

1° « Vota simplicia, de quibus agitur, perpetua erunt « ex parte voventis, utpote quæ tendunt ad emittenda

1. Ita respondit S. C. die 16 aug. an. 1866; — at simul declaravit recurrendum ad S. C. in casibus particularibus, in quibus aliqua causa particularis concurrat.

« deinde vota solemnia, in quibus perfectionem et com-
« plementum accipient.

2° « Eorumdem votorum simplicium dispensatio reser-
« vata est Romano Pontifici, cui professi gravibus urgen-
« tibus causis preces porrigere poterunt.

3° « Verum eadem simplicia vota solvi etiam possunt
« ex parte ordinis in actu dimissionis professorum, ita ut,
« data dimissione, professi ab omni dictorum votorum
« vinculo et obligatione eo ipso liberi fiant.

4° « Facultas autem dimittendi professos votorum sim-
« plicium, de quibus agitur, spectat ad magistrum gene-
« ralem ordinis cum suo consilio generali. Idem magister
« generalis cum suo generali consilio poterit in casibus
« extraordinariis, et præsertim pro regionibus et locis lon-
« ginquis, ad dimissionem decernendam subdelegare reli-
« giosos probos et prudentes, qui saltem tres esse debent.

5° « Licet ad decernendam dimissionem, neque pro-
« cessus, neque judicii forma requiratur, sed ad eam pro-
« cedi possit sola facti veritate inspecta, tamen superiores
« procedere debent summa charitate, prudentia, et ex
« justis et rationabilibus causis, quacumque humana af-
« fectione remota; secus eorum conscientia graviter one-
« rata remaneat. Nemo autem ex causa infirmitatis, post
« professionem votorum simplicium superventæ, dimitti
« poterit.

6° « Professi dictorum votorum simplicium participes
« erunt omnium gratiarum et privilegiorum, quibus pro-
« fessi votorum solemnium in memorato ordine legitime
« utuntur, fruuntur et gaudent.

7° « Superiores regulares, ad quos spectat, concedere
« poterunt hujusmodi professis litteras dimissorias dun-
« taxat ad primam tonsuram et ad ordines minores, ser-
« vatis tamen de jure servandis, et præsertim quæ circa
« ordinationes regularium ab Apostolica Sede præscripta
« sunt.

8° « Anni professionis, qui in dicto ordine requiruntur « ut quis voce activa et passiva gaudeat, et ad officia ad« mitti possit, a die emissionis votorum simplicium com« putantur; et professi votorum simplicium suffragium ha« bent in actis capitularibus sui conventus, quatenus et « proat habent solemniter professi.

9° « Professi votorum simplicium dominium *radicale*, « uti aiunt, suorum bonorum retinere poterunt; sed eis « omnino interdicta est eorum administratio, et reddituum « erogatio, atque usus. Debent propterea ante professio« nem votorum simplicium cedere, pro tempore quo in « eadem votorum simplicium professione permanserint, « administrationem, usufructum, et usum, quibus eis pla« cuerit, ac etiam suo ordini, si ita pro eorum libitu exis« timaverint.

10° « Professi votorum simplicium remanere debent in « domibus professoriis et studiorum, et vitam communem « perfectam observare.

11° « Ad valide emittenda vota solemnia post vota sim« plicia, requiritur professio expressa, et ideo professio « tacita omnino abrogata est.

« Hæc Sanctitas Sua statuit atque constituit, contrariis « quibuscumque, etiam speciali mentione dignis, non ob« stantibus, quibus apostolica auctoritate derogat, ac de« rogatum esse declarat. »

Notare refert 1° hæc statuta fuisse pro regularibus non vero pro monialibus, de quibus non agebatur; — 2° professionem votorum simplicium esse conditionem necessariam ad validitatem professionis solemnis quæ post triennium fiet; — 3° abrogatam esse, in futurum, professionem tacitam, quando de votis solemnibus agitur. (Litteræ Apostolicæ *Ad universalis Ecclesiæ* 7 febr. 1862.)

467. — II° *Quæ conditiones requirantur ut professio valide fiat?*

Quatuor conditiones requiruntur, nimirum : ut fiat a

persona idonea, expleto novitiatu, libere, et assentiente superiore.

I. *A persona idonea*, id est, quæ habeat ætatem et alias dotes jure communi, vel statutis ordinis præfixas, et nullo impedimento irretiatur.

Ætas requisita est annus decimus sextus expletus qui a die et hora nativitatis computatur juxta principia tradita ubi de novitiatu. Professio antea facta est nulla, nullamque inducit obligationem ad regulæ observantiam, aut ad alios quoscumque effectus, ita statuente concilio Tridentino. Aliæ conditiones ad validitatem professionis requisitæ jure communi sunt : 1° baptismus ; 2° libertas a vinculo conjugali, sensu supra exposito ; 3° dispensatio seu licentia a S. Pontifice obtenta, si novitius munus habeat episcopale, etiamsi agatur de episcopatu titulari ; 4° libertas a vinculo præcedentis professionis in alia religione, nisi professus transeat ad ordinem strictioris observantiæ, servatis regulis ea de re constitutis jure communi, prout infra dicetur ; 5° immunitas ab excommunicatione, quæ reum criminis ab Ecclesia et a participatione bonorum communium separet. Si vero aliquis crimina etiam graviora perpetraverit, si ære alieno gravetur, vel obnoxius sit ratiociniis reddendis, valide nihilominus religionem profitetur, quamvis illicite. Clemens VIII, Const. *In suprema*, 2 april. 1602, moderatus est decreta Sixti V, quibus statuebatur irritam fore in his casibus professionem (n° 456).

II. *Libere.* Coactio moralis, seu metus gravis, licet reverentialis, professionem invalidam reddit ; quia mens Ecclesiæ est ut vota religiosa sponte emittantur. « Nullus « tondeatur, nisi in legitima ætate et spontanea volun- « tate. » Cap. I, DE REGULARIBUS. Disciplina Tridentina certum argumentum suppeditat hæc intelligi de conditione omnino requisita, quandoquidem iis qui prætendunt se per vim, aut metum, adductos esse ad professionem, quin-

quennium concedit ad reclamandum contra validitatem votorum.

Canones agunt de metu gravi qui, licet non adimat libertatem jure naturali requisitam ad meritum aut demeritum morale actus humani, repugnantem tamen et quadamtenus invitum adigit ad professionem. Metus reverentialis quo filius, ex reverentia naturali parentibus debita, timet eos offendere, eo usque procedere potest, præsertim si concurrant periculosæ minæ, importunæ persuasiones, asperæ tractationes.

Concilium Tridentinum anathemati subjicit omnes et singulas personas, cujuscumque qualitatis vel conditionis fuerint, quæ « quomodocumque coegerint aliquam virgi-
« nem, vel viduam invitam ad ingrediendum monasterium,
« vel ad suscipiendum habitum cujuscumque religionis,
« vel ad emittendam professionem; quique consilium,
« auxilium vel favorem dederint; quique scientes eam non
« sponte ingredi monasterium, aut habitum suscipere, aut
« professionem emittere, quoquo modo eidem actui vel
« præsentiam, vel consensum, vel auctoritatem interpo-
« suerint. Simili quoque anathemati subjicit eos qui sanc-
« tam virginum vel aliarum mulierum voluntatem voti ac-
« cipiendi, vel voti emittendi, quoquo modo, sine justa
« causa, impedierint. » Cap. XVIII.

Hanc censuram excommunicationis, latæ sententiæ, incurrunt etiam parentes qui violenter cogunt, vel impediunt filias circa ingressum religionis; ita tamen si verum metum adhibuerint, secus si fuerit tantummodo metus reverentialis qui limites simplicis persuasionis non excesserit.

Ut sufficienter constet de libertate professionis, concilium statuit ut nulla novitia professionem ante emittat « quam exploraverit Episcopus, vel, eo absente vel impe-
« dito, ejus vicarius, aut aliquis ab eis deputatus, virginis
« voluntatem diligenter, an coacta, an seducta sit, an sciat

« quod agat; et si ejus voluntas pia et libera cognita fue- « rit... libere ei profiteri liceat. » Lex omnes conventus, etiam exemptos, attingit; verbis enim absolutis enuntiatur. Præfecta monasterio debet Episcopum certiorem facere de futura professione ante mensem; et ne diutius protrahatur, quindecim solummodo dies assignantur constitutione S. Pii V, intra quos dies examen peragi necesse est. Examen fieri debet ante crates, nisi sit ratio suspicandi ne puella instigetur a monialibus conventus; quo in casu Episcopus curabit novitiam inde adduci in ecclesiam exteriorem monasterii, vel alium commodiorem et propinquiorem locum, ubi de voluntate puellæ inquirere possit.

Nota. 1° Examen ab Episcopo agendum pro objecto exclusive habet libertatem voluntatis puellæ; quamobrem si ad alia protendatur, puella non tenetur respondere. (Bulla Pii V, *Etsi mendicantium*, an. 1567.)

2° Si congregatio religiosa non habeat vota solemnia, aut nullam habeat exemptionem a jurisdictione episcopali, Episcopus non tenetur decreto allato; sed alia ipse pro officio præscribere potest, juxta ordinis institutum.

III. *Assentiente superiore.* Nulla professio fieri potest aliter quam consentiente superiore ordinis, vel illo qui est delegatus juxta regulas instituti, aut Indulto apostolico, ad acceptanda vota. Ratio est quod per professionem inducitur quasi-contractus inter religionem et religiosum, qui sibi mutuo spondent in futurum. Superior autem servare tenetur, in admittendo novitios ad professionem, regulas sui instituti : porro una e præcipuis regula est ut novitii professio approbetur consilio illorum quorum est ea de re deliberare.

478. — III° *Quos effectus producat professio religiosa?*

1° Professio religiosa inducit obligationem vota atque regulas instituti servandi, sensu infra explicando.

2° Extinguit vota ante facta, saltem quæ incompatibilia

sunt cum obligationibus religionis. Attamen, si emittens professionem intenderet omnia sua vota commutare in votum religionis, id posset, « quia reus fracti voti aliquate« nus non habetur, qui temporale obsequium in perpetuam « noscitur religionis observantiam commutare. » Cap. *Scripturæ*, 4, DE VOTO.

3° Solvit matrimonium ratum non consummatum, si sit professio stricte sumpta.

4° Dicitur insuper professionem remittere pœnam omnium peccatorum, quæ deleta sunt quoad culpam. S. Thomas id hæsitanter asserit 2ª 2æ quæst. CLXXXIX, art. III, ad 3um. « Rationabiliter dici potest, ait S. Doctor, « quod per ingressum religionis, aliquis consequatur « remissionem omnium peccatorum suorum... Si tamen « non absolverentur per hoc ab omni reatu pœnæ (re« ligionem intrantes), nihilominus ingressus religionis « utilior est quam peregrinatio Terræ Sanctæ quantum « ad promotionem in bonum, quæ præponderat absolu« tioni a pœna. » Suarez hoc veluti piam opinionem proponit lib. VI, cap. XIII, n° 4. Hunc effectum professio per se operari non potest, sed tantum occasionaliter, quando scilicet vovens eam habet charitatis intensitatem, soli Deo notam, quæ talem effectum producit; vel etiam quando data est a Sancta Sede indulgentia plenaria, quam reipsa indulsit pluribus congregationibus quæ habent vota simplicia.

469. — IV° *Quid jure cavendum in casu professionis invalidæ?*

Professio, si forte invalide facta sit, aut rata habetur, aut nulla esse pronuntiatur.

Religiosus ratam habere potest suam professionem, si defectus fuerit ex sua parte, et impedimentum sublatum sit; v. g., si ætatem attigerit, si novum consensum præste in locum prioris quem invitus dederat, etc.

Ad illam ratihabitionem minime necessarium est no-

vam accedere superioris acceptationem, nisi superior, cognita nullitate, suum consensum revocaverit, quia consensus semel datus perseverare censetur; nec requiruntur de novo cæremoniæ professionis, etiam in religionibus in quibus abrogata est professio tacita, si tamen occulta sit nullitas prioris professionis.

Oportet ut religiosus noverit suam primam professionem fuisse invalidam; quia sicut ad profitendum, ita ad ratihabendam professionem requiritur consensus profitentis; « atqui ignorantis nullus est consensus, cum ignoti « nulla voluntas, nec aliquid magis contrarium sit consen- « sui quam error. » Verba sunt Reiffenstuel, qui concludit renovationes votorum, quas, ex more sui instituti, faciunt sæpe religiosi, aliosve actus qui tacite hanc renovationem inducunt, non sufficere quamdiu iidem religiosi ignorant nullitatem suæ professionis, nisi ea sint mente ut velint vota confirmare, etsi ab initio, ex quacumque causa, sua professio invalida fuerit. (De Regularibus, n^is 215-216. Ferraris, v° *Professio regularis*, n° 86.)

Si religiosus nolit ratam habere suam professionem, inducetur actio nullitatis, juxta formam canonibus præscriptam quam explicabimus in IVª parte, de *ordine servando in judiciis Regularium.*

Articulus V. — De obligationibus status religiosi.

Exponendum venit 1° quæ obligationes sequantur ex emissione votorum; 2° quas insuper obligationes Ecclesia imposuerit professis vitam religiosam; 3° quomodo immutari, imo cessare possint illæ obligationes.

§ 1. *Quæ obligationes sequantur ex votis status religiosi.*

471. — I. *Ad quid obliget votum castitatis?*

Votum castitatis, sive solemne sive simplex emissum

sit, interdicit omnes actus, cum externos tum internos, contra sextum præceptum Decalogi; nam juxta mentem ac disciplinam Ecclesiæ, religiosi vovent castitatem, qualis jure naturali præcipitur, et ad illius observantiam se adigunt virtute religionis. Hinc sequitur actus contra castitatem induere speciem sacrilegii, quod aperiendum necessario est in confessione.

472. — II° *Ad quid obliget votum paupertatis?*

I. Votum solemne paupertatis obligat regulares ad nihil habendum, et de nulla re disponendum, nisi sub arbitrio superioris. Cap. *Cum ad monasterium*, 6, DE STATU MONACHORUM, prohibet districte in virtute sanctæ obedientiæ, « ne quis monachorum proprium aliquomodo possideat ». Concilium Tridentinum sic disciplinam confirmat : « Nemini regularium tam virorum quam mulierum liceat « bona immobilia vel mobilia, cujuscumque qualitatis fuerint et quovis modo acquisita, tanquam propria, aut « etiam nomine conventus, possidere, vel tenere, sed statim ea superiori tradantur, conventuique incorporentur. « Nec deinceps liceat superioribus bona stabilia alicui regulari concedere etiam ad usumfructum, vel usum, « administrationem, vel commendam. Administratio autem bonorum monasteriorum et conventuum ad solos « officiales eorumdem, ad nutum superiorum amovibiles, « pertineat. Mobilium autem usum ita superiores permittant, ut eorum supellex statui paupertatis quam professi « sunt conveniat. » Sess. XXV, cap. II.

Hinc concludas 1° religiosos non posse acquirere, nec possidere nomine proprio quodvis bonum, nec mobile, nec immobile; 2° non posse testamentum condere, neque testamentum ante professionem conditum moderari; 3° peccare contra votum paupertatis qui de re aliqua disponit sine venia, saltem legitime præsumpta, sui superioris.

De his multæ quæstiones moventur, ex quibus tres præ cæteris summatim exponemus.

473. — 1ª : Utrum lege generali comprehendantur manuscripta propria?

Probabilius negant communissime, ait S. Liguori ; tum quia manuscripta sunt aliquid spirituale, cum sint partus ingenii ; tum quia pertinent ad scientiam quæ non cadit sub voto paupertatis ; tum quia talis est communis consuetudo (lib. IV, nº 14). Hinc concludunt religiosos posse donare suas conciones, lectiones, compositiones et alia manuscripta propria, et eadem posse secum deferre, si transeant in aliam religionem, nullis relictis transcriptionibus. Ita Suarez, licet paulo hæsitanter, tom. IV, lib. III, cap. XIV, nº 10... De manuscriptis *propriis* ita ratiocinantur communius theologi quorum opinioni adhæremus ; sed non putamus inter hujusmodi manuscripta annumerari posse opera quibus Religiosus incubuerit sumptibus sui ordinis, et in commodum ejusdem ordinis, v. g. inquisitiones criticæ, historicæ, numismaticæ, etc., quas superiores fieri voluerunt in utilitatem ordinis, communicatis autographis propriis communitatis, susceptis peregrinationibus, multis in hunc finem impensis toleratis : hæc hujusmodi scripta, licet manibus religiosis exarata et illius ingenio digesta, magis tamen ad ordinem pertinent quam ad ipsum religiosum, et non possent illæsa justitia alias transferri, invitis superioribus.

474. — 2ª : Utrum liceat religiosis habere peculium, id est bonum aliquod mobile, census, annuam præstationem, ad illorum particulares usus destinatum?

Concilium Tridentinum interdixit religioso bona mobilia *possidere etiam nomine conventus ;* voluit cuncta bona superiori tradi ut *conventui incorporentur*, et eorum administrationem solis officialibus monasterii demandari. Plures tamen theologi arbitrantur licitum fore habere peculium, de assensu superioris, in conventibus ubi introducta non fuit vita perfecta communis. « Ratione consuetudinis quæ « hodie fere in omnibus religionibus introducta est, puto,

« ait S. Liguori, rigorem concilii temperatum esse, et « licere singulis religiosis ex consensu superioris, peculium « habere, ut sibi provideant ad usus necessarios et honestos, « modo sint parati bona a se abdicare ad superioris nu- « tum. » (Loc. cit., n° 15.) Quod S. Liguori intelligit etiam de casu quo religiosus peculium retinet, non in communi deposito, sed in sua cella cum licentia prælati, sub ejus tamen arbitrio.

Valde optandum ut ubique introducatur vitæ communis severius institutum, quod exposcit perfectam æqualitatem, et quamcumque prædilectionem ita excludit ut ex cunctis bonis et annuis redditibus præstationibusque, quovis nomine dicantur, in communi ab officiali conventus administratis, singulorum indigentiæ æquali modo provideatur, nulla penitus ratione habita hujus illiusve religiosi, cujus gratia census, aut aliæ præstationes, communitati obtigerunt. Communitas vitæ plurimum conducit ad religiosiorem voti paupertatis observantiam, atque ad servandam disciplinam monasticam; fovet præterea humilitatem, concordiam, et alias virtutes evangelicas[1].

475. — 3ª *Utrum et quatenus liceat religiosis munera offerre?*

Religiosi non possunt, proprio jure, munera largiri, ne munuscula quidem, qualia forent imagines piæ, sine licentia saltem præsumpta sui superioris; obstat nimirum votum

1. Benedictus XIV, *de Synodo*, lib. XIII, cap. XII, nis 18-22; — S. Liguori, lib. IX, n° 15.—Pius IX præscripsit, mandato a S. Congregatione illius jussu edito die 22 aprilis an. 1854, ut in omnibus domibus novitiatus, vita perfecte communis introduceretur, et quæcumque indulta, privilegia, familiæ illius individuis ante concessa, derogata censerentur. Statuit simul ut in qualibet domo esset capsa communis in quam religiosis omnibus deponenda erit pecunia, cum nihil ipsis retinere licitum sit præter quod constitutiones ordinum permittunt. Non igitur eo ultimo articulo vita perfecte communis urgetur, cum ratio habeatur constitutionum ordinis; sed via paratur ad illam.

paupertatis, siquidem donatio, cuilibet fiat, et quodcumque sit illius objectum, est actus dominii. Quæ sint hac parte licita satis cognoscitur ex praxi communiter recepta. Superioribus ipsis licet munera ex bonis conventus largiri extraneis, quando moderate ac discrete fiunt, ratione gratitudinis, benevolentiæ, alteriusve motivi laudabilis, absque detrimento congregationis, ad sensum regularum et juxta usum laudabilem ; verum præcavere debent ne limites excedant, alioquin peccarent simul contra virtutem paupertatis et contra justitiam, disponendo arbitraria voluntate de bonis quorum non sunt domini, sed meri dispensatores. Plures S. S. Pontifices, præsertim Clemens VIII et Urbanus VIII, id severe interdixerunt omnibus religiosis, sive sint superiores sive non, indictis gravissimis pœnis in transgressores, privationis scilicet officiorum, privationis vocis activæ et passivæ, inhabilitatis et infamiæ.

Iidem Pontifices statuerunt insuper quod recipientes munera, contra jus sibi a Religiosis oblata, teneantur ea restituere ante omnem sententiam, neque possint absolvi, nisi prius restitutione realiter facta (intellige si tamen restituere valeat), nulla condonatione seu remissione suffragante, ex parte religiosorum. Hæc restitutio fieri debet conventui ad quem bona tributa pertinebant, si commode fieri possit ; aliàs fiat conventui viciniori loci in quo petita fuerit absolutio [1]. (N° 797bis.)

475 ^{bis}. — NOTA : Ad determinandum quæ materia requiratur in violatione voti paupertatis, ut peccatum sit mortale, non idem est omnium sensus. Quidam sequuntur regulas traditas, in tract. *de Justitia*, circa furta facta a filiisfamilias : alii cum S. Liguori putantes religiosum strictius teneri quam filiumfamilias et superiorem magis oppositum esse, non tantam requirunt quantitatem ad

1. Clemens VIII, C. *Religiosæ congregationes.* — Urbanus VIII, C. *Nuper a congregatione*, die 16 octob. 1640. — Cf. Thesaurus *de Pœnis* v° *Munera*, cap. x.

peccatum lethale. Schmalzgrueber docet id constituere materiam gravem adversus votum paupertatis, quod sufficeret ad constituendum peccatum grave in materia furti. (S. Liguori, n° 24. Schmalzgrueber, DE STATU MONACHORUM, n° 38.) Probabile est graviorem materiam requiri si religiosus rem in suos usus vel alterius religiosi impendat, quam si extraneo dederit.

476. — II. Quando non de singulis religiosis individuis, sed de ipso conventu quæstio movetur, quatenus teneatur servare paupertatem, recurrendum erit ad regulas ordinis.

Omnibus ordinibus religiosis licitum est habere domum, capellam, sacristiam et hortum.

Capuccinis et Minoribus strictæ observantiæ vetitum est habere immobilia frugifera, annuos redditus, et bona stabilia in perpetuum vel in longum tempus, ad subveniendum suis necessitatibus. Possunt tamen habere fundationes et census annuos pro expensis cultus divini, quæ scilicet exclusive adhibenda sint pro sua Ecclesia.

Cæteris ordinibus etiam mendicantibus concilium Tridentinum indulsit immobilia frugifera et annuos redditus; unde sub eo respectu jam non est discrimen inter ordines mendicantes et alios, etsi primi retineant nomen *Mendicantium*, ratione suæ primævæ institutionis.

Patres Societatis Jesu non utuntur, in suis domibus professis, privilegio quod concilium Trid. concessit domibus mendicantium [1].

477. — Regulæ juris communis de paupertate religiosa, respectu tum religiosorum, tum conventuum, attingunt solum ordines solemnes. Quod ad alias congregationes attinet, standum est uniuscujusque congregationis statutis; obligationes enim religiosorum et jura superiorum omnino pendent a regulis specialibus, auctoritate legitima approbatis, juxta quas vota emissa sunt.

1. C. Suarez, t. IV, lib. I, *de Varietate religionum*, cap. VIII.

In congregationibus ubi religiosi et moniales servant bona sua, ac de illis disponere valent prout sibi opportunum judicaverint, cum licentia tamen superiorum, superiores debent ac tenentur permittere subditis ut de suis bonis reapse disponant prout quisque opportunum judicaverit, modo hæc dispositio sit in se conveniens : sua auctoritate graviter abuterentur qui obtentu obedientiæ ac majoris boni assequendi, exigerent ut subditi disponerent in gratiam suæ congregationis (n° 797 bis).

478. — III° *Ad quid obliget votum obedientiæ?*

Duo sunt quæ distingui debent, licet convenientiam habeant inter se : obedientia *superiori præstanda* et *regula ordinis servanda*. « Votum obedientiæ, ait Suarez, non obli« gat ad servandam regulam (subintellige, *nisi illud expri« mat*), sed ad obediendum secundum regulam ; et ideo « propria obligatio regulæ ut sic, non ex voto obedientiæ, « sed ex propria ratione legis et ex principiis ejus est col« ligenda. » (Tom. IV, lib. I, cap. II.)

I. Votum directe obligat ad obediendum superiori, in omnibus quæ præcipit secundum regulas et constitutiones ordinis, sive res præscripta contineatur in regulis directe et expresse, sive indirecte et implicite. Obligatio consequenter non urget, nisi sit auctoritas legitima in superiore præcipiente, et conformitas rei præceptæ cum regulis et fine instituti. Ratio est quod subjectio inferioris erga suum superiorem oriatur a promissione voluntaria qua se tradidit religioni ; non aliter autem se tradidit quam promittendo obedientiam juxta finem et regulas instituti : ergo obligari non potest ad ea quæ sunt *contra*, vel *supra*, vel *extra* regulas.

In regula continentur implicite quæ sunt moraliter necessaria ad conservationem instituti, ad mutua charitatis officia, ad correctionem defectuum et ad ordinem regularem servandum, ut obtineatur finis proprius instituti.

Hinc 1° superiores rationem habere debent finis regu-

larum et traditionum sui instituti, quando subditis præcipiunt. V. g. superior ordinis contemplativi non posset exigere a suis subditis ut se ministerio publico tradant, quia, licet sit opus charitatis, est alienum a fine instituti : nec urgere observantiam regularum juxta primitivam severitatem, si rigor ille pristinæ disciplinæ moderatus fuerit auctoritate legitima. (Schmalzgrueber, *de Statu monachorum*, n^{is} 63-79.)

Hinc 2° multum errant qui id absonum asserunt talem esse obedientiam monachis impositam, ut inducantur ad faciendum cæca mente quidquid, vel injuste, mandaverit superior. Religiosus non tenetur vi sui voti, nec potest exequi mandatum sui superioris, si, quod Deus avertat, res præcepta sit illicita : non est enim votum quod obliget ad malum. Quinimo religiosus qui se existimat injuste gravatum ex dispositione superioris, a quo vel ejectus fuerit e monasterio, vel privatus jure spirituali vel pœna acerbiori punitus, potest juxta doctorum sententiam, ad Prælatos majores recurrere; uti dicetur ubi *de judiciis*, in IV^{a} parte.

Sancti ordinum religiosorum fundatores qui tanti commendaverunt *obedientiam cæcam*, nihil aliud intendebant quam piam et multum commendabilem affectionem cordis, qua religiosus inclinatur ad obsequendum suo superiori, non dijudicando motiva mandati, nec opportunitatem, in iis quæ cæteroquin ipsi non videntur ulla ratione illicita... Sub regimine militari, et in civili administratione, severior adhuc obedientia imponitur subditis ut jussa ducum exsequantur.

Hinc 3° non obligaret præceptum quo superior suo subdito indiceret ne aliter disponat de suis fortunis quam in gratiam suæ congregationis aut domus religiosæ. Episcopus loci qui de hocce abusu auctoritatis admonitus esset, jure ac merito in superiorem animadverteret.

Præceptum superioris obligat sub gravi, si jubeat in materia gravi, *in virtute sanctæ obedientiæ*, *in nomine D. N.*,

vel simili forma; sub veniali, si alia forma remissiori utatur; sub pœna subeunda, quin ulla sit obligatio conscientiæ, quando ita res communiter sumitur ex usu recepto in ordine.

479. — II. Regulæ, si distinguantur a constitutionibus, sunt statuta generalia a fundatore data, et sæpe pluribus congregationibus communia, quibus aliæ præscriptiones magis speciales additæ sunt auctoritate legitima, ad finem proprium Instituti, sub nomine ordinationum, constitutionum, aliove titulo. Porro regulæ et constitutiones diversimode obligant, sicut præcepta superiorum, aliæ sub gravi, aliæ sub levi, aliæ communius tantum ad pœnam, prout declaratur in ipsismet regulis, vel communiter intelligitur in ordine.

Qui profitetur religionem non vovet omnia et singula servare quæ in regula continentur, sed vovet regularem vitam juxta præscriptum regulæ : atqui regula non præscribit omnia sub peccato mortali, sed quædam tantum, ea præsertim quæ spectant ad tria vota substantialia vitæ religiosæ. Alia præscribit sub veniali, quales sunt exteriores observantiæ quæ multum conducunt ad votorum observantiam; quædam sub pœna tantum, ut sunt exercitia quotidiana, silentium, modus quo quisque suo officio fungi debeat, et alia hujusmodi quæ directe non obligant in conscientia, licet superior jure possit delinquentes punire pro gradu transgressionis; hæc enim non sunt nuda consilia, seu monita, sed regulæ proprie dictæ, ac religiosis ab auctoritate legitima impositæ per modum legis. In multis ordinibus religiosus non vovet servare regulam, sed obedire secundum regulam. (Billuart, dissert. II, art. VII; Suarez, tom. IV, lib. I, cap. II, III.)

Billuart testatur regulas et constitutiones ordinis FF. Prædicatorum non ita obligare ut illarum transgressio censeatur peccatum etiam veniale. Idem testatur Suarez de Societate Jesu, in qua authentice declaratum fuit uni-

versas constitutiones, aut ordinationes, exceptis tantum votis, non inducere obligationem conscientiæ etiam sub veniali, nisi adhibeantur signa expressa obligationis, ut hæc sunt : *in nomine Domini*, — vel *in virtute sanctæ obedientiæ*. Probabile est regulas non aliter explicari in aliis ordinibus.

Quamvis transgressio regularum non sit peccatum ex genere suo, fieri potest, ratione habita circumstantiarum, ut sit peccatum, non tantum veniale, sed et mortale; quando, v. g., grave detrimentum disciplinæ regulari infertur, vel religiosus probabili periculo amittendi gratiam suæ vocationis, aut ejectionis e monasterio, se exponit, aut tandem violat regulas sui ordinis ex contemptu.

Si regula successu temporum atque moribus communitatis fuerit temperata, et nihilominus eadem remaneat quæ fuerat primo tempore, eodemque sensu a superioribus explicetur, adeo ut mitigatio a saniori parte reputetur laxitas improbanda, regulæ standum est, non habita ratione temperamenti. Aliter dicendum si disciplina fuerit immutata decretis S. Sedis, aut legitima consuetudine, etsi remanserit littera primævarum constitutionum. Hoc in casu valet mitigatio, quamvis inducat in congregatione statum minus perfectum; religiosi, dum sua vota emittunt, vovent obedientiam in sensu relativo ad hanc disciplinam, nec possent obligari ad pristinum rigorem, nisi interventu auctoritatis S. Pontificis.

Liberum quidem est prælatis regularibus, cum suo capitulo, collapsam disciplinam instaurare, quando laxitates introductæ offendiculo sunt et possunt avertere ordinem a suo fine : item quando reformatio inducenda versatur tantum circa res mere accidentales; siquidem in sua professione singuli se religioni tradiderunt animo amplectendi quæ ad bonum ordinis conservandum, et ad finem a fundatoribus intentum, necessaria superioribus videbuntur. Verum si asperitates, diuturna consuetudine temperatæ, sint

valde graves, et rigor ille primævus a præsenti disciplina multum differat, ita ut vitam religiosam multo difficiliorem reddat, cogi non debent; quia « ad hujusmodi reformatio- « nem suscipiendam, ante professi non obligantur, cum « præsumi rationabiliter nequeat quod ad illam voto vo- « luerint se obligare », ait Schmalzgrueber, DE STATU MONACHORUM, n[is] 76-81. Cf. Suarez, lib. X, cap. VIII, n° 17.

§ 2. *De obligationibus jure canonico statui religioso annexis.*

Præter obligationes quæ directe sequuntur ex votorum emissione, aliæ sunt, tres præsertim, quas subeunt religiosi vi canonum : tenentur 1° gestare habitum ordinis; 2° recitare officium divinum; 3° servare clausuram.

480. — I° Quoad habitum religiosum, urget Constitutio *Ut periculosa*, 2, NE CLERICI VEL MONACHI, in VI°, quæ sic habet : « Ut periculosa religiosis evagandi materia sub- « trahatur, districtius inhibemus ne de cætero aliquis, « quamcumque religionem tacite vel expresse professus, « in scholis vel alibi temere habitum suæ religionis dimit- « tat... Si quis horum temerarius violator extiterit, excom- « municationis sententiam ipso facto incurrat. »

Religiosus qui habitum dimittit, egrediendo e monasterio cum intentione illum non reassumendi, reus est apostasiæ; qui habitum dimittit, vel etiam ad breve tempus, extra monasterium, sine rationabili causa, peccat mortaliter, tametsi habeat intentionem servandi suum statum.

Duo sunt notanda, ad mentem cap. *Ut periculosa* mox prolati. 1° Bonifacius VIII prohibuit sub pœna excommunicationis ne dimittatur habitus religionis extra monasterium, *ut periculosa evagandi* occasio subtrahatur : non peccant igitur graviter, nec censuras incurrunt qui intra claustra suum habitum dimittunt; 2° statuit in eos qui *temere*, id est, sine ulla causa rationabili in publico ince-

dunt sine suo habitu; unde excusantur qui motivo sanitatis, vel periculi evitandi, aliave ratione a suis superioribus vel consuetudine probata, ad tempus dimittunt habitum religionis.

481. — II° Quoad officium divinum, consuetudo generalis obligationem induxit pro omnibus regularibus et monialibus choro addictis.

Obligatio divini officii communitatem simul et individuos attingit, juxta regulam instituti; quamobrem regulares qui non assistunt choro, tenentur nihilominus recitare privatim horas extra chorum, cui obligationi submittuntur etiam religiosi fugitivi et ejecti e monasterio. Fuga non potest exonerare religiosos ab obligatione quam contraxerunt profitendo. (Suarez, *de Horis canonicis*, cap. XVIII. Schmalzgrueber, in tit. DE CELEBRATIONE MISSARUM ET DE DIVINIS OFFICIIS, n^is 77-84.)

Moniales in conventibus Galliæ professæ non tenentur, *vi juris communis*, ad recitationem divini officii; siquidem ex pluribus decisionibus S. Pœnitentiariæ et Congregationum concludere licet sanctiones olim edictas, quibus obligationes jure canonico imponuntur monialibus religionem professis, illas solummodo afficere quæ *veram propriamque professionem* fecerunt, et nostras moniales, ob peculiarem illarum conditionem, *vere professas dici et censeri non posse*. Sed obligari possunt alio titulo : sive statutis episcopalibus, si Episcopus conventum erigendo, disciplinam divini officii servandam injunxerit monialibus, ad mentem Ecclesiæ, juxta regulas et traditiones ordinis; sive etiam consuetudine, si ex praxi et præsumpta voluntate monialium, consuetudo legitime præscripta eamdem disciplinam firmaverit. An de facto in eo sensu ordinata sit disciplina conventuum diœcesis, judicare pertinet ad Episcopum [1].

1. GAUTRELET, *Traité de l'état religieux*, IIe part., IIIe section, IIIe chapitre.

482. — III° Clausura generatim in eo consistit quod regularibus non liceat egredi e monasterio, nec permittatur extraneis ingredi, sine licentia debite obtenta.

Duplex distinguitur clausura, alia *episcopalis*, altera *papalis*, ut aiunt canonistæ, prout ab Episcopo imponitur conventibus qui aliàs lege canonica non tenentur, vel datur auctoritate S. Pontificis, qui solus exinde super clausula regulari dispensare valet, exceptis causis jure prævisis. Ut vero pateat ratio hujus discriminis, perpendere necessum est sanctiones canonicas sub duplici respectu : 1° quoad egressum regularium e suo monasterio; 2° quoad admissionem exterorum intra septa monasterii.

I. *De egressu regularium e suo monasterio.*

Jus canonicum aliter pro viris ac pro monialibus statuit. Concilium Tridentinum de viris regularibus edixit : « Nec « liceat regularibus a suis conventibus recedere, etiam præ- « textu ad superiores suos accedendi, nisi ab eisdem missi « aut vocati fuerint. » De monialibus autem : « Nemini « sanctimonialium liceat post professionem exire a monas- « terio, etiam ad breve tempus, quocumque prætextu, nisi « ex aliqua legitima causa ab Episcopo approbanda. » (Cap. IV et V.)

Frequentior est viris causa egrediendi, præsertim si sacro ministerio mancipentur, et minus urget periculum. Peccant solum venialiter si ad breve tempus egrediantur e monasterio, nesciente et non consentiente superiore; potest etiam contingere ut nullum sit peccatum, ratione habita consuetudinis, tolerantiæ superiorum, seclusis quibusvis pravis circumstantiis.

Quod vero ad moniales spectat, nullo prætextu ipsis licet, etiam ad breve tempus, e monasterio egredi, nisi legitima intercedat causa, ab Episcopo approbanda. Quæ sit vero causa legitima, constitutionibus pontificiis definitur. Bonifacius VIII, capite *Periculoso* (DE STATU REGULARIUM, in VI°) unam solummodo causam indicavit, scilicet

morbum gravem, aliis periculosum. Pius V decrevit Constitutione *Decori et honestati*, nulli abbatissarum, priorissarum, aliarumve monialium, etiam e regia vel illustri prosapia ortarum, licitum fore a monasteriis exire ulla occasione et prætextu, « nisi ex causa magni incendii, « vel infirmitatis lepræ, aut epidemiæ, quæ tamen infir-« mitas præter alios ordinum superiores, quibus cura mo-« nasteriorum incumberet, etiam per Episcopum, seu « alium Ordinarium loci, cognita et expresse in scriptis « approbata sit ».

Moniales e conventu egredientes, superiores contra præscriptum decreti licentiam exeundi quomodocumque concedentes, comites ac receptrices personæ, etiam consanguineæ, subduntur ipso facto excommunicationi majori, reservatæ Romano Pontifici.

Nulli igitur licet, exceptis tribus causis expressis, concedere facultatem monialibus exeundi, v. g., si velint e monasterio egredi ut balneis utantur, ut aere puriore ad recuperandam valetudinem fruantur, ut ad aliud monasterium transferantur. Hanc disciplinam sæpius firmavit S. Congregatio Regularium, cujus jussu, exempli causa, scriptum est an. 1789 ad Episcopum Malacitanensem (Malaga), Em. Patres decrevisse ad Sanctam Sedem Apostolicam spectare facultatem concedendi monialibus transeundi, et transferendi easdem ab uno ad aliud monasterium, et in peragenda translatione servandas esse leges et conditiones in apostolico indulto appositas. Quod si secus factum fuerit, tam superior qui facultatem concessit, quam monialis egressa, personæ quæ illam comitatæ fuerint, et quæ receperunt, subjacent pœnis in constitutione S. Pii V, *Decori et honestati* [1], præfinitis.

1. Sancta Sedes quandoque indulsit monialibus ut scholas puellarum externarum habere licite valerent; ita tamen ut scholæ constituerentur in parte ædium monasterii ab alia separata, ad quam per januam externam puellæ ingredi possint; facta potestate monia-

II. *De admissione extraneorum intra monasterium.*

Religiosi possunt admittere viros intra monasterium; prohibentur autem recipere mulieres in locis regularibus, scilicet, intra claustrum, seu domum quam inhabitant religiosi, et officinas interiores. Superiores aliive eas admittentes incurrunt ipso facto excom. maj. S. Pontifici reservatam.

Moniales neminem, nec virum, nec mulierem, admittere possunt intra septa monasterii, de quo sic statuit concilium Tridentinum : « Ingredi intra septa monas« terii nemini liceat, cujuscumque generis aut condi« tionis, sexus vel ætatis fuerit, sine Episcopi vel superio« ris licentia, in scriptis obtenta, sub excommunicationis « pœna ipso facto incurrenda. Dare autem tantum Epis« copus vel superior licentiam debet in casibus necessita« tis ; neque alius ullo modo possit, etiam vigore cujus« cumque facultatis, vel indulti hactenus concessi, vel in « posterum concedendi. » (Cap. v.)

Est igitur discrimen valde notandum inter clausuram religiosorum et clausuram præscriptam monialibus, quoad admissionem extraneorum. 1° Primi possunt admittere personas sæculares intra clausuram monasterii, solis mulieribus exclusis, quarum ingressus penitus prohibetur [1].

libus magistris in scholas sese conferendi per interiorem januam ad earum officium exercendum. Cæterum, indulto cautum fuit ut porta tam externa quam interna sedula cura custodiretur. — S. Cong. Episc. et Regularium commisit in causa Anniciensi pro conventu monialium Visitationis, prudentiæ Ordinariorum, ut adhiberentur professores ab extra, *masculis quibuscumque exclusis sub quolibet prætextu*, an. 1843.

1. Erant olim quædam privilegia multis concessa; sed hæc revocavit Benedictus XIV, Const. *Regularis disciplinæ*, an. 1742, qua religiosis interdixit ne quavis occasione, aut prætextu religionis, fœminas introducant, vel ingredi sinant, etiam quando supplicationes cum sanctissimo Eucharistiæ sacramento, sive cum sanctis reliquiis per claustra, septa, et alia monasteriorum loca, habentur. §§ 2 et 3.

2° Moniales nullas personas, absque distinctione conditionis et sexus, introducere debent, nec ut ingrediantur tolerare, nisi in casu necessitatis cum licentia superioris.

Ratione necessitatis conceditur ut ingrediantur sacerdotes ad ministrandum sacramenta infirmis; medici ad dandum suæ artis operas ægrotantibus; operarii quibus moniales indigent. Episcopus, et superior regularis cui monasterium subjectum est, ingredi possunt, servatis de jure servandis, scilicet in casu necessitatis tantummodo, et cum viris maturæ ætatis qui illos comitentur. Si tamen monasterium sit regularibus subjectum, Episcopus non potest illud ingredi, nec intra septa visitare, « nisi in iis « quæ concernunt observantiam clausuræ [1] ». Benedictus XIV disciplinam canonicam de clausura monialium confirmavit; omnibus in contrarium abrogatis privilegiis, etiam Cardinalibus, vel Nuntiis, aut Legatis a latere concessis. (Const. *Salutare*, an. 1742.)

Ex dictis sequitur regularibus viris et sæcularibus esse locum communem quo insimul convenire valeant, v. g., ecclesiam, sacristiam, locutorium ; dum, quod ad moniales spectat, nullus est locus quo ipsis simul cum sæcularibus convenire liceat ; loca ad quæ moniales sese conferre valent interdicuntur extraneis, et vicissim loca ad quæ liber accessus patet sæcularibus, interdicuntur monialibus.

III. Sollicitudo SS. Pontificum, in removendo virgines Deo dicatas ab omni sæcularium consortio, eos induxit ut laicis, clericis, ipsisque regularibus interdicerent accessu ad monialium monasteria, præter casus necessitatis; quamobrem si excipias cognatos in proximioribus gradibus conjunctos, confessarium, et superiores seu generales seu locales, nemo debet sine necessitate accedere ad moniales ut illas alloquatur. Cum olim nonnulli regulares adire

1. Matthæucci, *Officialis curiæ ecclesiasticæ*, cap. XI, n° 10; Ferraris, v° *Moniales*, art. III, n[is] 95-96.

non dubitarent crates monasteriorum monialium absque licentia, prætenderentque id sibi non esse interdictum, S. Congregatio, hac opinione improbata, declaravit « re- « gulares cujuscumque ordinis... etiam de quibus specialis « mentio foret habenda, qui ad monasteria monialium, « quamvis ab Ordinarii jurisdictione quomodolibet exem- « pta, absque legitima facultate accedunt, colloquendo « per quodcumque modicum temporis spatium cum mo- « nialibus... peccare mortaliter; eosque sub excommuni- « cationis, privationis vocis activæ et passivæ... statutis « pœnis posse ab Ordinario, tanquam Sedis Apostolicæ « delegato, coerceri[1] ».

483. — Lex canonica clausuræ, qualis in præcedentibus exponitur, attingit ordines et congregationes regularium solemnia vota professorum, non vero congregationes ecclesiasticas aut religiosas quæ habent tantummodo vota simplicia, nisi aliter indultum fuerit.

Clausura, quam *papalem* vocant, fuit hactenus conditio essentialis omnis instituti monialium ut a Sancta Sede admittantur ad vota solemnia : et si institutum ab ea lege deficeret, ipso facto privaretur beneficio obtentæ approbationis, quin ullam in contrarium consuetudinem posset allegare. Aliquoties clausura data est auctoritate S. Sedis conventibus monialium vota simplicia emittentium, quemadmodum concessum novimus in casu subsequenti : in congregatione generali EE. S. Rom. Eccl. Cardinalium præpositorum negotiis Episcoporum et regularium, habita 6 decembris 1839, proposito dubio, an et quomodo an-

1. Matthæucci, cap. III; — Ferraris, v° *Moniales*, art. IV, n° 17. Prohibitio sub pœnis indictis afficit solum confessarios regulares, non sacerdotes sæculares. Lucidi, *de Visit. Sac. Lim.*, vol. II, pag. 176. — Bizzarri, *Collectanea*, pag. 24, ex integro refert decretum S. Congregationis, an. 1823. Vide insuper pag. 485 ejusdem decreti confirmationem, de gravitate peccati quod committunt regulares quando alloquuntur moniales, etiam ex causa rationabili, si non habeant obtentam licentiam.

nuendum esset precibus Episcopi diœcesis in regno Neapolitano, qui postulaverat constitui conventum monialium cum clausura solemni, licèt juxta sui instituti conditionem emittant vota simplicia, rescriptum est : *affirmative, firma remanente professione votorum simplicium, pro gratia impositionis clausuræ papalis, accedente consensu omnium monialium vocalium per secreta suffragia;* quam responsionem approbavit et confirmavit Gregorius XVI, concessis Episcopo facultatibus necessariis et opportunis ad effectum.

Episcoporum curæ demandatur ut præscribant regulas clausuræ, quas expedire in Domino judicaverint, conventibus monialium quæ vota simplicia emittunt, et suæ jurisdictioni subsunt, et super hujusmodi statutis dispensent. Ita responsum fuit Episcopis Galliarum pro domibus monialium, quæ a tempore Concordati erectæ sunt [1]. Possunt utique vetare sub pœnis canonicis, ne ipsimet regulares accedant ad conventum monialium, non obtenta licentia Episcopi.

§ 3. — *Quotuplici modo immutari, vel etiam cessare possint obligationes regularium.*

Obligationes regularium immutantur promotione ad prælaturas sæculares, et transitu ad aliam religionem; extingui autem penitus possunt dispensatione et sæcularisatione.

484. — I° *Utrum et quatenus religiosus, ad beneficium sæculare promotus, eximatur ab obligationibus status religiosi?*

Certum est regularem promoveri posse ad beneficium

1. Die 1 aug. an. 1839, S. Congreg. Episc. et Reg. declaravit moniales conventuum, ubi non sunt vota solemnia, non teneri ad clausuram servandam, quam voto simplici vovent, sub censuris a Trid. synodo edictis, sed sub censuris fortasse ab Episcopo impositis. — — Ingredientes septa monasterii, absque licentia, incurrere pœnam excomm., si ab Episcopo decreta fuerit. — (Cf. *Commentarium* Avanzini in Constit. *Apostolicæ Sedis.*)

sæculare, parochiam, officium vicarii generalis, episcopatum, dignitatem cardinalatus, modo regulæ instituti serventur et obtineatur indultum apostolicum, sine quo non licet religiosis extra suum conventum degere. In eo consentiunt canonistæ, et confirmatur praxi Ecclesiæ. Porro, ad quæstionis propositæ solutionem, dicendum est religiosum, legitime promotum, eximi ab obligationibus quæ incompatibiles sunt cum suo novo statu; neutiquam vero subduci cæteris obligationibus quæ officium non impediunt.

1° Liber proinde est ab obedientia prælati regularis in iis omnibus quæ respiciunt administrationem adepti officii; sub eo respectu pendet solummodo ab Episcopo, si parochiæ, alterive officio diœcesano, sit præpositus; et a S. Pontifice, si fuerit ad episcopatum vel ad cardinalatum promotus. Liber etiam est ab omnibus regulis, et constitutionibus sui ordinis, quæ conciliari non possunt cum suo officio.

2° Remanet obligatio votorum et regularum quæ sunt cum officio compatibilia. Benedictus XIII, Const. *Custodes*, 1725, præcepit regularibus, tam ad episcopatum quam ad cardinalatum jam evectis, et deinceps evehendis, in virtute sanctæ obedientiæ, sub pœna suspensionis ab exercitio pontificalium ipso facto incurrenda, papæ reservata, ut singulis suæ regulæ officiis et obligationibus, quæ pontificatus, vel cujuscumque alterius dignitatis, aut cardinalatus officium non impediunt, perpetuo subsint. De voto castitatis nihil dicendum; votum obedientiæ religiosus observat obediendo papæ qui est illius superior; votum autem paupertatis servat bona acquirendo suæ Ecclesiæ, non sibi, et debito moderamine iis utendo; licèt ad statum episcopalem multa sibi permittere possit, quæ non permittuntur monacho sub regulis cœnobii vitam degenti. Habitus quem gestant, ejusdem est formæ ac habitus prælatorum sæcularium, retento tamen colore ordinis religiosi.

3° Dimisso munere, regularis tenetur ad claustra redire sub obedientia sui prælati, nisi dispensationem obtinuerit

a Sancta Sede. Id præscriptum fuit a Benedicto XIII, Constitutione modo citata ; qui etiam declarat suspensos esse a divinis, post annum, eos omnes qui ad claustra contumaciter redire neglexerint [1].

485. — II° *Utrum et quatenus liceat religioso ad aliam religionem transire?*

Jure communi concessum fuit religiosis transire ad arctiorem religionem, dummodo *non ex temeritate aut levitate, in jacturam seu injuriam sui ordinis, sed vere ad frugem melioris vitæ transmigrare* velint, ut dicitur in cap. *Licet*, 18, DE REGULARIBUS ET TRANSEUNTIBUS AD RELIGIONEM, lib. III Decret. Innocentius III, in citato textu, libertatem indultam confirmat ex principio generali, quod scilicet *ubi Spiritus Dei est, ibi libertas*, et *profecto prælatus subdito sine difficultate debeat transeundi licentiam indulgere, ne videatur propositum impedire divinitus inspiratum;* unde Canonistæ deduxerunt facultatem omnibus religiosis concedi, servatis servandis. Porro interpretatum fuit jus commune, cum restrictionibus et exceptionibus a S. Sede appositis, ut sequitur :

1° Postulanda est licentia a superiore, ne religiosus *bonum obedientiæ contemnere videatur.* Licentia postulari debet antequam religiosus egrediatur, et certum intercedere oportet tempus, quo superior possit dare responsum cum salutaribus monitis ; at necesse non est ut obtineatur, nam Innocentius permittit transitum, *non obstante contradictione prælati.* Excipe tamen si ordo religiosus obtinuerit privilegium ne sui religiosi transire valeant ad aliam religionem, ante obtentum indultum apostolicum ; quod privilegium fuit reipsa concessum pluribus religionibus, et præsertim religionibus Mendicantium [2].

1. Cf. Ferraris, v° *Episcopus*, art. VII, n° 1-26 ; — Suarez, t. IV, lib. III, cap. XVI-XIX, ubi multa de obligatione regularis, ad officium sæculare promoti, discutiuntur.

2. Cf. Card. Petra in const. 1am Benedicti XII, t. IV, pag. 65-68.

2° Transitus fieri debet ad ordinem strictiorem, juxta constitutionem Innocentii III, quam confirmavit conc. Trid., sess. XXV, cap. XIX, *de Regularibus :* « Nemo regularis, « cujuscumque facultatis vigore, transferatur ad laxiorem « religionem. » Quis autem ordo sit perfectior, ambigitur : res videtur dijudicanda, non a prima ordinis institutione, sed a præsenti regularum observatione; aliàs darentur decisiones practicæ contra mentem canonum. Communiter agnoscunt nullum esse ordinem ex quo non liceat egredi ad profitendum in religione Carthusianorum, quod argumento est hunc ordinem cæteris strictiorem reputari.

Hinc qui vult transire ad ordinem laxiorem vel etiam æqualem, indiget dispensatione, quæ reservatur S. Pontifici, nisi prælatis ordinum datum fuerit jus illam concedendi. Causæ dispensationis sunt : debilitas corporis, odia et simultates quæ forte in ordine excitantur, collapsa disciplina in ordine...

3° Religiosus certiorari debet de assensu monasterii quod ingredi sibi proponit, antequam suum conventum derelinquat, ne forte post discessum vagetur in sæculo, sitque periculo apostasiæ expositus. Ita fuit a Sancta Congregatione provisum, et ab Urbano VIII constitutum.

Cæterum, cum multæ sæpius orirentur difficultates, et locus daretur scandalis, usu et stylo curiæ romanæ inductum est, ut nemo transire debeat de una religione in alteram, sine licentia S. Sedis.

Nota. 1° — Religiosi transeuntes ad alium ordinem possunt secum deferre sua manuscripta sensu supra exposito (n° 473).

Monialibus reddi debet dos quam attulerunt, si absque dote recipi nequeant in alio cœnobio. Quæ votum prima

Privilegium Ordinibus mendicantibus concessum refertur in constitutione Martini IV *Viam ambitiosæ* I, DE REGULARIBUS, Extrav. com. ; ubi vetatur sub pœna excommunicationis, ne religiosus ex ordine Mendicantium quorumcumque in ordinibus monasticis, *ordine Carthusiensium duntaxat excepto*, recipiatur, absque S. Sedis licent'

vice emisit, iniit pactum conditionale cum religione, sibi reservando jus ad aliam transeundi; quamobrem si non possit transire sine dote, consequens videtur quod illam secum transferre valeat[1]. Cæterum, si sint regulæ speciales conventus circa dotum restitutionem, his standum erit; quia fit pactum saltem implicitum juxta leges communitatis.

2° Religiosi transeuntes in aliam religionem tenentur novum annum probationis peragere. Insuper, si transeant de religione Mendicantium, sunt inhabiles ad prioratus, exercere non possunt curam animarum, nec promoveri ad beneficia sæcularia. (Cap. *Ut professores*, 1, Clem. DE REGULARIBUS.)

3° Moniales solemniter professæ non possunt transire nec transferri ad aliud monasterium absque indulto S. Sedis, quo dispensationem a lege clausuræ consecutæ fuerint.

486. — III° *Utrum et quatenus religiosi solvi possint obligationibus sui status?*

I. Olim pluribus visum est neminem posse dispensari super votis solemnibus, et vinculum professionis religiosæ esse jure divino indissolubile. Hodie omnes consentiunt religiosum eximi posse suis obligationibus, et vitæ sæculari reddi indulto apostolico; quia effectus professionis non jure naturali aut divino, sed jure ecclesiastico fundatur. Facultas dispensandi super votis solemnibus soli S. Pontifici reservatur.

Quod ad vota simplicia attinet, religiosi dispensationem obtinere possunt, tum a S. Pontifice, tum ab Episcopo, tum denique a superiore sui instituti, pro diversa constitutione Congregationis.

1° Qui vota emiserunt in instituto publico, a Sancta Sede approbato, ut in varias provincias se extendere valeat,

1. Inspecto jure communi, ait Lucidi, dos irrevocabiliter monasterio *a quo* cedere debet; attamen idem monasterium, eodem jure communi inspecto, non potest declinare obligationem congrua alimenta præstandi (n° 213); satius proinde videtur ut dotem dimittat.

prout sunt Jesuitæ scholastici et coadjutores, Redemptoristæ, Presbyteri Missionis, Sorores a Sanctissimo Corde etc..., tametsi vota simplicia emiserint, recurrere debent ad S. Pontificem. Ratio est quod, in his professionibus, intercedat pactum saltem implicitum inter Congregationem et voventem; porro pactum non potest ab alio resolvi quam ab iis quorum interest, vel quibus relaxationem promissionis reservant statuta. Hinc Benedictus XIV, Const. *Convocatis*, an. 1750, admonet confessarios ut « quoad « vota, noverint sibi abstinendum ab eorum commutatione « in quibus agitur de præjudicio tertii. Quare in eo quod « pertinet ad vota quamvis simplicia, seu perseverantiæ, « seu alia emitti solita in congregatione vel communi« tate..., non se ingerant ». (§ 32.)

Nec ipsimet superiores, seu superiorissæ generales, possunt super hoc voto dispensare, nisi obtinuerint indultum, uti obtinuerunt nonnulli, v. g., Præpositus generalis societatis Jesu, Superior generalis congregationis Missionis; hoc sibi Sancta Sedes reservavit : 1° quia ipsius summopere interest statum cujusque Instituti cognoscere, quod ipsa assequi facile potest, ex supplicationibus alumnorum qui postulant dispensationem super votis emissis; 2° quia exinde difficiliores redduntur dispensationes et magis firmatur nexus inter hæc Instituta et Apostolicam Sedem; 3° quia cum demum hujusmodi congregationes per varias provincias Ecclesiæ diffundantur, magni refert ut S. Pontifex super illarum conditionem invigilare propius possit [1].

2° Episcopi dispensare valent super votis simplicibus religiosorum et monialium Instituti diœcesani, cum assensu tamen communitatis, nisi S. Sedes sibi reservaverit dispensationem.

Ratio est quod Instituta simpliciter diœcesana, quæ non

1. C. Lucidi, de *Visitatione Sacrorum Liminum*, tom. II, n[is] 350 ad 354. — 476. — C. Bizzarri, *Collectanea*, pag. 145, 502.

habent superiores seu superiorissas generales, subsint jurisdictioni Episcopi, qui proinde solvere potest professos a suis obligationibus, justa subsistente causa, secluso casu reservationis.

Hæc locum etiam habent in conventibus monialium, quæ olim habebant in Galliis vota solemnia et adhuc habent in aliis gentibus, quales sunt conventus carmelitanarum, monialium Visitationis, Sanctæ Ursulæ et aliorum ; sunt enim instituta diœcesana, jurisdictioni Episcopi subjecta. In eo sensu haud semel respondit S. Congregatio, præsertim ad Episcopum Cenomanensem, die 2ª jan. 1836, et recentius ad Episcopum Mimatensem : « De votis monialium regni Galliarum « nonnullas quæstiones proponebas. Scias igitur oportet ab « Apostolica Sede declaratum fuisse vota quæ in præsenti « rerum statu in Galliarum regno a monialibus emittuntur, « simplicia censeri et Episcopos, ex speciali declaratione « Sanctitatis Suæ, super eisdem, excepto castitatis voto, « data ratione sufficiente, rebus sic stantibus, dispensare « posse[1]. »

Dixi 1° « nisi S. Sedes sibi reservaverit », quod explicatione non eget; quapropter, quando nova approbatio datur, præsertim quando S. Pontifex concedit ut conventus canonice erigatur cum nonnullis privilegiis, sedulo perpendendum est quid de ea re statuerit.

Dixi : 2° *Cum assensu tamen communitatis*, seu superioris vel superiorissæ. Nisi enim in regulis Instituti adscribatur Episcopo, utpote primo conventus superiori, facultas dispensandi absque ulla restrictione, jus remanet communitati acquisitum et principia supra exposita applicanda sunt. Jurisdictio spiritualis tollit vinculum religionis; superest vinculum justitiæ ortum inter religiosum et communitatem ex promissione stabilitatis implicite inclusa in emissione votorum perpetuorum.

1. Lucidi, n^is 474, 476. — Craisson, *des Communautés religieuses à vœux simples*, chap. XVIII.

Qui expostulant dispensationem adire debent Episcopum diœcesis ubi actu commorantur; hujus enim ordinarii, non alterius, jurisdictioni subjacent. Nihil refert quod vota religionis in alia diœcesi emiserint.

3° Superiores congregationum regularium habent communiter jurisdictionem spiritualem, ut dicetur infra, vi cujus possunt dispensare super votis simplicibus in sua congregatione emissis aut ea commutare, servata forma regulis Instituti præscripta; verum, quod spectat ad votum stabilitatis, speciali indigent indulto, uti supra notavimus, et virtute hujus indulti, non dispensare valent nisi *in actu dimissionis tantum*. — Quando religiosus a suo superiore dimittitur juxta formas præscriptas, eximitur eo ipso a vinculo stabilitatis quo communitati uniebatur; illo soluto vinculo, alia vota vel cessant, ex prævia conditione, sine ulla dispensatione, vel tolli possunt ab Ordinario; excepto voto castitatis quod reservatur S. Pontifici. Habenda est, ea in re, ratio constitutionum congregationis, si rite approbatæ sint.

II. Obtenta dispensatione, sedulo attendere oportet sub quibus conditionibus concessa fuerit.

Quando S. Pontifex dispensat religiosum ab onere commorandi in monasterio et gestandi habitum ordinis, conditionem sæpe adjicit: *firmis remanentibus votis substantialibus vitæ religiosæ*. Tunc regularis solvitur obligationibus quas cum ordine contraxerat; sed remanent vota religionis quæ observari debent, quantum sinit status rerum. Castitas servanda est : paupertas item eo sensu quod regularis continere se debeat intra limites congruæ sustentationis, et non valeat beneficia ecclesiastica adipisci absque indulto S. Pontificis. Quoad obedientiam, Episcopus substituitur loco prælati regularis.

Quandoque S. Pontifex largiorem dispensationem concedit et aliquem ad vitam sæcularem reducit, impositis nonnullis exercitiis pietatis, confessione sacramentali, pre-

cibus, quæ illi in mentem revocent primam vocationem, eumque tueantur contra pericula mundi. Qui non staret conditionibus impositis, suam conscientiam graviter oneraret.

487. — IV° *Utrum religiosi congregatione ejecti eximantur obligationibus status religiosi?*

I. Qui ejiciuntur e monasterio seu congregatione post vota simplicia, eximuntur communiter ab obligationibus status religiosi, sive a voto sive a regulis procedant, et ad vitam sæcularem reducuntur.

Excipiendum tamen votum castitatis, si illud perpetuum emiserint absolute, abstrahendo a statu religioso.

II. Religiosi ejecti post vota solemnia, remanent obnoxii obligationibus sui status, quoadusque obtinuerint indultum apostolicum, de quo supra : quapropter 1° tenentur se emendare, ut iterum mereantur admitti in conventum fratrum; 2° interea obligantur suis votis, cum eo solum discrimine quod votum obedientiæ servent obediendo Episcopo loci in quo degunt; et possint, non obstante voto paupertatis, acquirere, possidere, commutare, aliosque actus necessarios facere ad sui sustentationem; 3° sunt suspensi a functionibus ordinum, et vetitum ipsis fuit induere habitum suæ religionis, usquedum reassumantur in suum conventum. (Const. *Apostolicæ Sedis.* Bened. XIV, *de Synodo*, lib. XIII, cap. XI, n^is^ 20-27. Ferraris, v° *Ejecti a religione*, n^is^ 40-70).

ARTICULUS VI. — DE REGIMINE STATUS RELIGIOSI.

488. — Ultima quam aggredimur quæstio requirit accuratam explanationem juris canonici, 1° de potestate superiorum regularium in ordinem quem regunt et in religiosos qui sibi subduntur; 2° de jurisdictione Episcopis competente in regulares; 3° tandem de privilegiis quibus SS. Pontifices ordines regularium donarunt, ut illos a jure

ommuni eximerent, quantum par erat, ad majus bonum rocurandum. Sufficienter inde cuique perspectum erit uale sit regimen proprium status religiosi in genere.

De jure S. Pontificis in Regulares non disserendum; siuidem extra dubium est Pontificem Romanum esse prinum Prælatum omnium ordinum religiosorum, a quo speiali modo pendent omnes congregationes. Ut magis ervetur intima illa unio ordinum cum Sancta Sede, plerique abbates generales et præpositi ordinum commorantur Romæ; cæteri habent in urbe commissarium, qui illos repræsentet et causas congregationis agat cum S. Pontifice.

489. — I° *Qui sint superiores ordinum religiosorum?*

Superiores religionum et ordinum sunt, qui commissam habent curam religionis vel ordinis, vel alicujus provinciæ, monasterii aut domus. Dicuntur abbates, priores conventuales, præpositi generales, ministri generales, provinciales, guardiani, etc., pro diverso munere quod gerunt.

ABBATES sunt superiores monachorum, seu monasteriorum proprie dictorum, v. g., apud Benedictinos, Trappistas; PRIORES CONVENTUALES sunt superiores monasterii, cujus dignitas abbatialis datur clerico sæculari per *commendam* [1]. Hi priores æquiparantur abbatibus locorum, iisdemque juribus potiuntur pro regimine interno communitatis. Superiores mendicantium et clericorum regularium diversis nominibus designantur: sunt PRÆPOSITI, vel MINISTRI GENERALES, PROVINCIALES, PRIORES, et eliguntur juxta statuta sui ordinis.

Abbates regulares appellatione prælatorum veniunt, in sacris canonibus : alii sunt generales, qui multis monasteriis sub eodem regimine constitutis præficiuntur, v. g.,

1. Abbates commendatarii dicuntur clerici sæculares quibus dignitas abbatialis data fuit in *commendam*, ut aiunt, id est fuit commissa cum jure fruendi beneficio temporali, et quibusdam prærogativis honorificis, et cum onere providendi conservationi beneficii. De beneficiis datis in *commendam* dicemus in IIIª parte.

abbas Cluniacensis, Cisterciensis ; alii sunt locales, qui uni monasterio præsunt. Insuper inter abbates, quidam habent, nedum regulares sibi subditos, sed etiam territorium proprium in quo jurisdictionem quasi episcopalem exercent, ut abbates Cassinenses, dum cæteri habent tantummodo regulares subditos.

Post obtentam confirmationem, abbates benedici consueverunt. Hæc benedictio facta est, decursu temporum, solemniori ritu, qui multas habet analogias cum consecratione Episcoporum, ut videre est in Pontificali. Cæterum abbates, etiam nondum benedictionem assecuti, habent titulum et jura suæ dignitatis ; privantur solummodo jure conferendi tonsuram et ordines minores, nisi privilegio apostolico ipsis concessum fuerit haberi pro benedictis a S. Pontifice, eo ipso quo sunt electi et confirmati. (C. Petra, *Comment. in Const.* IX Pii II, tom. V, pag. 161. Ferraris, v° *Abbates*, n^{is} 12-20.)

Variis officiis et titulis superioritatis, in conventibus religiosorum, respondent officia et tituli conventuum monialium, quæ et ipsæ habent suas abbatissas, priorissas, etc.

490. — II° *Quomodo eligantur superiores regularium?*

I. Superiores regularium constitui possunt immediate a S. Pontifice. Communiter primi superiores ordinum, qui scilicet nulli alteri superiori, intra eumdem ordinem, subjiciuntur, nominantur per electionem capituli, ad quod appellandi sunt omnes qui, ex præscripto statutorum, jus habent, et non sunt impediti.

Ut quis eligi possit in prælatum, necesse est : 1° ut sit professus in eodem ordine; 2° nulla irregularitate vel censura teneatur; 3° ætatem competentem habeat, id est, 25um annum completum. (Ferraris, v° *Electio*, art. II, n^{is} 21-41 ; art. IV, n^{is} 89-92.) Jus eligendi non aliis competit quam professis ejusdem ordinis, qui nulla irregularitate aut censura priventur voce activa. — « In electione « superiorum quorumcumque, Abbatum temporalium et

« aliorum officialium ac generalium, et Abbatissarum, « atque aliarum præpositarum, quo omnia recte, et sine « ulla fraude fiant, in primis sancta synodus Tridentina « districte præcipit omnes supradictos (superiores quos- « cumque, abbates temporales, et alios officiales, ac gene- « rales) eligi debere per vota secreta, ita ut singulo- « rum eligentium nomina nunquam publicentur... Si vero « contra hujus decreti constitutionem aliquis electus fuerit, « electio irrita sit. » (Sess. xxv, *de Regularibus*, cap. vi.) Quapropter non licet electionem facere per compromissum aut inspirationem, quia electiones alterutro hoc modo celebratæ, possunt ac solent fieri per voces publicas. (Ferraris, loc. cit., art. iv, n[is] 28-36.)

Electio prælati regularis non est collativa : confirmari debet ab Episcopo loci, si monasterium non sit exemptum ; a præposito generali, si monasterium sit exemptum ; vel a S. Pontifice, si de generalibus agatur. Usu tamen prævaluit ut superiores generales, præsertim qui Romæ degunt, censeantur confirmati a S. Pontifice, ex quo fuere canonice electi.

Superiores eliguntur vel in perpetuum, vel ad tempus, pro variis statutis ordinum religiosorum. Perpetuitas officii reputatur plurimum conferre ad bonum regimen societatum religiosarum ; dat majorem stabilitatem regimini, removet animorum dubia et contentiones, quorum sæpe enascitur occasio e nova futuri præsulis electione ; juvat prælatum ad incipiendum et prosequendum efficaciori voluntate reformationem abusuum, et instaurationem disciplinæ. Ita observatur, v. g., in societate Jesuitarum. Quum tamen in rebus humanis sint plerumque ejusdem disciplinæ incommoda et utilitates, magis opportunum visum est in multis congregationibus præpositos generales et provinciales eligi ad tempus, puta ad triennium, ut servetur humilitas in regimine, et dimoveri ab officio queant, absque ulla commotione, qui minus idonei reperiuntur

sustinendo oneri regiminis [1]. In statutis Congregationum ætate recentiore approbatis, Sancta Sedes indixit ut officia superiorum non conferrentur nisi ad tempus præfixum, v. g., triennium, decennium...

Prælati inferiores, quales sunt provinciales et priores conventuum, aliquando nominantur et in suo officio constituuntur ab Abbate, seu a præposito generali, juxta regulas instituti, vel per indultum apostolicum; sed communius eliguntur, constituta semel provincia, a regularibus qui intra eamdem provinciam commorantur, servato ordine præfixo.

II. Superiorissæ monialium nominantur electione, juxta regulas quæ jure communi vel statutis peculiaribus uniuscujusque Congregationis, præscribuntur ad electionem.

1° Requiritur ætas quadragenaria, et ut professio facta sit ab octo annis : quod si vero nulla reperiatur in monasterio quæ has conditiones habeat, et difficile videatur aliam monialem ad officium ex alio monasterio educi, superiorissa eligi poterit ex iis quæ annum trigesimum excesserint, et quinque saltem annis post professionem recte vixerint. 2° Electio fit a professis choralibus, non a conversis, nisi aliter ferant statuta ordinis; requiritur majoritas absoluta suffragiorum, scrutinio secreto. 3° Episcopus jus habet præsidendi, una cum superiore regulari, electioni abbatissarum quæ præficiendæ sunt in monasterio regularibus subjecto; potest etiam alium sui loco deputare. « Is vero qui præsidet, Episcopus sive alius « superior, claustra monasterii non ingrediatur, sed ante « cancellorum fenestellam, vota singularum audiat, vel « recipiat. » (Conc. Trid., cap. VII.) 4° Electio debet

1. Cf. Suarez, *de Religione*, t. IV, lib. II, cap. VII. — Statutum fuit a Pio IX, ut Minister generalis Minorum Observantium eligeretur ad duodecim annos (23 maii 1862). Idem decretum latum fuit pro ordinibus Capuccinorum et Prædicatorum. — *Collectanea*, Bizzarri, pag. 168.

confirmari ab Episcopo vel a superiore respectivo; interea tamen, si opus sit, electa potest res sui monasterii administrare, ad mentem cap. (*Indemnitatibus*, 43, DE ELECTIONE, in VI°[1].)

Eædem regulæ servantur in electione superiorissarum conventuum votorum simplicium, nisi aliter ordinatum sit Constitutionibus Congregationis. Nonnullis concessum fuit institutis, ut suffragia obsignata litteris mitti possint ad Capitulum, ob nimiam difficultatem quam plures sorores experirentur suas domos relinquendi et e regionibus dissitis conveniendi in locum quo fit electio. Episcopus loci præsidet per se, vel per aliam personam ecclesiasticam, electioni; id quidem jure proprio, si agatur de instituto simpliciter diœcesano; tanquam vero Apostolicæ Sedis delegatus, si capitulum generale celebretur Congregationis quæ domos habet in alienis diœcesibus. In hoc casu Episcopus relationem de celebrato capitulo transmitti curat ad sacram Congregationem Episcoporum et Regularium.

Nota. — Episcopus qui præsidet capitulo non fert suffragium. Si ita dispertiantur vota ut in nullam conveniat numerus competens, iteratur vice repetita suffragiorum collatio usque dum obtineatur majoritas regulis præscripta.

491. — III° *Quæ auctoritas competat superioribus regularium?*

Duplex distinguitur potestas in superioribus regularium: potestas *administrationis*, quæ directe emanat e statutis ordinis et voto obedientiæ quod religiosi in sua professione emittunt; potestas *jurisdictionis*, quæ procedit e primis pastoribus, et est participatio potestatis clavium.

I. Vi potestatis *administrationis*, superiores, ac pari jure superiorissæ regulares, jus habent : 1° admittendi ad novitiatum et ad professionem, servatis regulis sui instituti, quæ, præter alias conditiones, requirunt communiter ut

1. Ritus benedictionis abbatissarum, et consecrationis virginum, describuntur in *Pontificali*.

admissio promuntietur suffragio vocalium. 2° Regendi congregationem, et monasterium, vel conventum, in spirituali et in temporali; quod complectitur jus præcipiendi in virtute sanctæ obedientiæ, statuta condendi juxta formas regulis et constitutionibus ordinis præfinitas, ne superior plus juris sibi assumat quam constitutum fuit; officia ac prælaturas inferiores conferendi; invigilandi observantiæ disciplinæ regularis; demum bona temporalia administrandi, ad præscriptum sanctorum canonum de quibus in parte IIIª agetur. 3° Coercendi delinquentes monitionibus paternis, vel etiam pœnis debitis, quales sunt privatio communionis, separatio a consortio fratrum, etc. 4° Incorrigibiles et contumaces ejiciendi e conventu.

Superiorissæ conventuum possunt pœnas memoratas indicere, non secus ac superiores regularium. Possunt etiam quibusdam monialibus interdicere communione, quando transgressæ sunt regulam officiave charitatis in materia gravi, de quo sapienter animadvertit *Bossuet :* « Comme « la mère supérieure ne peut accorder la communion au « préjudice de la défense du confesseur, elle ne la peut « refuser au préjudice de son commandement, si ce n'est « qu'il fût arrivé, depuis la confession, quelque chose qui « y obligeât, ou que le cas fût si grief, qu'elle eût sujet de « présumer que la religieuse ne l'aurait pas exposé au « confesseur. Dans ce cas, elle devra lui en parler et céder « à son autorité, se réservant d'avertir les supérieurs ma- « jeurs... Pour ce qui regarde ce détail, on voit bien que « le secret de la confession ne permet pas à l'Évêque d'y « entrer, et qu'il doit seulement instruire le confesseur, en « cas qu'il eût des maximes qui tendissent à éloigner trop « légèrement de la fréquentation des sacrements. » (*Œuvres* de Bossuet, t. XXXIX, *Lettre* LIII, ed. Versal. [1].)

1. Hic, data occasione, notabimus non approbari in constitutionibus sororum, regulas quibus præscribatur manifestatio conscientiæ facta superiorissæ, nisi quoad progressum in virtutibus et publicam

Quod vero ad pœnam exclusionis attinet, regula generalis est moniales, vota solemnia professas, non expelli e suo conventu, quamvis incorrigibiles videantur, quia periculosissima foret ejectio, et scandalis in detrimentum religionis obnoxia. Obstat aliunde lex clausuræ, super qua nec superiorissa, nec Ordinarius loci dispensare valet. Si tamen monialis pacem cœnobii perturbet, sitque, ob suum durum ac inemendabile ingenium, impedimento quominus disciplina regularis servetur, recurrere fas est ad Sanctam Sedem, quæ non abnuit, necessitate rite comprobata, concedere facultates necessarias ad providendum communi bono monasterii *per monialis sæcularisationem, quæ sit loco expulsionis*, ut dicitur in indulto quod pro hujusmodi causa obtinuit a Gregorio XVI, anno 1841, Episcopus in Germania. Moniali ejectæ lex indicta fuit ut vestes suum statum decentes semper gestet; ut cum parentibus commoretur, aut saltem domum inhabitet ab omni periculo morum tutam; denique ut vota integra servet, castitatis nempe, obedientiæ sub auctoritate Episcopi ac parochi vigilantia, et paupertatis quantum sinit status virginis in sæculo degentis.

Potestas administrationis sufficit ad statum religiosum; ea enim auctoritate suffulti superiores valent convenienter regere suam communitatem, et singulis præcipere quæ ad finem intentum conducunt. Satis verisimile est priorum temporum monasteria fuisse instituta absque speciali

regulæ transgressionem, uti recens animadvertebat S. Cong. super constitutionibus conventus Monialium Germaniæ : « Ob abusus qui « irrepserunt, in præsens, S. C. minime solet approbare aperitionem « conscientiæ superiorissæ; sed tantum permittitur ut sorores, si « velint, pandere possint defectus in regulæ observantia, et progres- « sum quoad virtutem; de aliis enim, ab eis agendum est cum pro- « prio confessario. » In aliis animadversionibus notatum est hanc aperitionem conscientiæ fieri debere non *obligatorie* sed *facultative*, et non admitti manifestationem conscientiæ factam superiorissæ per epistolam.

jurisdictione communicata illorum præfectis : communiter enim monachi, etiam abbates, erant laici ; et non apparet eosdem abbates jurisdictionem spiritualem exercuisse, dispensando super præceptis Ecclesiæ vel votis, aut ferendo censuras proprie dictas. (Suarez, tom. III, lib. II, cap. XVIII, nº 8.) Nihilominus cum pleraque monasteria sint exempta a jurisdictione Episcoporum, necessarium videtur ipsis attribui potestatem jurisdictionis ; quia S. Pontifex non sufficeret ad providendum tot religionibus, monasteriis et domibus regularium, quæ indigent actibus jurisdictionis spiritualis.

492. — II. Huic necessitati indulsit Sancta Sedes impertiendo jurisdictionem ordinariam fori interni et externi superioribus communitatum regularium. Omnes scilicet Prælati majores ordinum religiosorum proprie dictorum, *ecclesiasticam et quasi episcopalem jurisdictionem obtinent*, ut dicitur in cap. *Abbates*, 3, DE PRIVILEGIIS, in VIº.

Quoad superiores locales, qui prælato majori subduntur, an et qualem ipsi habeant jurisdictionem nescimus. Nihil affirmandum putamus in quæstione, cujus solutio dimittenda est singulorum ordinum statutis ac privilegiis approbatis, ut inde appareat quid possint superiores subordinati, quousque extendatur illorum jurisdictio.

Vi *jurisdictionis spiritualis* prælati regulares majores possunt ex usu recepto, et ex privilegiis regularium exemptorum : 1º edicere decreta juxta ordinis constitutionem, quæ obligent in foro interno et externo, non secus ac decreta et mandata lata ab Episcopis ; 2º dispensare super votis, vel ea commutare, prout sibi a S. Sede concessum fuerit ; nisi autem indultum speciale obtinuerint, nihil juris habent in vota reservata S. Pontifici ; 3º approbare presbyteros sibi subjectos ad audiendum confessiones sacramentales suorum subditorum, et eisdem alia sacramenta, Eucharistiæ scilicet et Extremæ Unctionis, conferenda ; insuper et casus reservare, sicuti consueverunt Episcopi ;

4° dare litteras dimissoriales pro susceptione ordinum, de quo iterum mox dicemus; 5° ferre censuras suspensionis, interdicti, excommunicationis, eodem prorsus modo qui Ordinariis locorum competit [1]; 6° abbatibus insuper concessum fuit privilegium conferendi tonsuram et quatuor minores ordines [2]. Ut autem hac facultate utantur, necesse est ut constituantur in sacro presbyteratus ordine, et obtinuerint abbatialem benedictionem ab Episcopo, nisi Episcopus tribus vicibus rogatus cum *humilitate et devotione, sicut convenit, eos benedicere renuerit* (cap. *Statuimus*, 1, DE SUPPLENDA NEGLIGENTIA PRÆLATORUM); aut nisi obtinuerint peculiare privilegium omnia peragendi, etiam non recepto benedictionis munere, quæ competunt abbatibus benedictis.

Limitatur hæc potestas ad subditos regulares abbatis, professos utique trium votorum solemnium, non vero oblatos, nec novitios. Si aliis privilegio non comprehensis præsumat ordines conferre, ordinatio est illicita, tametsi valida : ordinatis opus erit *absolutione et rehabilitatione obtinenda a S. Pontifice*. Ita sæpius definitum a S. Congregatione refert Benedictus XIV, *de Synodo*, lib. II, cap. XI, n[is] 9-15. (Bizzarri, *Collectanea*, p. 139, 718.) Ordinatio esset invalida, si Abbas non obtinuisset privilegium conferendi ordines; uti declaravit S. C. Episc.et Reg. an. 1839.

Superiores congregationum sæcularium obtinuerunt a Sancta Sede aliquam partem jurisdictionis, sed minus extensam quam communiter datur Prælatis majoribus ordinum religiosorum proprie dictorum.

Est difficultas valde intricata, utrum Abbatissis competat jurisdictio spiritualis, eodem modo ac Prælatis Regu-

1. Quis ordo servandus sit in processu, quando superior intendit istiusmodi pœnas in suum subditum ferre, dicetur in IV[a] parte, ubi de *Judiciis*.

2. Fertur Innocentium VIII concessisse Abbati Cisterciensi et quatuor Abbatibus ejus ordinis facultatem conferendi suis monachis subdiaconatum et diaconatum. — Giraldi, part. I, sect. CV.

larium. Communissima est apud theologos et canonum interpretes doctrina, moniales carere jurisdictione spirituali. (Cap. *Nova*, 10, DE PŒNIT. ET REMISS.) Pluribus quidem abbatissis commissum est exercitium quoddam juris cum in moniales, tum etiam in clericos sibi subjectos, quod non multum differre videtur ab illo quo potiuntur superiores regularium; eo enim usque progreditur ut valeant clericis conferre beneficia, et illos suspendere a suo officio. (Cap. *Dilecta*, 12, DE MAJORITATE ET OBED.) Inter alia citabimus privilegia abbatissæ monasterii Cisterciensis de las Huelgas in Hispania prope urbem Burgos, quæ suam auctoritatem extendit in territorium *nullius* diœcesis, in plura monasteria et villulas; ubi quæcumque præstare potest abbas jurisdictione quasi-episcopali gaudens, præter facultatem actuum qui ordinem requirunt, ipsa facit, cum eo tamen discrimine ut, quando agitur de committendo presbyteris munere confessarii, vel de examine pro officio parochi, seu de aliis actibus hujusmodi, habere debeat sacerdotem a se deputatum, veluti vicarium, qui hæc officia expleat; iisdem juribus fruebatur abbatissa Fontis-Ebraldi quæ olim fuit caput, ac veluti prælata congregationis plurium monasteriorum.

Hæc tamen non arguunt veram jurisdictionem : etenim 1° Institutio quam abbatissæ faciunt est mera collatio tituli et possessionis, quam haud raro olim permissam fuisse laicis alibi ostendimus (n^is 293-294, t. I, p. 105). 2° Quod ad suspensionem attinet quam forte abbatissa in clericos ferret, dicemus non esse censuram proprie dictam, sed meram prohibitionem ne clerici sacrum faciant, aliosve actus sui muneris exerceant, cujus quidem interdictionis violatio non inducit irregularitatem.

Disciplinam canonicam eo modo interpretantur doctores, ne jurisdictio ecclesiastica videatur commissa fuisse monialibus. « Hoc nunquam fit secundum legem commu-« nem, et usum Ecclesiæ ; nec a S. Pontifice factum esse

« legimus, ait Card. Petra, quia id non decet, et, licèt non « sit simpliciter contra jus divinum aut naturale, est tamen « illis minus consentaneum [1]. »

Articulus VII. — De auctoritate Episcoporum in Regulares et Congregationes religiosas [2].

493. — I° *Quæ sint origo et causæ exemptionis Regularium a jurisdictione Episcoporum?*

I. Canonistæ communiter tradunt omnia monasteria fuisse olim subjecta Episcopis in causis quæ ad jurisdictionem spiritualem attinebant; sed Episcopos minorem partem habuisse quoad ea quæ sunt regiminis proprii conventus; et paulatim monasteria magnam libertatem obtinuisse se suaque regendi propriis institutis.

Monasteria non erigebantur absque assensu et benedictione Episcopi, de quo statuit concilium Chalcedonense « nullum usquam monasterium ædificari posse præter « sententiam ipsius civitatis Episcopi... Monachos qui sunt « in regione et civitate, episcopo subjectos esse... Civitatis « autem Episcopum oportere eam quam par est monaste- « riorum curam gerere [3]. »

Monasteriis canonice erectis, Episcopus loci plenam in ea habebat jurisdictionem spiritualem; cura vero regiminis interni abbatibus commissa erat. Concilium Arelati celebratum versus annum 455, firmavit privilegia celebris monasterii Lirinensis, ut scilicet « clerici atque altaris mi- « nistri, a nullo nisi ab Episcopo Forojuliensi, vel cui ipse « injunxerit ordinentur : chrisma non nisi ab ipso spere-

1. Card. Petra, *Commentaria in Const.* IV Urbani IV, tom. III, pag. 187-194 ; — Gobard, tom. II, pag. 673 et seq. ; — Hélyot, part. IV, chap. XII et XIII, *Ordre de Fontevrault;* — Ferraris, v° *Abbatissa*

2. Cf. Fagnan, in cap. *Grave* DE OFFICIO ORDINARII. — Reiffenstuel, in tit. DE OFFICIO ORDINARII. — Hallier; *Commentaria in ordinationes cleri Gallicani circa regulares;* tom. VI, *Mémoires du clergé.*

3. Labbe, tom. IV, p. 757, can. IV concilii.

« tur : neophyti ab eodem confirmentur : peregrini clerici « absque ipsius præcepto in communionem, vel ad minis- « terium, non admittantur. *Monasterii vero omnis laica « multitudo ad curam abbatis pertineat*, neque ex ea Epis- « copus quidquam sibi vindicet, aut aliquem ex illa cleri- « cum, nisi Abbate petente, præsumat...; laica omnis con- « gregatio ad solam ac liberam Abbatis proprii, quem « sibi ipsa elegerit, ordinationem dispositionemque perti- « neat. »

Ultima hæc verba concilii referuntur ad regimen proprium Monasterii, et asserunt Prælatis regularibus suam communitatem jus regendi propria auctoritate.

Successu temporum similia privilegia concessa fuere, tum nonnullis in particulari monasteriis, tum etiam passim omnibus monasteriis quarumdam regionum, ut videre est ex actis concilii Carthaginensis, an. 534 habiti, sub Reparato Episcopo, ad statuendum de libertate monasteriorum, et concilii Romani III, sub S. Gregorio I, an. 601, in quo indictum fuit, « ut nullus Episcoporum præsumeret de « redditibus, rebus, vel chartis monasteriorum, quocum- « que modo, aut qualibet occasione minuere... Ut defuncto « Abbate..., eligatur quem sibi, propria voluntate, con- « cors fratrum societas elegerit...; ut invito Abbate, ad « ordinanda alia monasteria, aut ad ordines sacros, vel « clericatus officium tolli exinde monachi non debeant. » Præterea S. Gregorius vetat, eodem decreto, descriptiones bonorum monasterii fieri ab Episcopo; missas quoque publicas ab eo celebrari in cœnobio. « Neque audeat, ait, ibi « cathedram collocare, vel quamlibet potestatem habere « imperandi, nec aliquam ordinationem licèt levissimam « faciendi, nisi ab Abbate loci fuerit rogatus, quatenus « monachi semper maneant in Abbatum suorum potes- « tate [1]. »

1. Labbe, tom. IV, col. 1024. — *Ibid.*, col. 1785, acta Conc. Carth. — Tom. V, col. 1197, 1198.

Hujusmodi ordinationibus providebatur simul auctoritati Episcoporum et securitati monasteriorum. Abbates libere eligebantur a congregatione fratrum, quam semel electi regebant juxta regulas sui proprii Instituti; Episcopi autem servabant jurisdictionem spiritualem. Hæc causa fuit cur plures sanctissimi præsules qui monasteria erexerant, enixe postulaverint a Sancta Sede horumce monasteriorum exemptionem, quatenus regulæ immutari non possent, nec bona alienari, nec tandem disciplina aliquod detrimentum experiri, a suis in Episcopatu successoribus.

II. Quamvis lege communi omnis jurisdictio spiritualis reservaretur Episcopo, concessum aliquando fuit monachis, auctoritate Apostolica, ut exercerent in gratiam Christifidelium sacrum ministerium, cujus, exempli causa, probationem deducemus ex privilegio dato nonnullis abbatibus, et quibusdam aliis regularibus eximia virtute præditis, quibus SS. Pontifices identidem hæc ita indefinite indulserunt : « Concedimus tibi prædicare verbum Dei, « sancti Petri auctoritate et nostra [1]. »

Frequentiores vero evaserunt exemptiones a tempore quo formari incœperunt congregationes sub uno præposito generali : impossibile quidem fuisset providere unitati regiminis, si monasteria in variis provinciis erecta, et regulares ubicumque versarentur explendi sacrum ministerium causa, remansissent sub jurisdictione singulorum Episcoporum. Insuper, per immediatam subjectionem Sanctæ Sedi, efficacius providebatur disciplinæ religiosæ regularium. Exemptiones, immunitatesque a jure episcopali, cum valde prodessent bono communi ordinum, omnibus fuerunt æque probatæ; nec ortas reclamationes et querelas videmus, antequam Mendicantes obtinuerint privilegia

1. Marculphi *Formularum* lib. I *de Privilegio*. Not. ad lib. I Marculphi.-Baluzius, *Capitularia regum Francorum*, t. II, col. 371 et 886. — *Examen historicum lib. Mariani Verhoeven*, cap. IX et XI. — Thomassin, part. I, lib. III, cap. XXVI ad XLI.

prædicandi, sacramenta fidelibus administrandi, fideles ad suas respective Ecclesias adducendi, eo modo qui pluribus visus est derogans juribus parochialibus, ipsique Ordinariorum dignitati.

Nostrum non est harum controversiarum historiam referre, et querelarum, in quibus, ut sæpius evenit in arduis negotiis, utrinque peccatum est. S. Pius V testatur in Const. *Etsi Mendicantium* (an. 1567), ad confirmationem et novam concessionem indultorum pro ordinibus Fratrum Mendicantium data, *plerosque ex Archiepiscopis et Episcopis* horum ordinum privilegiis gravamen afferre conatos esse (§ 1). Verisimile est non defuisse quosdam ex tot prælatis qui magis se sollicitos habuerint de servanda integritate suæ jurisdictionis, quam de obsequio præstando mandatis Sanctæ Sedis, quæ certissime potest, ad consulendum utilitatibus Ecclesiæ universalis, limites apponere jurisdictioni ordinariæ Episcoporum, exemptionibus, seu localibus seu personalibus; at nullatenus dubium est plures regulares occasionem præbuisse querelis Episcoporum, exaggerando jura sibi indulta, iisque utendo modo indebito. Res eo devenerant ut « nisi eorum conatibus Apostolica « Sedes obstitisset, Episcoporum jurisdictionem fere labe« factassent », ait Benedictus XIV in opere *de Synodo*, lib. V, cap. v, n° 6.

Exemptio regularium transiit igitur in jus commune, non omnimoda quidem, sed intra certos limites quos præfinierunt decreta Tridentina et constitutiones Pontificiæ, ut prospiceretur auctoritati Episcoporum; quod mox exponemus.

His præmissis de origine privilegiorum quæ sunt concessa regularibus, dicemus quæ sit jurisdictio Episcoporum : 1° in congregationes exemptas virorum regularium; 2° in congregationes monialium similiter exemptas; 3° tandem in congregationes non exemptas.

494. — II° *Quæ sit auctoritas Episcoporum in congrega-*

tiones Regularium exemptorum, quoad erectionem conventuum, ordinationes, et exercitium sacri ministerii?

Congregationes virorum exemptæ nullatenus subduntur jurisdictioni Ordinarii, in iis quæ spectant ad regimen internum communitatis, ad celebrationem Missarum intra cœnobium et ad sacramentorum dispensationem in favorem fratrum, nec non illorum qui ipsis serviunt, intra eorum septa ac domos resident, subque eorum obedientia vivunt. Multa autem jure statuta sunt quoad fundationes domorum religiosarum, ordinationes regularium, exercitium sacri ministerii in gratiam sæcularium.

I. *Quoad erectionem conventuum.*

Regulares non possunt nova monasteria, domos, nec etiam capellas a suis domibus sejunctas erigere, sine assensu Episcopi loci (n° 450, p. 235). Si regulares velint suam ecclesiam consecrari, debent ad Episcopum diœcesanum recurrere, cui soli id competit, nisi habeatur speciale indultum S. Sedis .

495. — II. *Quoad sacras ordinationes.*

Superiores regulares dirigere debent ad Episcopum diœcesis litteras dimissoriales ac testimoniales quas dant suis subditis ad suscipiendum ordines; nec isti ab alio ordinari possunt, nisi Episcopus absens sit e sua diœcesi, aut ordinationes non sit habiturus. — In eo casu datur prælato regulari facultas suos subditos dimittendi ad quemcumque Antistitem, dummodo non in fraudem, hoc est, nisi de industria litteras dimissorias illis dare distulerit ad tempus quo prævidebat diœcesanum Episcopum abfuturum, aut ordinationem non habiturum; quæ fraus an vere commissa sit, ex circumstantiis facti judicatur. Ita præscripsit Clemens VIII. (Benedictus XIV, *de Synodo*, lib. IX, cap. XVII, n^is 2 et 3.) — Episcopus qui sacros ordines confert, jure potest ordinandum examinare an habeat doctri-

1. Cf. Bened. XIV, *de Synodo*, lib. XIII, cap. XV, n^is 4, 5. — Giraldi, I^a part., sect. 598.

nam requisitam [1]; quod tamen non expedit, nisi sint rationes graves conjiciendi superiorem in eo fuisse negligentem.

Regulares plurium ordinum habent, alii expresse, alii per viam communicationis privilegiorum, facultatem suscipiendi ordines *extra tempora* [2].

Nota 1°. — Ex decreto S. Congregationis (n° 466 p. 260), superiores Regulares non possunt dare litteras dimissorias suis subditis, nisi pro prima tonsura et ordinibus minoribus, donec, triennio expleto a prima professione, vota solemnia emiserint.

Nota 2°. — Ex Const. *Apostolicæ Sedis*, suspensionem per annum a collatione ordinum ipso facto incurrit qui, excepto casu legitimi privilegii, ordinem sacrum contulerit absque titulo beneficii, vel patrimonii, clerico in aliqua congregatione viventi, in qua solemnis professio non emittitur, vel etiam religioso nondum professo.

Nota 3°. — Qui initiantur sacris ordinibusin congregatione regulari, vi indultorum apostolicorum cum litteris sui superioris, si congregationem quacumque ex causa deinceps relinquant, adire debent Episcopum qui illos suscipere velit.

Regulares, scilicet, non obtinent dispensationem super

1. Regularis ab Episcopo diœcesano in examine reprobatus, non potest a suis superioribus mitti ad alium Episcopum pro ordinibus suscipiendis, sed recurrere potest, via appellationis, ad legitimum superiorem.

2. Regulares qui privilegium habent suscipiendi ordines extra tempora, non idcirco existimare debent Episcopum voluntati ipsorum adeo addictum esse, ut si aliquando ipsis placuerit ad ordines promoveri, et voti compotes facti non fuerint ipso die ab ipsis designato, jam dici possit ordinationem ab Episcopo non haberi, et consequenter dari illis facultatem adeundi alium Episcopum. Privilegium datum confert quidem facultatem suscipiendi ordines, sed sub ea conditione quod ordinario loci opportunum fuerit conferre ordines extra tempora consueta. Cf. *Institutionem* XXIII Bened. XIV. Item Const. *Impositi nobis*, diei 27 febr. 1747, de *ordinationibus regularium*

otis solemnibus, quin indulto provideatur futuro illorum ;atui. Non ipsis datur facultas manendi in sæculo, nisi provisi int de patrimonio sacro, pro eorum congrua sustentatione t subjiciantur Episcopo qui illos in sua diœcesi admiserit.)uoad congregationes sæculares, plures Pontifices, præ-ertim Benedictus XIII et Benedictus XIV, ea conditione oncesserunt illarum superioribus facultatem ordinandos ıdmittendi *ad titulum mensæ communis*, ut si ordinati « re-: cedant a Congregatione, eo ipso remaneant suspensi ab (exercitio suorum ordinum, donec constare fecerint ordi-(nariis locorum, sub quorum jurisdictione fuerint, se (aliunde commode vivere posse [1]. » Pius IX similem 'avorem quibusdam Congregationibus concedendo, dandi ;cilicet, numero determinato, litteras dimissoriales alumnis jui ab Ordinario originis rite excardinati, nomen Congre-;ationi dederunt; conditionem etiam adjecit quod « si pia (congregatione relicta, quacumque ex causa, in sæculum (redierint, ab ordinum exercitio suspensi maneant, nec (ad ordines superiores promoveri possint, nisi prius (benevolum Episcopum, qui eos in sua propria diœcesi « tanquam suos subditos recipiat, invenerint. »

Quando nihil ea de re statutum fuit a S. Sede, clerici qui fuerunt ordinati in congregationibus religiosis, cum litteris dimissoriis suorum Episcoporum, aut vi indultorum apostolicorum, sub jure sui Episcopi ad quem pertinebant ante ordinationem reducuntur, si e sua congregatione quacumque ex causa egrediantur. In eo differunt a professis votorum solemnium, qui ob statum permanentem quem amplexi fuerant in perpetuum subtracti sunt a jurisdictione Episcopi : ipsi, vota simplicia emittentes, dimitti vel dispensari facilius solent, et idcirco remanent quodammodo sub jure sui Episcopi, eo scilicet sensu, quod jurisdictio Episcopi originis vel domicilii suspensa est,

1. Giraldi, *Expositio juris Pontificii*, part. II, sect. LIV.

quamdiu professi in Instituto remanent; et post egressum cessat causa propter quam illius exercitium suspensum fuerat[1].

496. — III. Quoad *officium parochiale*, quando parochia unita est monasterio alterive domui religiosæ, regularis quem superior conventus deputat ad munus pastorale, non potest curam animarum assumere absque prævia Episcopi approbatione. Est præterea ejusdem Episcopi jurisdictioni subjectus in omnibus causis et negotiis regiminis ecclesiæ, adeo ut quidquid Episcopus a parocho sæculari exquirere solet ad rectum regimen parochiæ, id omne a parocho regulari exquirere possit. Parochus igitur regularis subest visitationi Episcopali, in iis quæ curam animarum et sacramentorum administrationem spectant; et Episcopus, ubi muneri suo defecisse illum compererit, opportuna decreta condere, ac meritas in eumdem pœnas statuere valet.

Cum Parochi regulares sint amovibiles, Episcopus potest ad illorum remotionem procedere sine assensu superioris regularis, quin teneatur causas sui judicii aperire, multo minus probare. Jus idem reciproce asseritur superiori regulari in suum subditum. Ita indixit Benedictus XIV, Const. *Firmandis*, ann. 1744; qui simul explicavit in quæ extendatur visitatio Episcopalis parochiarum Regularibus commissarum.

IV. Quoad *sacrum ministerium*, extra officium parochiale.

Gregorius XV statuit Cons. *Inscrutabili*, an. 1622: « Regulares in suis ecclesiis prædicare volentes, se coram « Episcopis præsentare et ab iis benedictionem petere te« neantur; in ecclesiis quæ suorum ordinum non sunt, « nullo modo prædicare possint, sine licentia Episcopi:

1. Cf. decisionem S. Cong. Concilii in causa Reatina (nº 170, t. I, p. 286); aliam decisionem in eodem sensu dedit S. Cong. Episc. et Regularium, die 6 maii 1864. Bizzarri, *Collectanea*, p. 766.

« contradicente autem Episcopo, nulli etiam in suorum « ordinum ecclesiis prædicare præsumant... Tam regula« res quam sæculares, quomodolibet exempti, sive anima« rum curam personarum sæcularium... exerceant; sive « aliàs ecclesiastica sacramenta, aut unum ex illis minis« trent, prævia Episcopi licentia et approbatione; in his « quæ ejusmodi curam seu administrationem concernunt, « omnimodæ jurisdictioni, visitationi, et correctioni diœce« sani Episcopi, tanquam sedis Apostolicæ delegati, plane « in omnibus subjiciantur. » Itaque :

1° Regulares, ne in suis quidem ecclesiis, prædicare possunt fidelibus, non obtenta benedictione Episcopi, aut saltem eo contradicente : ideo abrogata sunt privilegia in contrarium olim ipsis indulta. Gregorius ita statuendo confirmavit et ampliavit decretum Conc. Trid., sess. v, cap. II, *de Reform* [1].

2° Nullus regularis potest confessiones sæcularium, etiam sacerdotum, audire, nisi ab Episcopis per examen, si illis videbitur necessarium, aut aliàs idoneus judicetur, et approbationem obtinuerit, privilegiis et consuetudine quacumque etiam immemorabili non obstantibus. Conc. Trid. sess. XXIII, cap. XV, *de Reform.* Clemens X decrevit Const. *Superna,* an. 1670 : « Illos religiosos qui ad confessiones « audiendas idonei generaliter reperti fuerint ab Episcopis, « generaliter quoque, et indistincte absque ulla limitatione « temporis, certorumque locorum, aut generis persona« rum in diœcesi propria admittendos. Cæteros vero qui non « adeo idonei reperiuntur, arbitrio Ordinariorum relinqui « ipsos cum limitata facultate, prout iisdem Ordinariis « videbitur, probare et admittere. »

1. Haud semel declaratum a S. Congregatione fuit Episcopum jus habere inhibendi Regularibus ne in suis Ecclesiis prædicent eadem hora qua ipse in altera Ecclesia concionem habet, aut coram se solemniter prædicari facit. (Bened. XIV, *de Synodo*, lib. IX, cap. XVII, n° 7.)

Exinde sequitur Episcopum posse per seipsum, aut per alium, examinare an regulares idonei sint pro sua doctrina, virtute, atque prudentia, excipiendis confessionibus.

Sequitur admittendos esse, communiter loquendo, ad audiendas confessiones indistincte atque sine limitatione temporis, locorum, aut personarum, quos repererit generaliter idoneos, cæteros vero minus idoneos cum limitata potestate admitti debere, prout Episcopo videbitur.

Dixi *communiter loquendo*, quia si praxis diuturna, vel statutum diœcesanum ferat sacerdotes, v. g., ad annum solummodo approbari, vel juniores non admitti usque ad certam ætatem pro audiendis confessionibus mulierum, non est cur regula illa generalis non applicaretur presbyteris regularibus, eodem modo ac sæcularibus. Clemens X tutos esse voluit regulares a restrictionibus et limitationibus arbitrariis ; nemo autem conqueri jure potest de gravamine, dum subjicitur disciplinæ communi diœcesis. Hæc interpretatio confirmatur auctoritate Benedicti XIV, qui, cum esset archiepiscopus Bononiensis, non existimavit ullo modo contrarium esse constitutioni Clementis statutum generale quod sic edixit : *Facultatem audiendæ confessionis certis limitibus concludendam diximus, ita ut anni spatium nunquam excedat, eoque peracto sacerdos, tum regularis, tum sæcularis, illius prorogationem a nobis petere teneatur.* (*Inst.* LXXXVI, n° 9.)

Sequitur Episcopum, etiamsi facultatem concesserit absque ulla limitatione temporis, posse ad novum examen revocare regulares, quando ratio est timendi ne idonei esse sacro ministerio desierint; quemadmodum potest etiam examinare eos qui examinati et approbati fuerint a suo prædecessore, vel a suo vicario generali. Quod si, peracto examine, opportunum judicaverit facultates concessas auferre, nihil obstat quominus eas retrahere valeat; quod sanctus Carolus in suo concilio Mediolanensi VI prudenter caverat, Episcopum quemque admonendo, ut « a confessio- « nibus audiendis suspendat, aut omnino amoveat confes-

« sarios, etiam regulares, quos viderit in eo munere non « ita sincere, integre, et cum ædificatione se gerere, quem- « admodum et tanti ministerii sanctitas, et animarum « salus deposcit. » At Clemens X statuit, in constitutione mox prolata, « confessiones audiendi facultatem omnibus « simul unius conventus regularibus confessoribus adimi « ab Episcopo, inconsulta Apostolica Sede, nullatenus « posse » ; quia non præsumendum est omnes simul incidisse in reatum qui talem privationem mereatur ; aliunde ea ratione agendi perturbarentur conscientiæ, et occasio daretur scandalo fidelium.

Sequitur tandem regulares non posse absolvere a casibus quos Episcopi sibi reservant, nisi ab ipsis specialem facultatem habuerint.

3° Regulares non debent administrare communionem paschalem, nec viaticum, neque extremam unctionem, iis qui non sunt de familia cœnobii, absque licentia Episcopi.

Per illos qui sunt de familia intelliguntur inservientes regularibus, et sub iis quidem conditionibus : 1° quod iisdem regularibus revera inserviant ; 2° quod intra illorum septa seu domos resideant ; 3° quod sub eorum obedientia, qualem famuli suis dominis profitentur, vivant. Ita fuit statutum Const. Gregorii XIII, *Circumspecta*, an. 1580. Hospitibus vero qui non sunt vere familiares, quamvis degant intra septa monasterii, regulares non possunt extremam unctionem et sepulturam dare, si infirmentur et moriantur, irrequisito parocho, prout haud semel declaravit S. Congregatio Episc. et Regular. (C. Bizzarri, *Collectanea*, p. 618.)

De pueris ad primam communionem admittendis diximus in alia parte, ubi de juribus parochialibus tractatum fuit (n° 241, t. I, p. 425).

4° Non possunt, in propriis etiam Ecclesiis, sanctissimum Sacramentum publice adorandum exponere fidelibus, nisi ex causa quæ probata sit ab Ordinario ; nec novas reliquias ab Episcopo non recognitas exponere. — Offi-

autem divina, sacras functiones, processiones, prædicationes intra ambitum suæ ecclesiæ facere queunt, et ad illas convocare fideles pulsatione campanarum, tempore etiam missæ parochialis. Id fuit ipsis concessum a S. Pio V Const. *Etsi Mendicantium*, qui Ordinariis prohibuit ne impediant fratres, quando eis placuerit, tam in diebus dominicis, seu festivis, quam aliis totius anni temporibus, campanas pulsare, vel celebrare aut celebrare facere quando eis videtur, etiam antequam rector ecclesiæ parochialis celebraverit. Pluries S. Congregatio, exortis difficultatibus inter parochos et religiosos, declarationes dedit in eodem sensu, ad mentem Constitutionis Pii V[1]. Episcoporum est providere ne ex modo agendi regularium, parochiæ detrimentum patiantur, ratione habita temporum et locorum.

5° Tenentur nuntiare, et in suis Ecclesiis servare interdicta, aliasve censuras ab Episcopo prolatas ; accedere ad solemnes supplicationes ab Episcopo indictas ; et si forte oriatur controversia de præcedentia inter sæculares et regulares, vel ipsos inter regulares ad invicem, Episcopi est dissidia componere, amota omni appellatione. (Conc. Trid., sess. XXV, cap. XII et XIII.)

6° Subsunt immediate Episcopis, in iis omnibus quæ ad fidei puritatem referuntur. Quamobrem nequeunt librum imprimere absque prævio examine Episcopi et approbatione ; sub eo enim respectu eadem lege tenentur ac cæteri clerici sæculares. Juxta instructionem Clementis VIII, regulis Indicis adjectam, debent, præter facultatem a Prælato cui subduntur, obtinere licentiam ab Episcopo.

7° Non possunt confraternitates erigere in suis Ecclesiis, nisi de Episcopi consensu.

8° Episcopus potest animadvertere in regulares qui delinquunt extra monasterium, si prælatus regularis, admonitus ab eo, reos delicti punire negligat. In præmissis item

1. Cf. *Acta S. Sedis*, Tom. XI, p. 595-603.

casibus, qui ad prædicationem verbi divini, cultum publicum, sacramentorum dispensationem, etc., spectant... « quoquomodo delinquentes, quoties et quando opus fue- « rit, etiam extra visitationem, per censuras ecclesiasticas, « aliasque pœnas, uti S. Sedis delegati, procedere, om- « nemque jurisdictionem exercere valent. » (Const. *Inscrutabili* Gregorii XV.)

Quod si forte, quod absit, contigerit aliquem regularem insurgere contra Episcopum in propria diœcesi, maledicto, scripto vel dicto, ita notorie quod populo scandalo sit, superior regularis tenetur, instante Episcopo, atque intra tempus ab eo præfigendum, punire severe suum subditum, et de punitione Episcopum certiorem facere ; alioquin ipse Episcopus reum punire poterit ad præscriptum concilii Tridentini, sess. XXV, cap. XIV. Si prælatus regularis, nedum in suum subditum animadverterit, eum impunitum transmiserit ad alia loca sui ordinis extra Episcopi diœcesim, tenetur, sub gravissimis pœnis, regularem delinquentem e loco ad quem transmissus fuit revocare, et in locum ubi deliquit constituere. « Quod si hoc etiam « facere prætermiserit, edixit Clemens VIII, statuimus ut « Ordinarius loci ad quem regularis delinquens transmis- « sus fuerit, ab ipso Ordinario loci in quo deliquit requi- « situs, vel alias de illius delicto informatus, tanquam « Sedis Apostolicæ delegatus, prædictum concilii decretum « omnino exsequi, et in regularem delinquentem severe « animadvertere possit et debeat. » (Const. *Suscepti muneris*, an. 1596.)

497. — Regulares quorum domus non est canonice constituta, sive quod desit numerus competens religiosorum, sive quod servata non sit forma necessaria ad erectionem domorum religiosarum, non potiuntur privilegio exemptionis a jurisdictione Episcopi. (nº 449, t. II, p. 233.)

Hæc cum ita sint constituta, exemptio regularium nihil amplius habet quod jurisdictioni Episcoporum adversum

videri possit. Consulitur simul ordinum religiosorum utilitati et Ordinariorum dignitati.

Nota. — Quæ in præcedentibus dicta sunt de potestate a sacris canonibus asserta Episcopis in regulares exemptos, non applicantur Vicariis Apostolicis, nisi id per Indulta obtinuerint[1].

498. — III° *Quæ sit jurisdictio Episcopi in congregationes monialium exemptarum?*

Congregationes monialium exemptæ subjiciuntur Episcopo, quemadmodum Congregationes virorum, in iis quæ ad fundationem novi conventus referuntur. Præterea Episcopus jus habet : 1° probandi postulantes et novitias antequam admittantur ad habitum religionis, et ad professionem; 2° invigilandi super clausura, et super accessu extraneorum ad monasteria monialium; 3° adsistendi electioni superiorissæ; 4° probandi confessarios qui electi fuerint a Prælatis regularibus; et deputandi confessarium extraordinarium, sæcularem aut regularem, quando id neglexerunt Prælati regulares, vel gravis urget alia causa; 5° invigilandi administrationi bonorum temporalium.

De tribus articulis prioribus dictum est supra. (n^is 462, 467, 490).

I. *Quoad confessarium monialium exemptarum*, hæc definita sunt a S. Sede.

1° Necessaria est approbatio Episcopi confessariis quos Prælati regulares deputant, adeo ut invalida sit absolutio, si desit hæc approbatio, quod intelligendum est de ipsis etiam Prælatis regularibus, si attentent excipere confessiones monialium sibi subjectarum. Episcopus removere potest, ex causa rationabili, confessarios deputatos et approbatos, si superiores admoniti eos removere detrectent, nec rationem suæ determinationis tenetur significare superioribus.

1. Id sequitur ex responsis haud semel datis a S. Cong. de Propaganda. (*Collectanea decret... S. Sedis ad usum operariorum societatis Missionum ad exteros*, pag. 12, n^is 14, 15, 16.)

2° Approbatio data pro monialibus protrahitur ad triennium, quo elapso, confessarius non potest confessiones audire in eodem monasterio, nisi licentiam obtinuerit a S. Congregatione; aliàs declaratur suspensus ab audiendis confessionibus. S. Congregatio non consuevit dare hujusmodi facultatem nisi ad aliud triennium, addita insuper conditione quod accedat consensus duarum saltem ex tribus partibus monialium, capitulariter et per suffragia secreta præstandus. Expleto secundo illo triennio opus est novo indulto, et recurritur ad S. Pontificem.

3° Regulares Prælati monialibus sibi subjectis confessarium ordinarium e suo ordine designare solent; extraordinarium autem, saltem semel in anno, deputare debent sæcularem aut ex alio ordine regulari; adeo ut si intra tempora præscripta, confessarium extraordinarium deputare neglexerint, vel semper proprii ordinis regularem ad hunc effectum deputaverint, ad Episcopum diœcesanum devolvatur, omni appellatione remota, jus supplendi eorumdem prælatorum defectum, sacerdotem assignando, aut e clero sæculari, aut ex alio ordine regulari.

4° Quamdiu confessarius extraordinarius alicui communitati deputatus suo ministerio fungitur, confessarius ordinarius abstinere debet ab excipienda confessione alicujus monialis, alteriusve cujuscumque personæ intra septa monasterii commorantis. Confessario autem extraordinario, postquam suum officium expleverit, districte inhibitum est, sub variis pœnis, ne ad idem monasterium ulterius accedere, aut ullius generis commercium intra ipsum quomodocumque continuare et fovere, etiam sub spiritualis causæ aut necessitatis obtentu, præsumat. (Const. Benedicti XIV, *Pastoralis curæ*, an. 1748 [1].)

Notandum minime expedire et non esse regulis consen-

1. Ferraris, v° *Monialis*, art. v. — Lucidi, *de Visit. Sacr. Lim.*, vol. II, pag. 176. Decret. Cong. Episc. et Reg. an. 1708. — Bizzarri, *Collectanea*, pag. 327.

taneum ut idem utroque officio, tum superioris, tum confessarii in eodem conventu fungatur; quod æque dicemus de congregationibus non exemptis.

II. *Quoad regimen bonorum temporalium.*

Non subditur, natura rerum, jurisdictioni Episcopi; hæc enim per se non sunt objectum jurisdictionis spiritualis, sed penès communitatem remanent quæ illorum habet dominium. Conveniens tamen erat ut Episcopus invigilaret huic administrationi ad præcavendos abusus, et detrimenta quæ exinde tum ipsæ communitates, tum religio, paterentur. Hinc statutum fuit a Gregorio XV, Const. *Inscrutabili*, ut administrantes bona ad monasteria sanctimonialium, « etiam Regularibus subjectarum pertinentia, singulis an« nis rationes administrationis reddere teneantur, ad idque « remediis juris cogi et compelli queant; liceatque Epis« copo ex rationabili causa superiores admonere ut ejus« modi administratores amoveant. » (§ 5.) S. Congregatio Regularium, sæpe ea de causa interrogata, declaravit ad mentem constitutionis Gregorii XV, Episcopum non debere se ingerere in administrationem directam bonorum, sed ab eo approbandos esse administratores extraneos quos conventus elegerit; ipsi reddendas esse rationes singulis annis, quas approbat aut improbat, reformationes abusuum, si locus fuerit, injungendo; nullas impensas extraordinarias, nec commutationes immobilium, nec acquisitiones onerosas in re gravis momenti, aliosve actus hujusmodi, fieri posse, eo non consulto.

499. — IV° *Quæ sit jurisdictio Episcopi in congregationes non exemptas?*

Vel congregationes fuerunt approbatæ a S. Sede, vel non.

I. Quamdiu congregationes religiosæ, sive virorum sive mulierum, non obtinuerunt approbationem a Sancta Sede, dimittuntur prudenti arbitrio Episcoporum in omnibus quæ ex natura rerum subsunt jurisdictioni spirituali; Episcopi vero rationem habere debent votorum, si, de sua vel suorum

prædecessorum licentia, emissa sint, et regularum quæ eadem auctoritate fuerint stabilitæ. Nihil immutari oportet nisi suadeat necessitas, aut accedat consensus illorum quorum interest, in conditione votorum, nec in obligatione quam regulæ inducunt; alioquin forte pessumdaretur pium ac utile institutum.

Status ille diu perdurare difficile poterit, præsertim si congregatio domos fundaret extra diœcesim; qua enim ratione provideretur unitati regiminis congregationis, cujus conventus, per varias provincias constituti, subderentur auctoritati Ordinariorum, qui singuli, in sua respective diœcesi, possent regulas immutare, aut egressum e conventu prohibere, vel etiam obstare quominus domus visitetur a superiorissa generali? Ergo recurrendum est ad Summum Pontificem, ut congregatio stabilitate fruatur, approbatis, auctoritate apostolica, ipsius constitutionibus.

II. Quando congregatio fuit approbata a S. Sede, cum suis constitutionibus et regulis, Episcopus nihil immutare valet, sed dimittere debet religiosis curam suum institutum regendi juxta ordinem præstitutum probatumque. Porro regimen internum, seu administratio Instituti, hæc tria præsertim complectitur : 1° libertatem electionis superioris generalis et superiorum localium ex præscripto regularum; 2° jus superioris generalis providendi observantiæ regularum, et visitandi personaliter, aut per alios ab eo deputandos, domos suæ congregationis; 3° facultatem disponendi de bonis communibus ad providendum utilitatibus Instituti, servatis jure servandis. Sunt hæc totidem consectaria approbationis obtentæ.

III. Hæc communia sunt congregationibus virorum et mulierum.

Superiores congregationum virorum qui ad clerum sæcularem pertinent, non habent jure communi jurisdictionem spiritualem utriusque fori. (n° 492.) Quapropter, nisi speciale Indultum obtinuerint a S. Sede, necesse est ut ad

Episcopum recurrant, quoties agitur de actibus jurisdictionalibus, v. g., de deputatione confessarii, de dispensatione super legibus canonicis, de absolutione a censuris, etc... Quidquid vero ad regimen communitatis, et ad bonorum temporalium ejusdem communitatis administrationem refertur, illis demandatur, adeo ut non teneantur de iis rationem reddere Episcopo, sed ipsi omnibus provideant servando regulas sui Instituti.

Praxis generalis disciplinam Ecclesiæ in eo sensu interpretatur atque confirmat. Episcopo curandum est solummodo de integritate fidei, de puritate et decentia cultus divini, de observantia regularum generalium juris canonici. Jus habet visitandi domos religiosorum et corrigendi abusus qui irrepserint contra regulas communes jure canonico indictas.

Si necessarium videatur aliquam inducere reformationem in regimine Instituti, et auctoritas superiorum sit insufficiens ad instaurationem disciplinæ, Episcopus recurret ad S. Pontificem qui provideat, deputando commissarium apostolicum.

Superiorissæ communitatum mulierum jus pariter habent suum institutum regendi, nec fas est Episcopis locorum immutare regulas quas approbavit Sancta Sedes. Si omnes domus ejusdem congregationis intra limites diœcesis sitæ sint, Episcopus poterit illas visitare, inquirere an regula Instituti servetur, an vigeat integritas disciplinæ, supplere negligentiam superiorissæ, mandata opportuna ad instaurationem disciplinæ, et modum convenientem clausuræ indicere.

Debet præterea Episcopus invigilare administrationi bonorum temporalium; quod enim ipsi jure fuit attributum quoad monasteria etiam exempta, a fortiori ei competere censetur erga domos religiosas mulierum, quæ ipsius jurisdictioni ordinariæ subsunt. Hæc, inquam, cuncta aget, providebitque paterna sollicitudine bono communi

totius Congregationis et singularum domorum; non quidem dispensando bona Congregationis, prout ipsi visum fuerit expedire, id jus ipsi non competit; sed præcavendo ne Congregatio se negotiis immisceat, et sumptibus implicet quibus temere oneraretur ultra suas facultates, quod gravissima pericula inducit.

Si institutum habeat domos in variis diœcesibus, ut v. g., congregatio *puellarum Charitatis*, *sororum Sacri Cordis*, *sororum Sancti Caroli*, etc., sub una superiorissa generali, non levis est difficultas, ob diversa jura Episcoporum locorum; præsertim si agatur de visitatione domorum, de translatione virginum de una domo in alteram, et de bonorum temporalium administratione. Contingere enim potest ut Episcopus recuset expetitam licentiam, velitque retinere in sua diœcesi virginem quam superiorissa opportunum ducit ad alterum conventum transferre; potest etiam contingere ut non probet rationem administrationis bonorum quæ, licèt in sua diœcesi sita, pertinent nihilominus ad Institutum generale. Quo magis extensa erit per provincias congregatio, eo frequentior erit occasio conflictuum, inter Episcopos locorum et superiorissam generalem.

Ut conflictibus obviet, S. Sedes dat Congregationi Cardinalem protectorem cum jure providendi necessitatibus, aut commissarium apostolicum cui demandatur cura Instituti. Donec vero providerit per specialem delegationem, merito præsumitur ex approbatione data Congregationis constitutionibus, voluntatem S. Pontificis esse ut in his quæ ad regimen Instituti necessaria sunt, qualia sunt accessus sororum ad capitulum generale, translatio unius vel plurium sororum e domo in aliam domum etiam alterius diœcesis, administratio bonorum temporalium Congregationis, etc., etc., superiorissa generalis Episcoporum loci auctoritati non subjiciatur, cum aliter impossibile sit servare unitatem et attingere efficaciter scopum. Remanet singulis Episcopis jus

invigilandi ne in sua diœcesi aliquid inordinatum fiat; remanet integra jurisdictio pro cultu divino et pro deputatione confessariorum; remanet tandem jus visitationis canonicæ, quod cætera omnia complectitur [1].

500. — V° *Quid jure statutum sit de deputatione confessariorum pro conventibus monialium quæ vota simplicia emittunt?*

Easdem fere regulas præscripsit S. Congreg. Regularium quæ servandæ sunt pro conventibus monialium exemptarum.

1° Ad Episcopum pertinet jus eligendi confessarium; nisi tamen cautum sit in regulis approbatis Instituti, ut superiorissa proponat Episcopo sacerdotem quem suæ communitati utilem fore existimat, quatenus ipse Episcopus illum aptum judicaverit.

2° Deputari non debent ad munus confessarii vicarii generales, ne moniales priventur libertate sufficienti in

1. Vid. Breve Bened. XIV *Quamvis justo*, et *Emanavit* 21 jan. 1758. — Lucidi refert vol. II, pag. 287, textum Constitutionum quas S. Sedes approbavit pro nonnullis congregationibus constitutis sub superiorissa generali; unde normam in similibus circumstantiis sumere licet, ad conciliandum officia erga Episcopos locorum cum necessitatibus regiminis Instituti.

Quando communitates religiosæ, cum mulierum, tum etiam virorum sub eodem Instituto manent, moniales, ut plurimum, præter obedientiam communi generalissæ debitam, auctoritati subduntur superioris totius Instituti, superioris utique virorum, juxta regulas. Sic societas puellarum Charitatis S. Vincentii a Paulo nuncupata, subest quoad suum regimen supremo moderatori Presbyterorum Missionis. Tale est etiam Institutum sororum a S. Corde Jesu et Maria quod coalescit sodalium virorum domibus, itemque domibus mulierum. Si excipias similes casus, scilicet congregationes *eodem* modo ordinatas, S. Sedes concedere non consuevit ut conventus virginum habeant superiorem generalem.

Quamvis Episcopus auctoritatem exercere queat super domibus in sua diœcesi constitutis, nihilominus in ea quæ generale totius Instituti regimen spectant se non potest ingerere, etiamsi primaria Instituti domus in sua diœcesi reperiatur; uti declaratum fuit, sub Gregorio XVI, de Domo sororum Sacratissimi Cordis, Parisiis constituta. (Lucidi, loco cit. n. 446.)

directione spirituali. Nec etiam deputandi forent Parochi, si exinde cura animarum notabile detrimentum pateretur; seu canonici, si ea de causa chorale servitium negligi contingeret.

3° Confessarii monialium in suo munere uno tantum triennio perdurant, quo elapso non possunt amplius per aliud tempus audire confessiones in eodem monasterio absque venia S. Cong. Reg.; aliter declarantur suspensi ab audiendis confessionibus. — Anno 1847, cum inter alia Episcopus Tridentinus dubium proposuisset : «... An « confessarii ordinarii sint singulis trienniis mutandi, etsi « fœminæ in conservatoriis degentes, cum non sint stabili- « tate loci impeditæ, identidem præsertim sorores Chari- « tatis hospitalibus inservientes, passim de una domo et « loco in alium locum et domum transferantur? » Rescriptum est : « Affirmative, et S. C. concedit actuali Episcopo « facultatem confirmandi semel aut bis tantum, pro sua « prudentia, servatis tamen servandis. »

4° Confessarius approbatus pro uno monasterio non idcirco approbatus censetur pro aliis monasteriis, nisi aliter declaraverit Episcopus.

Hæc ordinata sunt ad consulendum utilitati spirituali virginum Deo dedicatarum. Regimen spirituale monialium non aliis committi potest quam viris virtute et pietate probatis. Cavendum præterea ne affectu humano adhæreant personæ confessarii; et etiam ne libertate conscientiæ necessaria nonnullæ ex eis priventur, si per longum tempus eumdem confessarium adire teneantur [1].

Declarationes datæ a S. C. Reg. indicant quæ sit disciplina usu inducta, et ad mentem S. Sedis servanda, quoad fieri possit. Præsules nostri, cum in statu præsenti rerum non possent in suis diœcesibus habere numerum sacerdo-

1. Ferraris, v° *Monialis*, art. v, n^{is} 19-30. — S. Liguori, lib. VI, n° 577. — Lucidi, *de Visit. Sacr. Lim.*, vol. II, de v° *rel. capite*, n^{is}. 143-164 ; 183.

tum ad id officium idoneorum sufficientem, ut alios confessarios loco priorum substituant transacto triennio, ratione habita necessitatis temporum et cum assensu S. Sedis, eligunt in confessarios monialium quos magis idoneos cognoscunt, illudque tanti momenti officium tamdiu eisdem prorogant, quamdiu in Domino opportunum existimant. Concilium Avenionense, an. 1849, decretum edidit quo insinuatur id committi prudentiæ Episcoporum : « *Si com-« mode fieri potest*, ordinarius confessarius ad triennium « tantum approbatur pro eodem monasterio, *saltem* clau-« suræ subjecto. » (Tit. VII. cap. II.)

Articulus VIII. — De Privilegiis regularium.

501. — I. Regulares plura privilegia assecuti sunt, præter exemptionem a jurisdictione ordinaria Episcoporum, de qua mox dicebamus. Hæc privilegia continentur in pluribus constitutionibus quas regulares *Mare magnum* nominant, præsertim in Bulla Sixti IV, *Regimini universalis Ecclesiæ*, anno 1474 edita [1], et in indultis apostolicis re-

1. *Mare Magnum* dicunt diplomata, seu pontificias constitutiones quibus ampliantur et firmantur privilegia regularium. Sixtus IV, S. Francisci, ordinisque Minoritarum filius, ut sui grati animi erga utrumque perennaret monumentum, gratias a suis prædecessoribus datas confirmavit et auxit per citatam Bullam *Regimini;* et cum alios etiam ordines Mendicantes magno affectu dignaretur, similem fere constitutionem Prædicatoribus, Carmelitis, et Eremitis S. Augustini concessit quam regulares, assumpta metaphora, *Mare magnum* vocaverunt. « Concussum autem est mare Tridenti et fines ejus « coarctati, ait collector Bullarii Capuccinorum, dum plura in eo « contenta indulta in habita ibi œcumenica synodo fuerunt vel revo-« cata vel modificata. » Opportunum igitur duxit præfatus collector Bullam Sixti IV ex una parte folii ex integro dare, ad latus autem alterum inserere revocationes, modificationes atque declarationes per decursum temporis a S. Sede factas. (*Bullarium... pro ordine Minoritano...* a P. Fr. Michaele Helveto-Tugiense, Ordinis Capuccinorum, tom VI, pag. 158-198.) Giraldi transcripsit elenchum privilegiorum a conc. Trid. abrogatorum, in sua *Expositione juris pontificii*, part. I, sect. 893, *Appendix ad titulum de Privilegiis.*

centiori ætate concessis. Referuntur ad indulgentias quas Regulares lucrari possunt; ad facultates ipsis concessas missas privatas dicendi, officium divinum recitandi ante horas jure communi præfixas, etc.; absolvendi a casibus papæ reservatis, exceptis tamen nonnullis; dispensandi super votis, et certis legibus canonicis, etc., de quibus disserit S. Liguori in libro *de Privilegiis.*

Alia sunt privilegia specialia nonnullis ordinibus : v. g., privilegium datum superioribus Ordinis fratrum Beatæ Mariæ de Monte Carmelo, benedicendi, per se vel per alios a se deputandos, *parvos habitus*, seu *scapularia* gestari solita a confratribus confraternitatum de Monte Carmelo, ubicumque erectarum, vel erigendarum; — privilegium datum magistro generali Ordinis Prædicatorum, erigendi societates *sanctissimi Rosarii*, et litteras concedendi facultativas, sive regularibus, sive sæcularibus, ut, de consensu ordinarii locorum, dictas societates erigere valeant: — facultas concessa Ministro generali Ordinis Minorum et Regularibus ab eo dependentibus, erigendi, privative ad quoslibet alios, *viam Crucis*, de consensu Ordinarii, in locis ubi existit Ordo *Minorum Observaniæ* S. Francisci.

Nota. — Quando facultatibus sacerdoti sæculari concessis adponitur conditio, qua delimitatur ad loca ubi *Ordo S. Dominici seu Francisci non existit*, conditio intelligenda est stricto sensu, sub pœna nullitatis : erectio, si quam facere præsumeret societatis, viæ crucis, etc., etiam cum assensu sui Episcopi, non obstante illa clausula restrictiva, vi careret. Cæterum Ordo non censetur existere nisi in loco ubi conventus habet. Nihil quidem refert, an sint exempti a jurisdictione Episcopi, vel ejusdem jurisdictioni subordinati, siquidem hæc privilegia non habent ab Episcopo, sed ab Apostolica Sede; verum necesse est et sufficit illos conventum in loco fundasse cum beneplacito S. pontificis et licentia Episcopi. (N[is] 449, 450, 451, t. II, p. 223-241.)

Non sinit ratio nostri instituti, ut cuncta privilegia regu-

larium in specie referamus; nonnulla citasse, exempli causa, nobis satis erit.

Plura abrogata fuere a concilio Tridentino et SS. Pontificum constitutionibus : alia expresse, decretis quibus addita est clausura revocatoria: *Non obstantibus privilegiis in contrarium aut consuetudine etiam immemorabili;* alia implicite, editis legibus quæ privilegiis regularium adversantur. Nonnulli olim propugnaverunt licitum esse regularibus uti in foro interno privilegiis etiam expresse revocatis, quam temerariam opinionem proscripsit Alexander VII. Est propositio XXXVI[a] inter damnatas, quæ sic habet: « Regulares possunt in foro conscientiæ uti privilegiis suis « quæ sunt expresse revocata per concilium Tridenti- « num. »

Difficilior est quæstio de revocatione implicita : an scilicet cessaverint privilegia quæ decretis concilii contraria sunt, quando iisdem decretis addita non est clausula revocatoria. Plures affirmant, quia: 1° concilium non ignorabat hæc privilegia; quapropter, dum condidit leges contrarias, censetur voluisse ea abrogare; 2° Pius IV, Const. *In principis*, revocavit quæcumque privilegia decretis Tridentinis contraria; 3° Pontifices qui, successu temporum, privilegia quædam innovarunt, clausulam plerumque inseri curaverunt : *dummodo decretis Tridentinis non adversentur.* Alii aliter opinantur, quia nulla lex, constitutio, nec decretum quantumvis generaliter latum, derogat particularibus locorum aut personarum statutis, prærogativis, consuetudinibus, nisi talem effectum exprimat legislator : quia hæc probabiliter ignorat, uti alibi diximus ubi *de Consuetudine*[1] (n° 20, t. I, p. 34) Bullæ SS. Pontificum volunt quidem decreta concilii observari, sed non in alio sensu quam voluit ipsummet concilium; ergo quum concilium non censeatur voluisse derogare privilegiis, quando non adhibuit clausulam

1. Cf. Schmalzgrueber, in tit. DE PRIVILEGIIS, n° 236-239; — Reiffenstuel. n[is] 135-148.

derogatoriam, sequitur nec SS. Pontifices iisdem privilegiis derogasse, confirmando concilium.

Quidquid sit de quæstione speculative considerata, regulares qui prætendunt gaudere privilegiis quæ sunt contra jurisdictionem ordinariam Episcopi, debent ea notificare Episcopo, atque, eo instante, diploma privilegiorum ex integro exhibere, si eis uti velint; siquidem Episcopus non tenetur fidem adhibere assertioni illorum quorum interest. Donec sibi constiterit de obtentis privilegiis, Episcopus potest præcipere, etiam sub comminatione censurarum, ut regulares abstineant; quod si vero, exhibitis diplomatibus, verba videantur obscura et ambigua, adeundus erit S. Pontifex, intereaque cuncta in suspenso manebunt [1].

502. — II. Regulares privilegia obtinent, non solum decreto directo R. Pontificis et consuetudine, sicuti aliæ personæ ac communitates sæculares, sed insuper communicatione. *Communicatio* consistit in participatione privilegiorum quæ superior, concedendo alicui ordini, ad alios etiam vult extendi. Regulares Mendicantes plenissimam habent inter se communicationem privilegiorum; imo participant privilegia aliis ordinibus non mendicantibus concessa, quod pluribus constitutionibus statutum fuit, ex quo tempore Sixtus IV primam communicationem indixit inter Fratres Minores et Prædicatores, « ut quos par labor, pa« riaque merita conjungebant, paria conjungerent privile« gia et favores [2] ». (Bulla *Regimini*, § 46.)

Animadvertendum est : 1° privilegium uni regulari privato concessum non communicari aliis regularibus; 2° nec communicari privilegia aliquibus Ecclesiis ad tempus determinatum concessa; 3° nec etiam privilegia data or-

1. Plures quæstiones resolutæ reperiuntur in eo sensu a Constitutione *Cum sicut*, quæ data fuit cum declarationibus S. Congreg. ab Innocentio X, occasione difficultatum ortarum inter Episcopum et PP. Jesuitas.

2. Cf. Ferraris, v° *Privilegium*, art. I; Reiffenstuel, et alios passim Decretalium interpretes, in tit. XXXIII, lib. V Decret.

dini ob rationem ipsi peculiarem quæ in cæteris locum non habet; 4° non fieri communicationem privilegiorum in iis quæ sunt contraria regulis et constitutionibus ordinis; 5° non communicantur privilegia quæ sunt in præjudicium tertii, vel sunt aliis onerosa, præsertim quæ sunt jurisdictionis ordinariæ Episcoporum læsiva, nisi fiat a S S. specialis et expressa concessio [1]; 6° tandem non dari communicationem inter congregationes religiosas quæ non habent vota solemnia [2].

503. — III. Regularibus concessum fuit jus sibi eligendi conservatores qui ordinis jura et privilegia tueantur adversus contradicentes [3] : habent præterea a S. Pontifice Cardinalem protectorem.

1° *Conservatores* eliguntur ex judicibus synodalibus; quod si synodus diœcesana nullos judices designaverit, integrum erit regularibus, ne suo jure priventur, assumere quem voluerint in conservatorem, modo cæteroquin præstet qualitatibus requisitis, scilicet sit constitutus in dignitate ecclesiastica, vel personatum, aut canonicatum obtineat in capitulo cathedrali. Regulares non possunt eligere unum conservatorem generalem qui negotiis ordinis provideat, undequaque causæ oriantur, sed conservatorem particularem qui versetur in diœcesi in qua conventus habent [4]. — Conservatores, nominati et electi a regularibus

1. Cf. Bizzarri, *Collectanea*, pag. 798 et seq. die 16 sept. 1864.

2. Tertiarii fruuntur tamen communicatione gratiarum spiritualium et indulgentiarum quæ majoribus ordinibus concessæ sunt. — Item apud nos carmelitanæ, et aliæ moniales ordinum qui olim, vel etiam nunc in aliis nationibus habent vota solemnia, perfruuntur, ex concessione S. Pontificis, communicatione privilegiorum et gratiarum spiritualium quæ sanctimonialibus ejusdem ordinis concessæ sunt.

3. Hæc electio *Conservatorum* non fuit exclusive attributa ordinibus regularibus : S. Sedes simili jure donavit universitates, collegia, loca pia, hospitalia,.. quibus id utile judicavit. (V. Concilium Trident., sess. XIV, cap. V.)

4. Cf. Benedict. XIV, *de Synodo*, lib. IV, cap. VI; Matthæucci, cap. XV.

tenentur, ante exercitium suæ jurisdictionis, authenticum documentum electionis exhibere coram Ordinario, sub pœna nullitatis actuum.

Officium conservatoris est tueri regulares ab injuriis et violentiis notoriis, si quis præsumat illorum jura invadere, aut turbare usum privilegiorum in causa aperta, quæ nullam indaginem judicialem exposcat. Non debent itaque conservatores cognoscere de causis criminalibus et mixtis, neque de causis mere civilibus, si regulares sint actores; hujusmodi enim causæ ad locorum Ordinarios pertinent. Judices constituuntur in causis tantummodo civilibus ac notoriis, in quibus regulares gravamen ex parte sibi contradicentium, suaque privilegia violantium, experiuntur. Quando regulares de injuria illata queruntur, conservator, pro officio commisso, citat reum, ut in suis defensionibus illum audiat, etiam et testes qui de injuria testimonium ferant. Si de notorietate constet, jus habet reum coercendi, inflicta excommunicatione; si autem probabile aliquid allegetur contra prætensam notorietatem, adeo ut res non sit notoria facti evidentia, nec ita clare probetur testium depositione ut nullus supersit tergiversationi locus, a judicio ferendo abstinere tenetur.

Hæc paucis dixisse sufficiat de officio quod in nostris regionibus committi non solet cum prærogativis jure canonico statutis. Regulares in causis sui instituti ad Episcopum diœcesis qui illorum jura tueatur, confugiunt; aut recurrunt ad S. Pontificem, si forte aliqua ipsos inter et Episcopum suboriatur difficultas, quam non aliter definiri posse præsumunt.

2° SS. Pontifices consueverunt assignare singulis ordinibus et congregationibus religiosis *Cardinalem protectorem*. Cum vero, sæculis præteritis, protectores sua jura nimium extenderent, ac dominari potius viderentur ordinibus quam eos protegere, officium illud restrictum fuit pluribus constitutionibus SS. Pontificum, præsertim Const.

Christifidelium, Innocentii XII, anno 1694, ad terminos canonum, juxta quos jurisdictio integra et illæsa remanet penes Ordinarios, superiores scilicet regulares, si agatur de congregationibus exemptis; et Episcopos, si agatur de non exemptis; dato, in utroque casu, recursu ad S. Congregationem Regularium.

Qui protectorem obtinent non dicuntur sub illius jurisdictione, sed sub illius defensione constitui. Cardinalis protector nullam consequenter habet, hodierna ætate, jurisdictionem proprie dictam, nullam competentiam fori peculiaris. Ordinem sibi commendatum in statu pacifico conservat, ab impugnantibus et molestantibus protegit, in illius gratiam pro gravioribus negotiis intercedit apud S. Pontificem et Congregationes; ac tandem sua prudentia invigilat, non tamen se in regimen internum immiscendo, ut Prælati suo fungantur officio, et ne inferiores a superioribus opprimantur [1]. Præsidet, quando præsens est in locis ubi aguntur, capitulis generalibus Instituti et electiones factas confirmat.

Cæterum quando in approbatione alicujus congregationis constituitur Cardinalis protector, seu postea eidem congregationi datur, perpendendum est an et qualia jura et privilegia S. Pontifex illi concesserit.

APPENDIX AD SECTIONEM V[am]

DE LEGE CIVILI CIRCA CONGREGATIONES RELIGIOSAS.

Expositis sanctionibus canonicis de statu religioso, nonnulla subjungemus per modum appendicis, de ordinationibus potestatis civilis.

1. Cf. Petra, *Commentaria* in Const. IV Gregorii XI, p. 162 et constitutionem citatam Innocentii XII, *Christifidelium*.

504. — I° Anno 1790, die 19 februarii, lege civili suppressa sunt monasteria in quibus fiebant vota solemnia : « La loi constitutionnelle du royaume ne reconnaîtra plus « de vœux monastiques solennels de personnes de l'un et « de l'autre sexe : en conséquence, les ordres et les con- « grégations réguliers, dans lesquels on fait de pareils « vœux, sont et demeureront supprimés, sans qu'il puisse « en être établi de semblables à l'avenir. » Annis subsequentibus, suppressæ etiam fuerunt congregationes religiosæ votorum simplicium, ne iis quidem exceptis quæ pauperum et ægrotorum curæ addicebantur; quando autem temporibus infaustis paulo meliora successissent, gubernium civile aliquas congregationes virorum et mulierum admisit, adjecta conditione quod in eis emitterentur tantummodo vota simplicia. Decretum an. 1809, diei 18 febr., sororibus instituti hospitalaris concessit ut vota ad quinquennium emitterent, si tamen ætatis suæ annum vigesimum primum compleverint.

Communitates, seu virorum seu mulierum, institui non possunt cum facultatibus corporis moralis in ordine civili, absque approbatione data a gubernio; quæ quidem approbatio non datur nisi prævio examine statutorum, et conceditur decreto principis, vel lege, pro varia conditione instituti.

Decretum 31 januarii anni 1852 statuit : « Art. 1er. Les « congrégations et communautés religieuses de femmes « pourront être autorisées, par un decret du Président de « la République : 1° lorsqu'elles déclareront adopter, quelle « que soit l'époque de leur fondation, des statuts déjà « vérifiés et enregistrés au conseil d'État, et approuvés « pour d'autres communautés religieuses ; 2° lorsqu'il sera « attesté par l'Évêque diocésain que les congrégations qui « présenteront des statuts nouveaux au conseil d'État « existaient antérieurement au 1er janvier 1825 ; 3° lorsqu'il « y aura nécessité de réunir plusieurs communautés, qui « ne pourraient plus subsister séparément ; 4° lorsqu'une

« association religieuse de femmes, après avoir été d'abord « reconnue comme communauté régie par une supérieure « locale, justifiera qu'elle était réellement dirigée, à l'épo- « que de son autorisation, par une supérieure générale, et « qu'elle avait formé, à cette époque, des établissements « sous sa dépendance.— Art. 2. Les modifications des statuts « vérifiés et enregistrés au Conseil d'État pourront être « également approuvées par un décret.— Art. 3. Dans les « cas prévus par les articles précédents, l'autorisation ne « sera accordée aux congrégations religieuses de femmes « qu'après que le consentement de l'Évêque diocésain aura « été représenté, et que les formalités prescrites par les arti- « cles 2 et 3 de la loi du 24 mai 1825 auront été remplies. »

Aliæ communitates, quæ nimirum nova statuta præferunt, et congregationes religiosæ virorum, non aliter adipiscuntur statum civilem, cum jure possidendi in commune, quatenus communitates religiosæ, quam vi legis more consueto deliberatæ in cœtu legislativo.

Hæc autem statuta sunt pro bonorum temporalium adeptione atque regimine, in favorem communitatum rite approbatarum :

« Art. 1er. Tout établissement ecclésiastique reconnu « par la loi pourra accepter, avec l'autorisation du roi, « tous les biens meubles, immeubles ou rentes, qui lui « seront donnés par acte entre-vifs ou par acte de dernière « volonté. — Art. 2. Tout établissement ecclésiastique re- « connu par la loi pourra également, avec l'autorisation du « roi, acquérir des biens immeubles et des rentes. — Art. 3. « Les immeubles ou rentes appartenant à un établissement « ecclésiastique seront possédés à perpétuité par ledit éta- « blissement, et seront inaliénables, à moins que l'aliéna- « tion n'en soit autorisée par le roi. » (Lex 2 januarii anni 1817.) Lex 24 maii 1825 eadem statuit pro communitatibus mulierum, at simul coarctavit facultatem acquirendi, articulo 3 qui fert : « Nulle personne faisant partie

Gubernium sæculare iniit cum Sancta Sede, et juri publico singulis civibus libertatem affirmanti sequendi suam quisque religionem, modo nihil agat quo offenderentur ordo publicus, boni mores, jura aliorum (T. II, p. 188.)

II. Legislatio civilis Galliæ non obstat, nec jure obstare posset quin cives polleant libertate profitendi vitam religiosam.

Objici non debent leges sub veteri Galliarum regimine latæ, quibus requirebatur assensus Principis sæcularis ad formandum Institutum religiosum, nec decreta proscriptionis tempore perturbationis contra omnes ordines edicta. Leges referuntur ad ordinem rerum qui amplius non subsistit, quo nimirum vota religiosa agnoscebantur a Gubernio, illius patrocinio tutabantur, atque effectus civiles producebant. Non sunt apud nos hujusmodi communitates; vota, si qua emiserint fideles, sive ad tempus, sive in perpetuum, sunt fori conscientiæ, nullamque relationem habent ad statum civilem. Nihil dicendum de decretis proscriptionis quibus opprimebatur libertas; quis sapiens velit ea suscitari?

Remotis igitur legibus ac decretis quæ hodiernæ constitutioni Reipublicæ contraria sunt, nullam hujusce ævi legem novimus, legem certam, indubie a jurisperitis admissam, quæ obstare possit existentiæ communitatum religiosarum. Nihil arbitrio hominum dimittitur, quidquid a lege non vetitum est, licitum reputatur; quod ad conventus, seu associationes attinet, unus solum articulus citatur codicis pœnalis, sub eo titulo : *Des Associations ou réunions illicites*, articulus nempe 291, qui ita statuit : « Nulle association de plus de vingt personnes dont le but « sera de se réunir, tous les jours, ou à certains jours mar- « qués, pour s'occuper d'objets religieux, littéraires, politi- « ques ou autres, ne pourra se former qu'avec l'agrément « du Gouvernement, et sous les conditions qu'il plaira à « l'autorité publique d'imposer à la société. Dans le nombre

« de personnes indiqué par le présent article ne sont pas « comprises celles domiciliées dans la maison où l'asso- « ciation se réunit. »

Eo articulo vetantur coadunationes numerosæ civium, statis temporibus in eodem loco convenientium ut quæstiones religiosas, politicas, litterarias, aliasve id genus tractent, nisi accesserit consensus Gubernii et serventur regulæ ab eo indictæ; verum, si attendatur ad textum, ad verba legis, illico concluditur legem statuere de exteris qui in locum privatum conveniunt ut cœtus agant; neutiquam vero de incolis ejusdem domus, qui sub eodem tecto morantur. Civibus proinde qui eamdem domum inhabitant, numero viginti, aut quinquaginta, vel centum, nihil refert, liberum est eumdem vestitum habere, si voluerint, iisdem exercitiis, laboribusve incumbere, quidquid, uno verbo, sibi placuerit, singuli seorsim vel insimul coadunati agere, modo nihil præsumant moribus repugnans.

Non diffitemur citari decreta Napoleonis I quæ vim legis habere dicuntur contra Instituta religiosa [1];

1. Napoleo I edidit, an. 1804, decretum quod statuebat :

« ART. 1. — A compter du jour de la publication du présent dé- « cret, l'agrégation ou association connue sous le nom de *Pères de* « *la Foi*, d'*Adorateurs de Jésus* ou *Paccanaristes*, actuellement éta- « blie à Belley, à Amiens et dans quelques autres villes de l'Em- « pire, sera et demeurera dissoute.

« *Seront pareillement dissoutes toutes autres agrégations ou asso-* « *ciations formées sous prétexte de religion et non autorisées.*

« ART. 2. — Les ecclésiastiques composant lesdites agrégations « ou associations se retireront, sous le plus bref délai, dans leurs « diocèses, pour y vivre conformément aux lois et sous la juridic- « tion de l'ordinaire.

« ART. 3. — Les lois qui s'opposent à l'admission de tout ordre « religieux, dans lequel on se lie par des vœux perpétuels, conti- « nueront à être exécutées selon leur forme et teneur.

« ART. 4. — Aucune agrégation ou association d'hommes ou de « femmes ne pourra se former à l'avenir, sous prétexte de religion, « à moins qu'elle n'ait été formellement autorisée par un décret « impérial, sur le vu des statuts et règlements selon lesquels on se « proposerait de vivre dans cette agrégation ou association. »

:um cum tot ac tanti homines in studio juris civilis ver-
issimi, ex variis opinionibus politicis addicti existiment lem decreta esse abolita, quatenus aliena omnino ab dierna Reipublicæ constitutione, et a diuturno tempore desuetudinem lapsa, concludere ad minimum datur, esse tem valde dubium an leges prætensæ adhuc vigeant; nte autem ea de re dubio, æquitas suadet ut in favorem ertatis pronuntietur[1].

Quid in futurum statuendum sit lege humana, vel a riis sæcularibus pronuntiandum, nos latet; sed quidquid mines dixerint statuerintve sub influxu opinionum mun-narum et contradictionis contra doctrinam Ecclesiæ, ıbit immotum jus naturale ac divinum; certoque spe-mus adventurum tandem tempus quo prævalebit libertas ıristiana.

III. Possunt cives qui profiteri volunt vitam religiosam ire inter se contractum societatis, ad normam juris civilis.

Cum vota sint fori mere interni, et in foro sæculari ligiosi in nullo secernantur ab aliis civibus, non est cur n utantur regula communi, quam ita interpretabatur ıper D. Gaudry :

« Des individus, libres de disposer, peuvent se former en société particulière pour un objet spécial; tels seraient des établissements d'éducation, de charité, et autres... Il n'existe pas de motifs pour interdire une société, laquelle a pour principe un but religieux. La loi ne la défend pas. Elle se borne à proscrire, par l'article 1823 du Code Napoléon, toute société qui aurait un objet illicite; or il n'y a assurément rien d'immoral ni de contraire à la loi dans une collection d'indi-

Sex postea annis, an. nempe 1810, prodiit *Codex pœnalis*, cujus ar-culus 291, supra citatus, revocat, implicite saltem, decretum an. 1804.

1. Cf. *Consultation sur les décrets du* 29 *mars* 1880 *et sur les me-ures annoncées contre les Associations religieuses*, auct. Rousse, n 1880.— *Adhésion de M. Demolombe* à la *Consultation de M. Rousse*, aen, 28 juin 1880.

« vidus qui réunissent en commun des moyens d'existence,
« à la condition de se soumettre à une règle honnête, et
« de se livrer ensemble aux mêmes exercices de piété...
« La loi n'autorise pas seulement la société quand on y
« apporte des biens ; on peut, dit l'art. 1842, *s'associer*
« *pour l'exercice d'un métier ou d'une profession.* Ainsi les
« professions les plus vulgaires, les plus frivoles, jouiront
« du bienfait de l'association, et des individus ne pourront
« pas se réunir en société, comme des Trappistes, pour
« cultiver la terre, ou comme des Bénédictins, pour se
« livrer à des travaux d'intelligence, comme des Ursulines
« pour se livrer à des ouvrages de leur sexe ! Il nous sem-
« ble impossible qu'il en soit ainsi... La loi a voulu empê-
« cher la formation des corps de *mainmorte*, parce qu'ils
« font acquérir aux individus, aux yeux même de la
« société civile, des droits et des obligations que la loi a
« voulu restreindre. Or une société civile, même univer-
« selle, ne frappe aucun de ses biens d'indisponibilité, et
« ne donne aux individus qui la composent ni droits ni
« obligations parmi les autres citoyens... Les associations
« religieuses formées par un pacte social... sont régulières
« et licites ; et, sous ce rapport, elles ne peuvent être atta-
« quées [1]. »

506. — III°. Hæc cum ita sint, certo tenemus legem civilem non obstare quominus instituatur communitas.

S. Congregatio de propaganda fide transmisit an. 1840 ad Episcopos in Statibus Fœderatis Americæ Septentrionalis constitutos, regulas agendi subsequentes quæ ad alias regiones accommodantur : « ... Si quæ sint communitates « quibus jus a potestate civili tributum sit possidendi et ad « successores transmittendi bona omnia, vel aliquam « eorum partem, nulla erit occasio sollicitudinem exer-

1. *Traité de la législation des cultes*, par M. Gaudry, t. II, liv. II, it. III, ch. II, sect. Ire.

« cendi ad eorum conservationem. Sin autem modus aliquis « excogitatus fuerit possidendi bona, per societatis con- « tractum, quo bona in communi possideantur, a tribus « vel quatuor communitatis membris, ita ut omnes socii « jus illud possideant naturalis vitæ suæ tempore, sed, quo- « cumque ex illis mortuo, jus apud superstites socios rema- « neat possidendi bona universa, nulla facta cuique ex ipsis « facultate alienandi vitæ suæ tempore, vel per testamen- « tum relinquendi bona prædicta post mortem; tunc id « tantummodo ab Episcopo curandum erit, ut uno ex sociis « mortuo, alius ex communitatis membris in societatem « adsciscatur. Tandem, si unica testamenti remaneat via « transmittendi bona ad successores, præcipiat Episcopus « superioribus, vel illi qui suo proprio nomine bona possi- « dere tunc poterit, ut statim testamentum juxta leges ci- « viles, duplici exemplari æque authentico perficiat, ex « quibus unum in communitatis scriniis diligenter asserve- « tur, alterum vero ad Episcopum diœcesanum in archivio « asservandum mittatur [1]. »

Modus ille acquirendi, possidendi et transmittendi inducit plures actus qui sunt certissime liciti et probandi, siquidem qui acquirunt, retinent seu administrant ad normam legis civilis, vere acquirunt ac transmittunt dominium, de quo possunt juramentum præstare coram Deo et hominibus, sicut probatum suo loco vidimus auctoritate S. Sedis. (n° 442, t. II, p. 216.) Magna vero cautione utendum est ut leges civiles ad amussim serventur; alioquin si lis moveatur ab heredibus, sive donatoris, sive testatoris, contingere potest ut judices pronuntiênt societatem trium aut quatuor, quorum nomine fit acquisitio, esse merum figmentum, et donationem seu testamentum rescindant.

1. *Fasciculus quo recensentur acta et decreta Synodorum provincialium Baltimori habitorum*, pag. 83, 84, ad calcem tomi V Bullarii pontificii S. Congreg. de Propaganda Fide.

PARS TERTIA

DE REBUS SACRIS

Apud canonistas *Res sacræ* dicuntur omnia generatim quæ, præter personas et judicia, referuntur ad ordinem supernaturalem. Res sacræ sunt spirituales vel temporales : *Spirituales*, quæ directe respiciunt ad gloriam Dei in ordine supernaturali et ad animarum sanctificationem ; nempe bona supernaturalia quibus concipitur, sustentatur, atque dilatatur vita interior Ecclesiæ : *Temporales*, quæ primario referuntur ad sustentationem corporalem ministrorum Ecclesiæ atque pauperum, aut quibus comparantur quæ cultui divino inserviunt.

Inter res spirituales reponimus gratiam et diversa dona Spiritus sancti, de quibus non agitur directe in jure canonico ; sacramenta, quibus gratia cœlestis opere operato infunditur ; sacramentalia, indulgentias et suffragia, preces, festorum celebrationem, quæ ad illam gratiam assequendam disponunt, atque ut jam acceptam servemus, donisque supernaturalibus ditemur, nos multipliciter adjuvant; demum ædificia, vasa sacra et supellectilem cultui Dei magis immediate dicata, quæ ob connexionem cum donis spiritualibus, et benedictiones quibus consecrantur, ad res spirituales referimus.

Non tractabimus, in tertia parte *Prælectionum canonicarum*, de sacramentis, de sacramentalibus, nec de indul-

gentiis, quæ sufficienter explanantur in lectionibus theologicis de *re sacramentaria;* sed dicemus : 1° de celebratione festorum ; 2° de precibus publicis, seu divino officio ; 3° de locis sacris, ubi peragitur cultus publicus ; 4° tandem de bonis ecclesiasticis temporalibus.

Hæc quanti sint momenti, nemo est qui non advertat ; quapropter nullam curam prætermittere debemus, ut, quantum sinunt ratio ac limites nostri instituti, expendamus quas leges Ecclesia constituerit ad providendum necessitatibus cultus publici, ac recto regimini bonorum temporalium, quibus in hunc finem, et simul ad clericorum sustentationem, utitur.

SECTIO I[a]

DE FESTORUM CELEBRATIONE

De festorum celebratione tres præsertim suboriuntur quæstiones : 1[a] quæ sit illorum origo, qua auctoritate instituantur et immutari possint ; 2[a] quonam ordine per anni curriculum dies festos agamus ; 3[a] demum quid præstare, quidve præcavere debeamus, ut sanctionibus canonicis super hac re obtemperemus [1].

ARTICULUS I. — DE ORIGINE ET OBJECTO FESTORUM.

507. — I° *Cur festa instituta sint, et quandonam Ecclesia cœperit indicere dies festos?*

I. Festa instituta sunt ad gloriam Dei, ad honorem sanctorum et ad eruditionem fidelium.

1° Deum quem sensibus intimis, fide, spe et charitate, pie colimus, debemus insuper cultu externo honorare, eique gratias agere. Nec satis habendum est si illum in suis attributis colere studuerimus, sed etiam oportet venerari mysteria et opera in quibus summa illius sanctitas, bonitas et potentia maxime elucent. Ad hunc cultum externum Deo rependendum quantum referat celebratio festorum manifestum est.

1. Cf. Interpretum juris can. commentaria in titulum IX DE FERIIS lib. II Decretalium. — Benedictus XIV, *de D. N. Jesu Christi matrisque ejus festis*, 2 vol. in-12. — Thomassin, *Traité des fêtes de l'Église*, 1 vol. in-8°. — Gosselin, *Instructions historiques, dogmatiques et morales sur les principales fêtes de l'Église*, 3 vol. in-12.

2° Multum etiam inserviunt bono spirituali fidelium; festa siquidem habent objectum proximum, quod est res ipsa sancta quam cultu immediate intendimus. Objectum illud est aliquando quidem omnino sensibus impervium ac spirituale, v. g., sanctissima Trinitas et conceptio immaculata Beatæ Virginis; sæpius vero externum, ut mysteria nativitatis, passionis et resurrectionis Christi, vita sanctorum, etc... Habent insuper *objectum* quod theologi *formale* dicunt, causam nempe, seu rationem qua objectum proximum attenditur. Porro ex illa consideratione mysteriorum et actibus pietatis quibus ea colere student, maximum certe auxilium fideles percipiunt ad suam eruditionem et ædificationem.

3° Non minus evidens est festa valde conferre ad gloriam sanctorum. Id argumentis probare supervacaneum videtur.

II. Festivitates religiosæ ab ipsis initiis cultus publici ortum habuere. Vix dubitari potest quin, ante legem Mosaicam, patriarchæ habuerint dies festos ad commemorandum Dei erga se beneficia, cum illos tam sollicitos videamus in erigendo monumenta sui grati animi. Plures festivitates Deus Hebræis concessit, præter Sabbatum, quando ritus publicos sacrificiorum instituit, ut facilius per statutos dies sibi vacarent, ac religiosius officio continerentur. Hæc divina instituta imitari studuit Ecclesia ab exordio, paulo post ascensionem Christi in cœlum. Ex tunc enim Apostoli Diem Dominicum, loco Sabbati Judæorum, summa religione celebrandum sanxerunt in memoriam resurrectionis Christi [1]. « Non amplius sabbatizantes, sed secundum diem « dominicam viventes, in qua et vita nostra exorta est

1. Dicitur in cap. xx *Actuum Apostolorum :* « *Una autem sabbati*, cum convenissemus ad frangendum panem... » Item sanctus Joannes in cap. I *Apocalypsis :* « Fui in spiritu in *dominica die...* » Unde conjici potest primos fideles consuevisse die dominica convenire ad orationem.

« per ipsum et mortem ipsius, » aiebat S. Ignatius martyr, in epist. ad Magnesianos. Item S. Justinus : « Solis die « communiter omnes conventum agimus; quandoquidem « is primus dies est quo Deus, cum tenebras et materiam « vertisset, mundum effecit, et Jesus Christus servator « noster eo ipso die a mortuis resurrexit. » (*Apolog.* I.)

Eamdem originem tribuimus solemnitatibus Resurrectionis Christi et Pentecostes quas antiquissimi Patres per secundum et tertium sæculum memorant uti constanter observatas; quod et animadvertebat S. Augustinus in epist. CXVIII : « Illa autem quæ nec scripta, sed tradita « custodimus, quæ quidem toto orbe terrarum observan- « tur, datur intelligi vel ab ipsis apostolis, vel plenariis con- « ciliis quorum est in Ecclesia saluberrima auctoritas, « commendata atque statuta retineri, sicut quod Domini « passio, et resurrectio, et ascensio in cœlum, et adventus « de cœlo Spiritus sancti anniversaria solemnitate cele- « brantur. » S. Augustinus nullam mentionem habet diei natalis Domini, de quo tamen scriptores IV sæculi locuti sunt, tanquam de festo apud omnes recepto a primæva ætate.

Alias postea solemnitates Ecclesia instituit ad promovendum pietatem fidelium in sacra mysteria Christi et ad recolendum memoriam sanctorum, imprimis Beatissimæ Virginis Mariæ. Festivitates Apostolorum et martyrum celebratæ sunt a sæculo saltem secundo; anno enim 158 in Ecclesia Smyrnensi sancti martyris Polycarpi memoriam festive admodum celebratam testatur epistola ad Philomenienses apud Eusebium (lib. IV, cap. XV); quod indicat pridem inter christianos consuetudinem obtinuisse martyrum natales dies celebrandi. Exinde S. Cyprianus hæc clero Carthaginensi commendabat : « Cum confessioni « nostræ in carcere et vinculis accedit moriendi terminus, « consummata martyrii gloria est. Dies eorum quibus « excedunt adnotate ut commemorationes eorum inter

« memorias martyrum celebrare possimus. » (Epist. VI ad clerum Carth.) Quod autem prioribus temporibus actum est in honorem martyrum, idem fuisse decursu temporum, versus sæculum IV, observatum pro confessoribus omnes norunt. Plures critici arbitrantur S. Martinum Turonensem fuisse primum e confessoribus cultu publico honoratum in Ecclesia latina ; quem cultum probavit concilium Turonense II an. 700. Orientales in eo occidentalibus præiverant, siquidem constat ex certis monumentis eos jam a sæculis præcedentibus diem anniversariam plurium sanctorum confessorum egisse [1].

Nota. — Remittimus ad tractatus theologicos discutionem controversiarum quas hæretici cum catholicis habent de legitimitate cultus sanctorum. Sufficiat hæc proferre ex sancto Augustino quæ omnem dubitandi rationem removent : « Populus christianus memorias Martyrum religiosa « solemnitate concelebrat, et ad excitandam imitationem, « et ut meritis eorum consocietur, atque orationibus ad« juvetur : ita tamen ut nulli Martyrum, sed ipsi Deo Mar« tyrum, quamvis in memoriis Martyrum constituamus « altaria. Quis enim Antistitum in locis sanctorum corpo« rum altari assistens, aliquando dixit : Offerimus tibi « Petre, aut Paule, aut Cypriane? Sed quod offertur, Deo « offertur qui Martyres coronavit, apud memorias eorum « quos coronavit, ut ex ipsorum locorum admonitione « major affectus exsurgat, ad acuendam charitatem et in « illos quos imitari possumus, et in illum quo adjuvante « possumus. » (*Contra Faustum*, lib. XX, cap. XXI.)

508. — II° *Quid jure prærequisitum sit, ut celebretur memoria sancti in cultu publico?*

I. Nulla festa institui possunt in honorem servorum Dei, nullusque cultus publicus eisdem reddi debet, antequam

1. Devoti, lib. II, tit. V, § 1, *Annot.* — Selvaggio, *Antiq. christ.*, lib. II, part. II, cap. IV. — Bened. XIV, *de Beatificatione...* lib. I, cap. V.

judicio Ecclesiæ constiterit de illorum sanctitate. Sufficiebat olim auctoritas Episcopi qui hunc honorem, in sua quisque Ecclesia, deferebat iis qui mortem pro causa fidei pertulerant aut saltem eximio virtutum exemplo emicuerant; et in signum cultus publici erigebatur altare super illorum corpus. Cum vero multum intersit ad integritatem cultus divini, ut circumspecte hac in re agatur, Sancta Sedes pluribus abhinc sæculis sibi reservavit judicium solemne de sanctitate servorum Dei, deque cultu iis reddendo. Exstat in Corpore juris constitutio Alexandri III, data an 1170, quæ innuit hanc disciplinam tunc temporis vigentem; sic enim concludit Pontifex occasione cultus indebite soluti alicui defuncto : « Illum ergo non præsu« matis de cætero colere : cum etiamsi per eum miracula « fierent, non liceret vobis ipsum pro sancto, absque auc« toritate Romanæ Ecclesiæ, venerari. » (Cap. *Audivimus*, 1, DE RELIQUIIS SANCTORUM, lib. III Decret.)

Ut disciplina constituta servetur, Urbanus VIII prohibuit ne etiam a privatis fiant actus qui ad publicum cultum referantur, vel inducere possint fideles in errorem. Tria præsertim indixit : 1º ne imagines servorum Dei pingantur cum laureolis, aut splendoribus; neve in altaribus publicis aut privatis, etiam sine hujusmodi insignibus apponantur; laureolæ beatitudinem significant; retentio autem imaginis supra altare, est signum venerationis; 2º ne ad sepulchra servorum Dei accendantur lumina aut votivæ tabellæ suspendantur (tabellæ oblatæ custodiendæ sunt in loco ab Ecclesia separato, v. g., in sacrario); 3º ne edantur, sine approbatione Ordinarii, libri quibus continentur virtutes, revelationes et miracula servorum Dei. Approbatio autem libro concessa, etiam auctoritate apostolica, non vim majorem tribuit narrationibus relative ad processum beatificationis et canonizationis; nec consequenter ullatenus eximit a necessitate probationum ulteriorum. (Const. *Cœlestis Jerusalem*, an. 1624.)

Hinc sequitur omittenda non esse in cujuscumque servi Dei obitu consueta Ecclesiæ officia pro defunctis. Hæc persoluta fuisse constat in funeribus sancti Dominici, sanct Francisci et aliorum qui eximia sanctitatis signa dederant.

509. — II. Sancta Sedes non aggreditur causam beatificationis servorum Dei, nisi præcesserit fama de illorum sanctitate et de illa constiterit per processum juridicum. « Per famam autem sanctitatis, ait Benedictus XIV, intel« ligitur communis existimatio de integritate vitæ et de « virtutibus, non utcumque sed per continuatos actus su« pra communem modum aliorum proborum, exercitos a « servo Dei; necnon de miraculis ejus intercessione a Deo « obtentis; ita ut concepta saltem in uno loco erga eum « devotione, a pluribus invocetur, et plurium gravium « virorum judicio dignus existimetur ut per Sanctam Apos« tolicam Sedem in album Beatorum, vel Sanctorum, refe« ratur. » (*De Beatificatione*... lib. II, cap. XXXIX.)

Quando sufficienter probata est fama sanctitatis et miraculorum, Sancta Sedes jubet ut sedulo inquiratur de *non cultu;* scilicet an observatum fuerit decretum Urbani VIII de quo supra. Si cultus publicus redditur servo Dei contra præscripta hujus constitutionis, res in suspenso manent donec cuncta ad normam juris reducta sint. « Nunc regula « viget, ait Benedictus XIV, ut cultus præteritus senten« tiæ confirmationem non impediat, si ante illam sublatus « sit, uti contigit in causa sancti Francisci Salesii. » (Lib. II, cap XVI.)

Instituitur insuper examen doctrinæ. Scripta quæ reliquerit servus Dei committuntur Sac. Congregationi, et severo examini subducuntur, ut appareat num aliquas contineant propositiones contra fidem, vel mores; aut a communi sensu et consuetudine Ecclesiæ alienas. Scopus revisionis est expendere utrum servus Dei aliquid scripserit quod defectum prudentiæ christianæ, aut oppositionem

doctrinæ Ecclesiæ denotet; quapropter quando revisores concludunt nihil repertum esse censuræ obnoxium, hæcque sententia approbatur a S. Sede, nihil aliud intellectum volunt nisi quod scripta servi Dei non obstent quominus procedatur ad beatificationem.

Omnibus rite peractis, fit *introductio causæ* per commissionis signaturam; id est, summus Pontifex, admissa supplicatione sibi exhibita per postulatores causæ, atque ea subscripta, impertitur Congregationi Rituum facultatem procedendi in causa beatificationis. Vi hujus *signaturæ commissionis*, servus Dei nuncupatur VENERABILIS.

510. — III. Signata commissione, novi instituuntur processus auctoritate Congregationis Rituum, qui plerumque delegantur tribus Episcopis. Ante omnia juridice inquiritur de fama sanctitatis et de non cultu. Deinde proceditur 1° ad examen virtutum; an venerabiles servi Dei virtutes theologales et morales in gradu heroico exercuerint; quod primum fundamentum est sanctitatis; 2° ad examen miraculorum; utrum talis sint naturæ, atque in hisce circumstantiis patrata, ut nulli alteri causæ adscribi possint quam veræ sanctitati a Deo his signis confirmatæ. Plura miracula requiruntur ad beatificationem, quod concludere licet ex praxi constanti S. Sedis. Benedictus XIV in causa sanctæ J. Franciscæ Fremiot de Chantal, « ad ejus beati« ficationem non esse deveniendum censuit, antequam « miracula omnino quatuor probentur ex testibus de visu, « atque approbentur ». (Lib. IV, cap. VI.) Præfinitum tamen non fuit quot numero esse debeant miracula.

Quando cuncta feliciter fuerunt expleta, nullaque amplius obstat difficultas, sacra Congregatio coram Pontifice deliberat num ad beatificationem procedi tuto valeat. Pontifex preces fieri mandat, ac tandem, re apud se mature perpensa, judicium suum profert et statuit diem qua celebrabitur solemnitas beatificationis, quæ ex decreto Alexandri VII fit primo in Ecclesia Vaticana. Ex tunc permittitur

in locis determinatis cultus publicus reddatur Beato, m quibusdam restrictionibus.

Igitur BEATIFICATIO est decretum quo permittitur ut rvus Dei cultu publico honoretur in aliqua provincia. ›lemnitas autem consistit in lectione hujus decreti, in ›tectione imaginum servi Dei, in recitatione collectæ, uris oblatione imagini Beati, et celebratione Missæ.

Cæterum facultas cultum publicum agendi quæ datur ›creto beatificationis, sicut limitatur ad locum, ita etiam l modum; non enim eodem modo beatificati et canonizati ›luntur. Nisi expressum indultum obtentum fuerit a ancta Sede, nomen Beati non inseritur in martyrologio ›mmuni, nec in litaniis Sanctorum; insuper Beatus non otest assumi in patronum titularem, nec festum illius elebratur cum octava. Beatorum reliquiæ non deferuntur processionibus, nec super altare ponuntur; illorum imaines depingi possunt cum radiis, at non cum diadema eu circulo... Hæc variis locis exponit Benedictus XIV, t accurate servari præcepit Congregatio Rituum, juxta ecretum approbatum ab Alexandro VII, anno 1660[1].

511. — IV. A Beatificatione fit transitus ad Canonizatioiem, per seriem processuum quam inutile foret exponere. Notare sufficiat postulatores causæ expetere signaturam eassumptionis, quando exploratum habent nova miracula sse patrata a Beato. Nova quippe miracula intercedere iecesse est quibus manifestetur Dei voluntas.

Duobus saltem miraculis rite probatis, deliberatio fit in Congregatione, an tuto procedi valeat ad Canonizationem. S. Pontifex plura consistoria habet : unum secretum cui soli Cardinales assistunt; aliud semipublicum ad quod, præter Cardinales, admittuntur Patriarchæ et Episcopi; alterum magis solemne, in quo dies ad canonizationem determinatur.

1. Decretum refert Reiffenstuel, lib III, tit. XLV, DE RELIQUIIS SS. nº 17.

Die præfixa, S. Pontifex accedit cum magno apparatu ad sacram basilicam : ibi post novas iteratasque expostulationes, multis persolutis orationibus, invocato Spiritu sancto, demum auctoritate Dei omnipotentis, apostolorum Petri et Pauli, decernit ac definit N. sanctum esse, sanctorum catalogo adscribendum, et ab universali Ecclesia colendum. Expeditur postea Constitutio pontificia, directa ad omnem Ecclesiam.

Canonizatio est sententia definitiva, qua decernitur aliquem in album Sanctorum esse deferendum, et eo titulo colendum publice in universa Ecclesia [1].

Quæ sit auctoritas decretorum Sanctæ Sedis, tum circa beatificationem, tum circa canonizationem, examinant theologi ad quos remittimus. Hæc solum notamus : 1° seposita etiam divini Spiritus supernaturali assistentia, causa tanta cum prudentia tractatur, ut judicium prolatum sit moraliter certum; 2° sententia de beatificatione, cum non sit judicium definitivum ad universalem Ecclesiam prolatum, non habetur communius infallibilis, quamvis impugnari non posset sine temeritate et præsumptionis peccato; 3° sententia canonizationis est infallibilis. Cum dogma catholicum sit Rom. Pontificem, « per assistentiam divinam « ipsi in Beato Petro promissam, ea infallibilitate pollere « qua divinus Redemptor Ecclesiam suam instructam esse « voluit », sequitur R. Pontificem eamdem summam auctoritatem habere in edendo decreto de sanctorum canonizatione, quam omnes catholici in Ecclesia admittunt. Porro non dubitatur inter catholicos de infallibilitate hujus decreti. Enimvero nisi infallibiliter constaret de sanctitate

1. Dum servus Dei proponitur venerationi fidelium, simul declaratur sub quo titulo debeat honorari, et præscribitur officium. V. g., sub titulo Apostoli, Martyris, Confessoris, Virginis... Presbyteri non coluntur ritu speciali, sed titulo *Confessorum non Pontificum*... *Confessores* olim dicebantur qui fidem christianam confessi fuerant coram persecutore; pluribus abhinc sæculis titulus ille datur omnibus justis, seu Episcopis, seu Presbyteris, seu laicis.

:ujus servi Dei, universalis Ecclesia in errorem induci pos- in cultu publico; quod dicere non sinit sensus catholicus.

512. — III° *Quæ sint festa jure communi præcepta; utrum ıscopi ɔossint nova suis diœcesanis ındicere, aut instituta ninuere?*

I. Quæ sint festa per orbem celebranda determinavit ıue decrevit Urbanus VIII per Constitutionem *Universa*, tam an. 1642, in qua legimus : « ...Apostolica auctoritate decernimus et declaramus, infra scriptos duntaxat dies pro festis ex præcepto colendos esse, quos nempe vel ab initio veneranda sacravit antiquitas, vel universalis Ecclesiæ probavit consuetudo, vel omnium gentium unanimis pietas veneratur : Dominicos scilicet dies totius anni, Nativitatis D. N. Jesu Christi, Circumcisionis, Epiphaniæ, Resurrectionis cum duabus sequentibus feriis, Ascensionis, Pentecostes cum duabus pariter sequentibus feriis, Sanctissimæ Trinitatis, Solemnitatis Corporis Christi, et Inventionis sanctæ Crucis, necnon festivitatum Purificationis, Annuntiationis, Assumptionis et Nativitatis Deiparæ Virginis, Dedicationis S. Michaelis Archangeli, Nativitatis S. Joannis Baptistæ, SS. Petri et Pauli, S. Andreæ, S. Jacobi, S. Joannis, S. Thomæ, SS. Philippi et Jacobi, S. Bartholomæi, S. Matthæi, SS. Simonis et Judæ, et S. Matthiæ, Christi Domini apostolorum; item S. Stephani protomartyris, SS. Innocentium, S. Laurentii martyris, S. Sylvestri papæ et confessoris, S. Joseph etiam confessoris, et S. Annæ, Deiparæ respective sponsi ac genitricis, solemnitatis Omnium Sanctorum atque unius ex principalioribus Patronis in quocumque regno sive provincia et alterius pariter principalioris in quacumque civitate, oppido, vel pago ubi hos patronos haberi et venerari contigerit. » Aliud postea festum de præcepto additum fuit memoratis ab Urbano VIII, nempe festum Immaculatæ Conceptionis, quod longe ante Constitutionem Urbani celebrabatur.

Sub successoribus Urbani VIII haud semel actum est de imminutione dierum festorum de quo videas Litteras Apostolicas Benedicti XIV *Non multi*, die 14 nov. 1748; et S. Sedes multa indulsit variis constitutionibus ut provideretur difficultatibus temporum. Quantum vero possibilitas data est, retineri voluit decretum Urbani VIII ita temperatum ut remaneret pro diebus in eo decreto expressis obligatio missam audiendi, licet concederetur fidelibus facultas vacandi operibus servilibus feria IIIª hebdomadis Paschæ et Pentecostes, diebus festis Apostolorum, excepto festo SS. Petri et Pauli, festis item S. Annæ, S. Laurentii, SS. Innocentium, S. Sylvestri, S. Michaelis, S. Joseph, quemadmodum reperitur in multis Indultis datis a Pio VI.

513. — II. Jure communi Episcopi potuerunt olim festa instituere in sua quisque diœcesi servanda; et reipsa plures festivitates instituerunt de præcepto servandas. (Cap. *Conquestus*, 5, DE FERIIS.) Concilium Tridentinum innuit hanc potestatem ipsis competere, præcipiendo ut « dies festi « quos in diœcesi sua servandos Episcopus præceperit, ab « exemptis omnibus, etiam regularibus, serventur. » (Sess. XXV, cap. XII, *de Regularibus*.)

Utrum eadem facultate hactenus polleant dubium est; siquidem Urbanus VIII (Constitutione mox citata), indictis diebus festivis ex præcepto colendis, decernit ac declarat christifideles nequaquam deinceps teneri ad servandum ex præcepto reliquos dies quos hucusque sive in universali Ecclesia, sive in quavis natione, aut regno, provincia, diœcesi, aut loco quocumque, sive ex præcepto, sive ex consuetudine, sive ex devotione tanquam festivos celebraverant. Quoad futurum tempus, hæc subjungit : « Ne dies « festos a locorum Ordinariis nimia aliquorum facilitate, « aut populorum importunitate deinceps multiplicari con- « tingat, eosdem Ordinarios in Domino monemus, ut ad « ecclesiasticam ubique servandam æqualitatem, de « cætero perpetuis temporibus ab indictione sub præcepto

novorum festorum abstineant. » Inde plures deducunt ıblatam omnino esse Episcopis potestatem quam antea abebant nova festa instituendi; certum quippe est, ex rænarratis, Urbanum VIII suam Bullam in eum finem ondidisse ut modum imponeret nimio festorum numero, ui pluribus querimoniis ex parte Episcoporum, et etiam auperum, locum dederat. Nihilominus tamen cum Pontifex eadem Constitutione moneat tantummodo *ut studeant bstinere* ab indictione festorum, id solum sequitur eos nagna uti debere prudentia in hóc negotiorum genere. Ianc interpretationem firmat auctoritas Benedicti XIV, ui in libro IV, part. II, cap. xv, *de Beatificatione*, duo tatuit : « Episcopos in sua diœcesi posse de consensu cleri et populi festum instituere de præcepto... Non « expedire, nisi ad summum gravissimæ urgeant circum« stantiæ, ut ab Ordinariis in propriis diœcesibus nova « festa de præcepto instituantur. »

In Galliis nihil quidem obstat quominus Episcopi aliquas festivitates ex devotione celebrandas indicant, modo nihil immutetur in rubricis; at nullas possunt instituere celebrandas de præcepto, imposita nimirum obligatione Missam audiendi et ab operibus servilibus abstinendi. Obstant decreta quibus Sancta Sedes ad instantiam principis sæcularis, dies festos, præter dominicas, ad quatuor reduxit, festa scilicet Nativitatis Domini, Ascensionis, Assumptionis Beatæ Mariæ Virginis, et solemnitatis Omnium Sanctorum; atque simul declaravit, incolas Galliæ absolutos esse ab obligatione missam audiendi et abstinendi ab operibus servilibus, in omnibus aliis festis.

514. — III. Jus imminuendi numerum festorum connectitur juri illa instituendi, iisdemque principiis determinatur. Episcopi non possunt imminuere festa quæ jure communi observantur; causa reservatur Sanctæ Sedi, ad quam recursum habuere qui reductionem festorum expetierunt.

ARTICULUS II. — DE ORDINE QUO FESTA CELEBRANTUR PER DECURSUM ANNI.

515. — I° *Undenam oriatur distinctio dierum festorum immobilium et mobilium?*

Dies festi *immobiles* dicuntur qui singulis annis eodem die recurrente celebrantur, v. g. : Natalis Domini, Circumcisio, Epiphania, festa B. Virginis, Apostolorum et aliorum Sanctorum, quorum solemnitas quotannis refertur ad diem qua obierunt, et quæ est vere dies natalis servorum Dei : hac quippe die novam ac immarcescibilem vitam assecuti sunt.

Dies festi *mobiles* sunt quorum celebratio pendet a solemnitate Paschali, v. g. : Initium jejunii quadragesimalis, Ascensio Domini, Pentecostes, SS. Trinitas, Corpus Christi... Porro, lex est antiquissima Ecclesiæ, quæ sensim ubique prævaluit, Pascha celebrari die dominica quæ, post æquinoctium vernum, proxime sequitur plenilunium martii, non autem ipsa XIV[a] die lunæ; quapropter Pascha christifidelium nunquam convenit cum Paschate Judæorum.

Hanc legem consuetudine fidelium inductam, secundum traditiones apostolicas, firmavit auctoritas SS. Pontificum et decretum concilii Nicæni contra Quartodecimanos, qui cum definitionibus datis obsistere ausi fuissent, inter hæreticos et schismaticos habiti sunt. Catholici, etsi omnes consentirent in unum post legem indictam a concilio Nicæno ut ubique celebraretur Pascha die dominica, non concordaverunt secum in determinanda die; unde venit quod plures una hebdomada, vel etiam uno mense citius festum agerent. Ratio discriminis fuit quod non uterentur omnes eodem cyclo. Concilium Nicænum demandaverat Episcopo Alexandrino curam admonendi cæteros Episcopos de die dominica qua festum Paschale cele-

brandum foret. Sed decretum concilii non ubique obtinuit, aut saltem decursu temporum in desuetudinem venit; quandoquidem S. Cyrillus Alexandrinus jam a sæculo v° querebatur de inducta confusione ob discrepantem praxim Ecclesiarum, quarum aliæ utebantur veteri cyclo Judæorum annorum 84; aliæ autem cyclo Alexandrino annorum 19 : hæc discrimina sublata sunt sæculo subsequenti, quando Dionysius Exiguus induxit in Rom. Ecclesiam canonem Ecclesiæ Alexandrinæ [1]. A tempore quo Gregorius XIII calendarium correxit, facillimum est, ex fastis perpetuis quæ evulgantur, deprehendere ordinem anni ecclesiastici et quonam die Pascha celebretur.

516. — II° *Quæ notanda sint circa calendarium festorum* [2]*?*

Tria præsertim notanda, nimirum : 1° distinctio dierum, mensium et annorum; 2° cyclus annorum; 3° demum epactæ, ex quibus determinatur dies Paschalis.

I. *Dies astronomicus* est intervallum temporis quo sol ab aliquo puncto, vel a meridiano regressus, ad idem revertitur; dies vero civilis computatur a media nocte ad mediam noctem subsequentem.

Christiani a primis sæculis singulos quosque dies hebdomadæ *ferias* appellaverunt; quia feria dicebatur olim dies sacrificiis destinatus, et nullam ipsi diem esse existimabant, in qua supersedere deberent ab orationibus et sacrificiis. « Una sabbati, ait sanctus Augustinus, dies « dominicus est : secunda sabbati secunda feria, quam « sæculares diem lunæ appelant. Tertia sabbati, tertia « feria, quam diem Martis illi vocant. Quarta sabbatorum « quarta feria, qui Mercurii dies dicitur a paganis et a « multis christianis, sed nollemus, atque utinam corrigant « et non dicant. Habent enim linguam suam qua utantur, « non enim et in omnibus gentibus ista dicuntur... Melius

1. Devoti, *de Festorum celebratione*, lib. II, tit. v, § 3.
2. Cf. Dissertationem F. Xav. Zech, *de Calendario ecclesiastico.*

« ergo de ore christiano ritus loquendi ecclesiasticus pro- « cedit. » (In Psalm. XCIII, nº 3.)

Mensis astronomicus est intervallum temporis quod intercedit inter duas conjunctiones, seu oppositiones solis et lunæ. Cum luna circa terram volvatur intra spatium 29 dierum, 12 horarum, 44 minutarum et 3 secundarum, eo tempore perficitur mensis astronomicus. Dividitur in novilunium, semilunium, et plenilunium: percelebres erant olim apud Judæos neomeniæ, seu novilunia.

Ecclesia retinuit in martyrologio et in subscriptione suorum decretorum, præsertim in bullis SS. Pontificum, morem Romanorum qui mensem dividebant in calendas, nonas et idus. *Calendæ* dicuntur prima dies mensis; *Nonæ* celebrantur die quinta mensis, exceptis tamen mensibus martis, maii, julii et octobris, in quibus nonæ fixæ sunt die septima; *Idus* obveniunt die decima tertia, aut decima quinta, prout mensis habet quatuor aut sex nonas. Dies vero sic enuntiantur : dies ipsa calendarum, nonarum et iduum, dicitur *Calendis*, *Nonis*, *Idibus*. Dies quæ proxime antecedit, seu vigilia, dicitur *pridie calendas*... dies vero cæteri retrogrediendo dicuntur tertio, quarto, quinto... calendas, seu nonas, vel idus, id est, tertio, quarto... die ante calendas, etc. Sic, v. g., constitutio dogmatica quam Pius IX dedit ad definiendum dogma de Immaculata Conceptione, inscribitur VI idus decembris, quod proinde significat diem VIII^{um} hujus mensis.

Annus astronomicus alius est solaris, alter lunaris. Annus solaris est spatium temporis quo sol a certo puncto ecliptici seu zodiaci profectus, ad illud revertitur. Spatium æstimatur ex mensura media inter diversas inæqualitates 365 dierum, 5 horarum, 48 minutarum, cum 51 secundis. Annus lunaris est intervallum temporis quo fiunt duodecim conjunctiones solis et lunæ, quod complectitur 354 dies, 8 horas et 40 minutas; unde sequitur discrimen undecim fere dierum

inter annum solarem et lunarem. Hinc orta est difficultas componendi annum civilem et ecclesiasticum quo menses solares cum lunaribus, adjectis quibusdam diebus, concordent ; necessarium quippe est ut determinetur mensis quo Pascha celebrandum sit.

Christiani initium anni ducunt a mense januario, cum natus sit Salvator ad solstitium brumale; et ratio habetur calendarii cujus menses incipiunt a calendis.

517. — II. *Cyclus annorum* adhibitus est ad determinandum annum civilem et ecclesiasticum. Cyclus nimirum est certus numerus annorum, quo expleto annus civilis respondet iterum eidem puncto anni solaris.

Veteres multiplicem cyclum habuere : alius fuit cyclus Græcorum, alius Judæorum, alius Romanorum; et pluries astronomi curam impenderunt ut emendarentur horum cyclorum defectus, sed incasso labore, quia, seu imperitia, seu negligentia, non providerant quanta temporum confusio in futurum, elapsis pluribus sæculis, oritura esset ex quibusdam horis et minutis prætermissis in computatione annorum.

Calendarium Romanum graviter sua ætate deformatum instaurare aggressus est Julius Cæsar, anno 44 ante æram christianam. Statuit: 1° adhibendum fore annum solarem ad usus civiles; annum vero definiendum curriculo 365 dierum et sex horarum integrarum; 2° tres computandos esse annos dierum 365, quarto autem, qui sequeretur, superaddendum unum diem (dies ille intercalaris formabatur ex sex horis, quater repetitis, quæ intra annum habentur præter 365 dies); 3° menses annorum communium sic componendos, ut septem, scilicet: januarius, martius, maius, julius, augustus, october et december haberent dies 31; quatuor aliis, scilicet aprili, junio, septembri et novembri dies 30 adscriberentur, et februario tantum 28; 4° diem intercalarem reponendum in quarto anno, circa finem mensis februarii, sexto calendas. Annus ille *bissex-*

tilis vocatus inde fuit quod in calendario indicebatur *bis sexto calendas.*

Juxta reformationem inductam a Julio Cæsare annus communis habet 52 hebdomadas et 1 diem, et altera dies additur anno bissextili : cyclus autem complectitur 28 annos, quibus expletis iidem dies hebdomadæ iisdem simul diebus mensis consentiunt.

Ordinatio calendarii Julii nonnullis vitiis laborabat, ex eo præsertim quod annum præfinierit curriculo 365 dierum et sex horarum, cum tamen sex illæ horæ non sint integræ, sed undecim fere minutis truncatæ. Ex illorum minutorum neglectu, ver sedem suam singulis annis anticipavit, adeo ut anno 1582 æquinoctium vernum decem fere diebus antecederet sedem quam tempore Julii Cæsaris obtinebat, et a die 21 mensis martii, cui concilium Nicænum æquinoctium istud fixerat, ad undecimum ejusdem mensis diem reduceretur.

Huic incommodo remedium afferre studuerunt plures SS. Pontifices; ac tandem negotium absolvit Gregorius XIII, auditis et ponderatis sententiis doctissimorum hominum.

Edidit, an. 1582, 6 calendas martii, Constitutionem *Inter gravissimas*, qua per orbem christianum promulgabatur novum calendarium reformatum, quod *Gregorianum* dictum fuit. Hac constitutione Gregorius præteritos errores emendavit, demendo decem dies e mense octobris, ita ut post festum sancti Francisci, quod incidit in diem quartum octobris, dies proxime sequens pro decimo quinto habendus esset. Ad præcavendum autem eosdem errores in futurum, statuit ut quadringentis quibusque annis omitterentur dies tres intercalares, ita ut cum annus 1600 fuerit bissextilis, anni 1700, 1800 et 1900, qui secundum calendarium Julii Cæsaris bissextiles esse deberent, pro communibus habendi sint, nec intercalari die adaugendi.

518. — III. Reliquum est ut quædam de epactis adjiciamus, ad intelligentiam calendarii ecclesiastici.

Epacta est numerus dierum quibus annus solaris communis 365 dierum, annum communem lunarem 354 dierum excedit. Cum igitur discrimen sit 11 dierum, epacta primi anni, est 11, epacta secundi anni 22, et sic deinceps, ita tamen ut expleto numero 30 dierum qui unam lunationem constituit, rursus incipiatur nova epacta. Hac lege admissa, sequitur epactam tertii anni esse 3; siquidem adjiciendo undecim dies aliis viginti duobus annorum præcedentium, efficitur numerus 33, a quo si demantur triginta, remanebit numerus assignatus, nempe 3. Hac ratione, epactæ progrediuntur per continuum augmentum 11 dierum, abjectis 30, quando demi possunt. Qui noverit epactam primis diebus anni currentis, potest facili labore determinare quæ sit epacta pro die quacumque per annum : sufficit etenim computare quot dies ab initio anni effluxerint, demere singulos quosque triginta; quod residuum erit, lunationem designabit. Hoc quidem non accurate ac secundum calculum astronomicum accipitur, sed juxta calculum, ut ita dicam, politicum, et ad mores populi accommodatum [1].

519. — IV. Calendarium sic dispositum ad hoc servit ut festa mobilia ad sua quæque tempora singulis annis referantur.

Habenda præcipue est ratio festi Paschalis ex quo pen-

1. « Remarquons bien qu'il ne s'agit ici que de l'épacte civile, qui « ne tient pas compte des fractions de jours, et qu'on compte « sommairement trente jours par lunaison, au lieu de vingt-neuf « et demi... Il y a une erreur qui peut aller à un jour dans les cas « les plus défavorables, mais cette erreur sur l'*âge astronomique* de la « lune est toujours réputée nulle, et l'on a exactement l'*âge civil*... « Une fois connue l'épacte d'une année, on aura toujours celle des « années suivantes par l'addition répétée du nombre 11 et en ôtant « toujours 30 du résultat, lorsque la somme dépassera ce nombre. » Desdouits. *Leçons élémentaires d'astronomie*, pag. 301-303.

dent reliqua, ut supra notabamus. Concilium Nicænum censuit plenilunium paschale illud esse quod contingit post diem 20 martii; quamobrem cognito semel quæ sit lunatio occurrente hac vigesima die, statim concludetur quandonam erit plenilunium subsequens, et inquiretur qua die incidat dies dominica. Dies Paschalis non potest incidere ante diem 22^{am} martii, nec ultra 25^{am} aprilis. Evidens est plenilunium quod subsequitur diem 20^{am} martii non posse citius advenire quam die 21^{a}, nec diem dominicam quæ hoc plenilunium subsequitur citius occurrere quam 22^{a} die; ergo hæc est prima sedes Paschatis. E contra, nunquam protendetur ultra 25^{am} aprilis : annus scilicet in quo magis removebitur celebratio Paschatis is erit quo plenilunium incidet in diem 20^{am} martii; tunc enim expectandum erit aliud plenilunium quod, cum in præsenti casu requirat intervallum 29 dierum, incidet in diem 18^{am} aprilis; quod si hæc dies sit dominica, expectanda erit dies dominica proxime sequens, id est, dies 25^{a} aprilis.

Ante Pascha numeratur per sex hebdomadas tempus Quadragesimale, et assignantur dies Septuagesimæ et Quinquagesimæ. Post diem Paschalem cum sua octava completam, numerantur quinque hebdomadæ in quarum ultima sunt dies *Rogationum*, et feria quinta celebratur festum Ascensionis. Post sextam hebdomadam sequitur festum Pentecostes, et ordinantur exinde festa sanctæ Trinitatis, Corporis Christi...

Hæc summaria calendarii expositio sufficit ad rationem nostri instituti; alia quæ ad *cyclum aureum* et *litteras dominicales* attinent, reperimus, simul cum tabula Paschali, in Breviario Romano.

ARTICULUS III. — DE PRÆSCRIPTIS AD CELEBRATIONEM DIERUM FESTORUM.

Quæstio versatur solummodo circa dies festos qui de præcepto servantur; et inquirendum venit ad quid jure teneantur fideles; quid ipsi pastores agere debeant.

520. — I° *Quid fidelibus sit jure canonico præscriptum pro celebratione festorum?*

Duo præscribuntur : auditio sacri et abstinentia a quibusdam operibus, præsertim a servilibus. Utrumque discutiendum remittimus ad theologos, qui disserunt de præceptis Decalogi, in explanatione theologiæ moralis. Pauca tantum notabimus de auditione Missæ parochialis et de operibus vetitis.

I. Theologi communiter dicunt fideles non teneri Missam parochialem audire ad satisfaciendum præcepto; et Benedictus XIV censuit, uti tamen privatus doctor, non excusari a nimia severitate constitutionem synodalem qua fideles adigerentur ad Missam, verbumque Dei audiendum diebus dominicis et festis, in ecclesia parochiali. Narrat insuper ita temperatum fuisse a S. Congregatione concilii statutum synodale Ecclesiæ Midensis ut monerentur fideles, non vero cogerentur, interesse Missæ et concioni in ecclesia parochiali. (*De Synodo*, lib. XI, cap. XIV, n° 11.) Præsules Galliarum voluerunt, ad recentiora usque tempora, fideles interesse Missis parochialibus, et rituales libri præscripserunt parochis ut omnes de hac obligatione admonerent e sacro suggestu. Ut explicetur hæc diversitas disciplinæ, attendere debemus ad privilegia regularibus concessa, et ad consuetudinem in Ecclesiis inductam, occasione horum privilegiorum.

Omnes fatentur præscriptam olim fuisse Missam parochialem, cujus disciplinæ plurima exstant monumenta. Legem ea de re sancivit Sixtus IV, an. 1478, edita consti-

tutione *Vices illius*, qua prohibet ne Mendicantes prædicent parochianos liberos esse ab audienda Missa in sua Ecclesia parochiali, « cum jure cautum sit, illis diebus parochianos « teneri Missam audire in eorum parochiali ecclesia, nisi « forsan ex honesta causa ab ecclesia se absentarent. » (Cap. *Vices*, 2, DE TREUGA ET PACE, Extravag. comm.)

Juri communi derogatum fuit postea, editis constitutionibus apostolicis in favorem regularium, quibus Sancta Sedes concessit privilegium recipiendi fideles in suis ecclesiis, diebus dominicis et festis. Exstant ea de re Constitutiones Leonis X, S. Pii V et Clementis VIII, quibus asseritur fidelibus libertas adeundi ecclesias regularium, ut Missæ intersint et sacris concionibus; ea tamen conditione ut facultate sibi concessa non utantur in contemptum suæ parochiæ.

Occasione privilegiorum quæ solummodo regularibus fuerant concessa, inducta est per orbem christianum consuetudo, ut fideles ubicumque voluerint, in ecclesiis et oratoriis publicis, Missam audire tuta conscientia possint ad satisfaciendum præcepto, sed hæc consuetudo neutiquam in Galliis viguit usque ad recentiora tempora. Hujus asserti documentum indubium exhibent decreta conciliorum provincialium, statuta diœcesana et libri rituales. Plura nimirum concilia provincialia quæ post synodum Tridentinam in Galliis habita sunt, atque a SS. Pontificibus Gregorio XIII et Sixto V approbata, prævio examine facto a S. Congregatione Concilii, veterem disciplinam studiose servaverunt. Citabimus præ cæteris concilia Burdigalense, Turonense et Bituricense, quæ voluerunt denuntiari, sub interminatione excommunicationis, decretum ne quis tribus continuis diebus dominicis a Missa parochiali absit. « Sanctorum Patrum decreta antiqua renovantes, aiunt « patres concilii Turonensis, omnibus et singulis christifi« delibus suis Missis parœcialibus et aliis suarum parœcia« rum officiis, singulis diebus dominicis et festivis interesse

« districte præcipimus; a quibus, si per tres dies dominicos « continuo sequentes, illos abesse contingat, nisi legitimo « impedimento retineantur, pœnas a sacris canonibus in- « dictas incurrere declaramus, quod illis sui rectores et « confessarii sæpius inculcare non omittant. » (Tit. *de Fidelibus laicis* [1].)

Constat igitur synodos provinciales habitas per decur- [illegible]m sæculi decimi sexti præscripsisse, non contradicente, [illegible] approbante Sancta Sede, ut retineretur vetus disci- [illegible] in nostris regionibus. Ab illa autem ætate, lex memo- ra[illegible] atque inculcata fuit in comitiis cleri Gallicani, et in- ser[illegible] pluribus libris ritualibus, auctoritate Episcoporum, ut pu[illegible] fidelibus e sacro suggestu in sin- gulis [illegible] unde [illegible]ludimus non prævaluisse olim in Gallia con[illegible] [illegible]inen[illegible] [illegible]æ alibi inducta erat paulatim, et ut solutio prac[illegible] [illegible]ur, attendendum fuisse ad pro- vinciarum disciplinam[illegible]

Hodie, mutatis cir[illegible]tiis, libertas fidelibus relin- quitur Missam audie[illegible] die[illegible]s dominicis et festivis in quavis ecclesia public[illegible] [illegible]one[illegible] tamen sunt et cohortandi ut suam parochiam fr[illegible]ente[illegible]

S. Carolus, qui ap[illegible]me n[illegible]verat mentem concilii Tri- dentini, hæc, de asse[illegible] suor[illegible]n comprovincialium, inseri curavit in decretis co[illegible]ii Me[illegible]iolan. VI, tit. *de Parocho et Parochianis* : « Canonu[illegible] [illegible]ti[illegible]t disciplina id maxime pos- « tulant, ut ad ecclesia[illegible] [illegible]rochialem fideles quam fre- « quentissime conveniant : id quod ab Episcopis accurate « eos moneri synodus Tridentina pie salubriterque decre- « vit. Ejus decreti auctoritate, ut pro eo quod debemus, « plane obtemperemus, in usumque nostræ provinciæ in- « ducamus, litteras monitionis eo de genere explicatas hoc

1. Labbe, *Collect. conc.*, tom XV, coll. 1034. Vide etiam decretum conc. Burdigalensis, ibid., col. 951. Decret. conc. Bituricensis, col. 1111, *de Laicis*, can. I. Gregorius XIII probavit omnia quæ hæc concilia statuerant uti *pie, prudenterque decreta.*

« provinciali concilio edimus, quas in omni parochiali to-
« tius nostræ provinciæ Ecclesia, certis diebus festis, quo
« pro suæ diœcesis ratione Episcopus præstituerit, de more
« promulgari decernimus; quo diligentius admoniti paro-
« chiales, cum officii religiosi partes facile intellexerint,
« quas suæ quique ecclesiæ parœciali debent, incitata qua-
« dam voluntatis propensione exsequantur. »

Decreta Tridentina quæ citat concilium Mediolanense reperiuntur in sessione XXII[a], Decret. *de Observandis et Evitandis in celebratione Missæ*, in quo legimus : « Moneant « (Episcopi) populum ut frequenter ad suas parochias, « saltem diebus dominicis et majoribus festis, accedant. » Et in sessione XXIV, cap. IV, *de Reform.* : « Moneat Epis- « copus populum diligenter, teneri unumquemque paro- « chiæ suæ interesse, ubi id commode fieri potest, ad « audiendum verbum Dei. » Benedictus XIV existimat obligationem auscultandi parochum verba facientem ad populum, si in Tridentino decreto contineatur, ablatam nunc esse per contrariam consuetudinem. (*De Synodo*, loco cit., n° 13.) Remanet nihilominus votum concilii : remanent synodalia monita ad mentem decretorum Tridentinorum : quapropter omnibus sacerdotibus, seu sæcularibus, seu regularibus, curandum consiliis et adhortationibus ut fideles frequentent ecclesiam parochialem, piisque illius institutis partem habeant, hoc enim maximum incitamentum affert communi ædificationi.

521. — II. Quoad prohibitionem quorumdam operum, maxime servilium, attendere simul oportet ad naturam operum, et ad probatas locorum consuetudines ; non vero, saltem regulariter loquendo, ad intentionem agentis, an lucri causa, an recreationis, seu etiam devotionis, operetur.

1° Ratio potissimum habenda est naturæ operum. Tres species operum distinguuntur, nempe : *servilium*, *liberalium* et *communium*. Juxta communem doctorum interpre-

tationem, opera *servilia* dicuntur quæ corpore exercentur potius quam mente, et immediate deserviunt corporis usibus ac necessitatibus; servilia nuncupantur quia per servos seu mercenarios exerceri solent; v. g. : arare, fodere, suere, etc... Opera *liberalia* dicuntur quæ vel mente præsertim exercentur, vel, si corpore potius exerceantur, fiunt tamen animi excolendi gratia, ideoque homini libero conveniunt; v. g. : studere, docere, scribere, venari, etc... Alia demum reputantur mixta, seu *communia*, quia singulis æque congruunt, servis sicut liberis. Porro lex canonica prohibuit generatim ne diebus dominicis et festivis de præcepto fiant opera *servilia* : unde sequitur opus servile præsumi vetitum jure communi, nisi sit legitima probataque consuetudo quæ illud fieri diebus festivis concedat. Opera vero liberalia licita sunt generatim ; quapropter nulla in specie vetita præsumuntur, nisi de illis statuerit lex aliqua, seu firmata consuetudo.

2° Non sufficit igitur advertisse naturam intrinsecam operum, nisi simul attendamus ad leges canonicas, atque ad consuetudines probatas. Opus servile aut liberale censetur ex usu patriæ, communique hominum æstimatione. « Fieri etiam potest, annotat sapienter Billuart, ut idem « operis genus diversimode factum, sit servile et non ser- « vile; v. g., piscari recreationis causa cum arundine, aut « levi rete, non censetur servile; piscari vero ex officio, « cum magno apparatu et labore, censetur servile. »

Sunt etiam opera liberalia quæ Ecclesia prohibuit fieri diebus dominicis et festivis, quia nimis amovent animum a piis cultus divini exercitiis, scilicet : *mercatus* et *actus judiciales*. Sub nomine mercatus generatim tria continentur : 1° actus privati emendi et vendendi; 2° mercatus publici qui fiunt communiter singulis septimanis, ad quotidianas necessitates, ad quos conveniunt homines de vicino ; 3° nundinæ quæ sunt plerumque de rebus majoribus, fiunt semel aut raro per annum in eodem loco, et ad quas

conveniunt homines de longinquo. Licet ex praxi universali, passim vendere et emere panem, vinum, carnes et alia quæ ad victum quotidianum necessaria sunt. — Mercatus publicos haberi diebus dominicis et festivis omnino alienum est a moribus et regulis christianis. Id nunquam Ecclesia admisit, quæcumque invocaretur consuetudo immemorabilis in contrarium. — Optandum maxime foret ut idem statueretur de nundinis, sed cum valde prosint humanis commerciis et difficillimum sit illas haberi posse extra dies festos quibus confertim populi confluunt, consuetudinem quæ ea de re pluribus in regionibus invaluit, tolerandam duxerunt SS. Pontifices, hortando Episcopos ut matutinas et vespertinas horas constituerent, quibus fideles ad nundinas venientes possint Missæ sacrificio interesse, aliisque christianis operibus festum sanctificare[1].

Ad actus forenses quod attinet, canones vetant ne, consentientibus etiam partibus, processus habeatur die festiva, et ne sententia proferatur. Judex proinde abstinere debet ab auditione partium, ab interrogatione testium, et ab aliis hujusmodi, nisi urgeat necessitas. (Cap. *Omnes*, 1, et *Conquestus*, 5, DE FERIIS.)

3° Opus liberale, aut commune, non ideo fit servile quod propter mercedem aut lucrum peragatur; nec opus suamet natura servile, aut sacris canonibus vetitum, licitum evadit si fiat gratuito, aut recreationis causa. Intentio agentis est quid operibus extrinsecum, quod eorum naturam non mutat. Hinc concludendum professorem historiæ, eloquentiæ, cantus, posse tuta conscientia operam dare suo officio diebus festis, et discipulos edocere quæ suæ artis sunt, quamvis exinde lucrum reportet. Concludendum, e contra, illum transgredi legem qui operam dat, licet absque lucri intuitu, arti lignariæ, sutoriæ, textoriæ, sculptoriæ, typographicæ, etc...

1. Cf. Const. *Ab eo tempore*, quam Benedictus XIV edidit an. 1745 pro Ecclesiis ditionis Pontificiæ.

Animadvertunt plures theologi concedenda non esse opera minutiora quæ facere solent mulieres : scapularia, rosaria, cordulæ, flores, imagines cereæ, maxime si diu his immorentur; sunt enim hæc artium mechanicarum opera, et a mercenariis exerceri solita. Nec excusat motivum pietatis quoad hujusmodi opera, quæ remote tantum ad exercitium virtutis religionis pertinent; alias licitum etiam foret ecclesias ædificare, calices conficere... (Billuart, *de Religione*, dissert. VI, art. II.)

Moribus christianis olim insitum erat ut nemo sibi assumeret licentiam laborandi diebus festivis, etiamsi necessitas urgere, aut pietas suadere videretur; ne multi, privatis affectibus domesticarum rerum decepti, præceptum inani de causa transgrederentur : quinimo, ex nonnullis S. Congregationis declarationibus, hæc licentia scriptis danda erat ab Episcopo, aut saltem a parocho. Si alicubi adhuc servetur tam laudabilis consuetudo, haud dubium quin retinenda sit; si non subsistat, enitendum est ut fideles exposcant consilium sui parochi, antequam operibus præsertim ruralibus vacent, nisi manifesta atque repentina necessitas urgeat.

Sufficiat exposuisse principium generale : applicationes praticas, et solutiones dubiorum quæ in hac materia suboriuntur, remittimus ad tractatus theologicos *de Præceptis Decalogi*.

522. — III. Præter auditionem Missæ, et abstinentiam ab operibus vetitis, nihil aliud statuerunt sancti canones pro sanctificatione dierum festorum. Dubium quidem non est quin omnino expediat christifideles vacare piis exercitiis, auditioni concionum, aliisve charitatis operibus, ut finem ab Ecclesia intentum plenius assequantur; insuper ipsa lege naturali omnes tenentur ediscere doctrinam christianam, et animum vitæ christianæ exercitationibus informare, quod plerumque non facient nisi Ecclesiam diebus festis frequentent; sed stando intra limites solius juris

canonici, arbitramur illum legi satisfecisse qui sacro interfuit ea qua par est religione et ab operibus vetitis cessavit [1].

523. — II° *Quid jure præscriptum sit Parochis diebus dominicis et festis?*

Parochi, et alii curam animarum habentes, tenentur diebus dominicis et festis providere celebrationi divinorum officiorum, pascere fideles verbo Dei per seipsos, aut per substitutos, si impediti fuerint, et pro suis parochianis sacrificium offerre.

Cum sufficienter dictum fuerit in I^a^ parte de obligationibus Parochorum (n^is^ 248-250, t. I, p. 438 et seq.), quædam tantummodo notanda supersunt de diebus festis suppressis, seu ad dominicam sequentem translatis, vi decreti *Apostolicæ Sedis*, 9 aprilis an. 1802.

Cardinalis Caprara, Legatus *a latere*, declaravit, auctoritate S. Pontificis, festorum dierum, qui dominici non sunt, numerum ad quatuor tantum contractum esse in universo Galliarum territorio, « ita ut, inquit, posthac in « reliquis festis diebus, omnes ejusdem incolæ non solum « a præcepto audiendi Missam, vacandique ab operibus « servilibus, sed a jejunii etiam obligatione in diebus qui « festa hujusmodi proxime præcedunt, prorsus absoluti « censeantur et sint. Eam tamen legem adjectam esse vo- « luit, ut in diebus festis, vigiliisque eos præcedentibus, « quæ suppressæ decernuntur, in omnibus Ecclesiis nihil « de consueto divinorum officiorum, sacrarumque cære- « moniarum ordine ac ritu innovetur, sed omnia ea pror- « sus ratione peragantur qua hactenus consueverunt, « exceptis tamen festis Epiphaniæ Domini, Sanctissimi « Corporis Christi, SS. Apostolorum Petri et Pauli, et « sanctorum Patronorum cujuslibet diœcesis et parœciæ, « quæ in dominica proxime occurente in omnibus Ecclesiis

1. Cf. Billuart, loco citato, art. VIII.

« celebrabuntur... Eadem pariter Sanctitas Sua mandat « ut anniversarium Dedicationis templorum quæ in ejus- « dem Gallicanæ reipublicæ territorio erecta sunt, in do- « minica quæ octavam festivitatis Omnium Sanctorum « proxime sequetur, in cunctis Ecclesiis Gallicanis cele- « bretur. »

1° Parochus denuntiare debet plebi dies festos suppressos, atque hortari eos præsertim qui victum parere sibi labore manuum minime coguntur, ut iis diebus sacrosancto Missæ sacrificio intersint; de quo Pius VII enixe admonuit pastores animarum.

2° Debet sacrum facere, et providere ut tot Missæ in Ecclesia parochiali celebrentur quot necessariæ sunt ut votis S. Pontificis fideles commode satisfacere queant. Imo debet, quantum possibilitas suppetit, festa celebrare eodem divinorum officiorum ordine et ritu quo consueverunt antea, quando urgebat præceptum. Fertur Cardinalem Caprara consilium dedisse per litteras encyclicas an. 1806 ut abstinerent deinceps a solemni horum festorum ritu et officiorum cantu, quia subortæ fuerant super hoc difficultates ex parte gubernii civilis. Cum vero eædem difficultates hodie non subsistant, nec pertimescendum sit ne fideles in errorem inducantur circa obligationem servandi festa suppressa, valde optandum esset ut nihil immutaretur de ritu solemni, quantum saltem permittit status parœciarum, præsertim si spes affulgeat fideles attrahendi.

3° Tenetur insuper, iisdem diebus festis qui suppressi dicuntur, applicare Missam pro populo (n° 250, t. I, p. 442.)

Cum illa obligatio possit aliquando onus grave inducere parochis nonnullis, et insuper molestias fidelibus creare qui missas sibi suisve parentibus applicari exoptant, v. g., pro nubentibus, pro exsequiis defunctorum, S. Sedes his incommodis benigne providere consuevit. Pluribus nempe Episcopis concessit facultatem dispensandi, ut diebus festivis hujusmodi parochi recipiant eleemosynam a pio offe-

rente et pro ipso sacrificium applicare licite valeant, dummodo Missam celebrent in ecclesia parochiali, et infra hebdomadam tot Missas applicent pro populo, quot diebus festivis juxta benefactoris intentionem obtulerint. Ita rem statuit Benedictus XIV per litteras apostolicas *Cum semper*, § 8, ad omnes Episcopos, et Ordinarios locorum per Italiam constitutos. SS. Pontifices eamdem facultatem aliis Episcopis, id postulantibus, benigne concesserunt; quod etiam forte concedetur parochis pro iisdem et similibus casibus, quando gravis ratio urgebit obsecundandi votis fidelium; ea tamen semper adjecta conditione ut non prætermittatur, sed solummodo transferatur ad aliam diem, applicatio Missæ parochialis.

524. — III° *Utrum adhuc vigeat lex jejunii pro vigiliis festorum translatorum, virtute decreti* Apostolicæ Sedis?

Cardinalis legatus declaravit, decreto mox allato, fideles eximi ab obligatione jejunii diebus vigiliarum, qui festa suppressa proxime præcedunt. Hinc plures deduxerunt sublatam fuisse in Galliis legem jejunii pro vigilia SS. Apostolorum Petri et Pauli. Ita Rituale Bellicense, tom. I, n° 264. Festum SS. Apostolorum, inquiunt, est quidem ex numero eorum quæ translata sunt in dominicam subsequentem: at illa translatio, juxta sensum obvium decreti, refertur tantum ad solemnitatem, non ad ipsum festum. Alii, quorum opinioni assentimur, aliter decretum interpretati sunt: existimarunt obligationem jejunii solutam fuisse pro vigiliis festorum suppressorum, non vero pro aliis festis quæ translata sunt. Ratio est quod decretum nihil super hac re certum definierit; quapropter cum, juxta tritum axioma, in obscuris restringi debeant quæ exorbitant a jure communi (n° 38, t. I, p. 62), illud debemus interpretari in sensu strictiori. Hanc sententiam confirmavit, an. 1833, S. Congregatio Inquisitionis: Episcopi scilicet Belgii postulaverunt a S. Sede pro suis respective diœcesibus dispensationem super jejunio vigiliæ SS. Apostolorum; dicebant fideles sibi commis-

sos difficulter induci posse ad servandum hoc jejunium, eo maxime quod istius obligatio in Belgio, sicuti in Gallia, in dubium vocaretur. Porro hæc prolata est decisio : « In « congregatione generali S. Romanæ et universalis Inqui- « sitionis, habita in conventu S. Mariæ supra Minervam, « coram Em^is et Rev^is Cardinalibus contra hæreticam « pravitatem generalibus Inquisitoribus, proposita supra « scripta instantia, et præhabito voto DD. Consultorum, « iidem Em^i et Rev^i rescribi mandaverunt — jejunium « in pervigilio festivitatis SS. Apostolorum Petri et Pauli « esse servandum. »

Igitur, si attendamus tantummodo ad decretum *Apostolicæ Sedis*, subsistit obligatio jejunii pro vigiliis festorum ad dominicam subsequentem translatorum. Verum quæstio sub alio respectu considerari potest. Cum aliter fuerit interpretatum decretum praxi plurium diœceseon, et quidem bona fide pastorum et fidelium; cum insuper hæc praxis diuturna consuetudine invaluerit, haud improbabile est obligationem jejunii desiisse in iisdem diœcesibus vi consuetudinis præscriptæ; versamur enim in materia juris mere positivi, quæ præscriptibilis est.

SECTIO II[a]

DE OFFICIO DIVINO

525. — Officium divinum complectitur preces, ritus ac cæremonias quæ Ecclesia ordinavit, indixitque ad cultum publicum.

Remittimus ad tractatus speciales de *Re Liturgica*, quæ ad ritus sacrosancti Sacrificii, Sacramentorum, atque Benedictionum, pertinent. Dicemus tantummodo, in præsenti sectione, de parte officiorum divinorum quam clerici sacris initiati, et regulares, seu privatim recitant, seu in choro exsequuntur, et quæ nomen *horarum canonicarum* usu sortita est. Triplex erit articulus : 1[us] de origine atque forma divini officii; 2[us] de jure formam divini officii statuendi, aut immutandi; 3[us] de regulis servandis in recitatione privata, et in cantu publico divini officii [1].

Articulus I. — De Origine et Forma divini officii.

526. — I° *Quibus elementis constet officium divinum, et in quot partes distribuatur?*

I. Divinum officium duobus ex elementis constat : nimirum ex Scriptura sacra et verbis ab Ecclesia compositis. E sacris Scripturis depromuntur psalmi, cantica veteris et novi Testamenti, capitula, lectiones... Ecclesia adjecit hymnos, versus, antiphonas, responsalia, lectiones ex vita

1. Cf. Zaccaria, *Bibliotheca ritualis*, 3 vol. in-4°, ubi indicantur omnes libri liturgici Ecclesiæ, tam occidentalis quam orientalis; referuntur auctores qui de re liturgica scripserunt; et tandem exponuntur ritus S. Sacrificii, adjecta ad calcem dissertatione *de libro diurno*, qui non parum inservit ad explanationem usuum Ecclesiæ

vel scriptis sanctorum, orationes : frequenter tamen in antiphonis, responsalibus et aliis hujusmodi, textus Scripturarum adhibentur atque simul cum verbis, ut ita dicam, ecclesiasticis, in unum commiscentur.

II. In septem, vel etiam octo partes ordinatur, quæ sunt : Nocturnum cum Laudibus, quatuor horæ minores, Vesperæ et Completorium. Singularum horarum canonicarum non idem omnino est modus, quamvis in multis conveniant.

A Nocturno exoritur cursus divini officii. « In Nocturno, « ait Card. Bona, statim post invitatorium hymni solent « decantari. Vocati enim illico exultamus, et, si quæ sint, « torpentia corda excitantur. In Laudibus, Vesperis et Com- « pletorio ponuntur psalmi, postea hymni, demum cantica, « ut fiat quod scriptum est, *in psalmis, hymnis et canticis* « (Coloss., III, 19); cæteris horis hymnus præcedit psal- « mos, quia curis quotidianis occupatum cor ad dulcedi- « nem divini amoris personante hymnico cantu retrahi de- « bet. Hymnos stantes dicimus, ut in corporis erectione « rectitudinem mentis ostendamus. » (*De Psalmodia*, cap. XVI.) Laudes Nocturnum excipiunt, eoque nomine nuncupantur quia hæc pars horarum tota fere consistit in persolvendo laudes Deo.

Post Laudes, suo loco veniunt quatuor horæ minores, Prima, Tertia, Sexta et Nona, quæ, sicut aliæ partes officii, hymnis, psalmis et oratione consistunt. Psalmis recitatis cum sua antiphona, qui præest legit capitulum ex sacris Scripturis, et horas consuetis precibus absolvit. Horis quatuor minoribus succedunt Vesperæ, quæ locum aliquatenus supplent sacrificii vespertini, quod Judæi olim offerebant.

Rom. sæculis v°, vi° et vii°. — Card. Bona, *Rerum liturgicarum* lib. II; et *de sacra Psalmodia.* — Azevedo, *Exercitationes liturgicæ de divino officio*, in-4°. — Dom Guéranger, *Institutions liturgiques*, 3 vol. in-8°. — *Défense des Institutions.* — *Les Hymnes du bréviaire romain*, par M. Pimont.

Tandem officium concludit Completorium, oratio scilicet qua fideles, expleto die, Deo grates rependunt, veniam delictorum per diem forte commissorum implorant, divinamque benedictionem in noctem subsequentem.

527. — Singulis fere horis diei respondent partes officii divini; quod ut melius appareat, sufficiet memorasse pristinam divisionem diei noctisque apud Judæos et Romanos. Duodecim computabantur horæ diei, juxta illud Evangelii: *nonne duodecim sunt horæ diei;* tres et aliquando quatuor assignabantur vigiliæ noctis, unde Dominus nos sic hortatur ad vigilantiam : *Si* (Dominus) *venerit in secunda vigilia, et si in tertia vigilia venerit, et ita invenerit, beati sunt servi illi... Nescitis, quando Dominus veniet, sero, an nocte, an galli cantu, an mane*, (Ev. S. Joannis, XI, 9; S. Lucæ, XII, 38; S. Marci, XIII, 35.) Porro sex horæ diurnæ : Prima, Tertia, Sexta, Nona, Vesperæ et Completorium, respondent tot partibus diei. Prima dicitur ex prima parte diei quæ ab ortu solis ad nonam horam ante meridianam protenditur; Tertia respondet alteri parti, ab hora nona ad meridiem; Sexta a meridie ad horam tertiam; deinde venit Nona, qua absoluta recitantur Vesperæ hora serotina, et Completorium versus occasum diei. Officium item nocturnum, cum Laudibus, respondet vigiliis noctis. In noctis officio unicus erat priscis temporibus Nocturnus qui constabat duodecim psalmis, quemadmodum etiam nunc in feriali officio, et in primo Nocturno dominicæ fieri solet. Deinde ut totam noctem, quæ diem dominicam et præcipua festa præcedebat, orando transigerent, tres Nocturnos invexerunt qui tribus distinctis temporibus noctis recitabantur, dum reliquis diebus semel tantum per noctem orabant. Fervore paulatim tepescente, incœptum est tres illos nocturnos continenter, seu unum post alterum recitari, quin tribus vicibus monachi et clerici ad orandum convenirent. Tandem, ne noctu consurgerent, mos invaluit unum Nocturnum diebus feriatis, et tres diebus festis,

mmo mane, adjectis simul Laudibus, et exinde fficii Matutini nomine appellata est, quia scilicet udibus mane recitabatur [1].

· II° *Quomodo divinum officium ordinatum fuerit nporum, ab initio Ecclesiæ ad sæculum* XV, *in eam am hactenus retinuit ?*

stoli tradiderunt fidelibus disciplinam orationis os frequenter in cœtum convocando, ubi recitalmi cum oratione dominicali et fiebant obsecraut suggerebat Spiritus Sanctus. Nescimus utrum as diei noctisque assignaverint orationi, seu pu- privatæ; conjicere tamen merito possumus ipevisse preces Deo offerre horis quas mysteria que dona effusa Sancti Spiritus, quadamtenus nt; nam *Actus* Apostolorum enarrant Petrum, aliosque ascendisse templum ut orarent hora exta, Nona, quibus scilicet Spiritus sanctus deslie Pentecostes, Christus mortuus est, et Petro fuit mysterium vocationis gentium ad fidem m.

culis quæ ætatem apostolicam proxime secuta ndo nempe, tertio, et quarto, Ecclesia multa or- officio publico.

diu furor infidelium in christianos exarsit, fideles pant horis incertis, communius tamen nocte, vel

[1] lerati *Addit. ad Gavantum*, sect. IV, cap. I. — Magister cæremoniarum animadvertebat, in suo voto coram S. Conm anno 1860, hæc tria : *Nocturnum*, *Nocturnos* et *Matu-*, ex primitivo et genuino Ecclesiæ loquendi more, res stinctas; *Nocturnum* scilicet simpliciter dictum designare unicum feriale, vel primum dominicæ; *Nocturnos* dici partibus officii nocturni diebus dominicis et festis. Hinc ludebat Episcopum, dum, juxta Pontificale, præscribit subdiaconis recens ordinatis ut recitent nocturnum *talis diei*, nocturnum feriale vel dominicæ, constans duodecim psalero alterum ex tribus nocturnis festi sanctorum. (*Analecta ficii*, an. 1860, col. 342 et seq.)

ante solis ortum, ut testatur Plinius Junior in epistola ad Trajanum; unde et hi conventus dicebantur *antelucani*. Cum tamen, ipso tempore persecutionum, aliqua libertate identidem gauderent, stabilita paulatim fuit disciplina faciendi conventum statis partibus diei. Tertullianus mentionem habet, in libro *de Jejuniis*, horæ *tertiæ*, *sextæ*, *nonæ*, et *vespertinæ* quas apostolicas nominat. S. Cyprianus earumdem horarum meminit in tractatu *de Oratione dominica*; sacratas illas dicit exemplo sanctorum Veteris Testamenti, et multo venerabiliores gratiis quas Deus largitus est Apostolis; quapropter hortatur fideles ut orent hora tertia, sexta, nona, in memoriam mysteriorum quæ mox referebamus; designat insuper horam vespertinam, nocturnam, et matutinam propter alias mysticas significationes. Auctor item *Constitutionum Apostolicarum* ait : « Precationes facite « mane, tertia hora, ac sexta, et nona, et vespere, atque « ad galli cantum : Mane, gratias agentes quod illuminavit « nos nocte sublata et reddito die : Tertia, quod ea hora « Pilatus judicium adversus Dominum pronuntiavit; Sexta, « quod, ea hora in crucem actus est : Nona, quod tum « omnia mota et tremefacta sunt, Domino crucifixo... » (Lib. VIII, cap. XXXIV.) His partibus orationis S. Benedictus addidit, sæculo V°, Completorium, cujus rationem explicat in cap. XIII Regularum : « *Septies in die laudem dixi tibi*, « ait Propheta, qui septenarius numerus a nobis comple« bitur, si Matutini, Primæ, Tertiæ, Sextæ, Nonæ, Vespe« ræ, Completoriique tempore, nostræ servitutis officia « persolvamus. »

Singulæ partes officii constabant hymnis, psalmis, lectionibus e sacris Scripturis, et orationibus, quas Antistites a traditionibus apostolicis acceperant, quibus et ipsi nonnulla addiderunt, pro ratione temporum. Ex eo enim tempore quo, sedatis persecutionum procellis, libertas plena uit componendi ordinem cultus publici, maximam curam huic operi primi pastores impenderunt, præsertim sancti

t Chrysostomus in Ecclesia orientali; sancti Am-,eo, Gelasius, Gregorius, in occidentali. Modum ıstituerunt psalmos in Ecclesia recitandi, quam jam in Orientalibus partibus institutam, sanctus ıs in Occidentem induxit, teste sancto Augustino. ›tus originem psalmodiæ adscribit Ecclesiæ Antio-b pontificatu Flaviani, qui primus choros in duas ivisit, et psalmos alternis vicibus canere suum docuit; « Quod quidem, ait, tunc primum An-ɜ incœptum, inde ad reliquos pervasit et ad ulti-sque terrarum fines perlatum est. » (Lib. II, v.) Sanctus autem Augustinus refert sanctum Am- hunc morem introduxisse in Ecclesiam Mediola- quando Justina, Valentiniani Junioris mater, sanc-scopum persequebatur, atque pia plebs fidelium › Præsule excubabat. « Tunc hymni et psalmi ut ɜntur secundum morem Orientalium partium, ne us mœroris tædio contabesceret, institutum est, et o in hodiernum retentum, multis jam, ac pene ɔus gregibus tuis, per cætera orbis imitantibus. » *sionum* lib. IX, cap. VII.)

ctus Ambrosius hymnos composuit, quibus hacte-mur in Breviario Romano; alios Prudentius poeta Ecclesiæ orientales retinent hymnos sanctorum n, Basilii et Gregorii Nazianzeni.

i viros eruditos non lateat quibus progressibus forma ca officii, per decursum temporis, perfecta fuerit, nen dubitari potest quin a sæculo quinto ad eum fere m redacta jam fuerit quem ad nostram usque æta-etinet. Hujus rei argumentum suppeditat regula Benedicti; nam verisimillimum est sanctum patriar- monachorum Occidentis sibi proposuisse exemplum quod in usu erat apud Ecclesiam Romanam. Porro us Benedictus non solum distribuit horas canonicas ɔtem partes, sed cuncta eodem fere ordine composuit

qui nunc servatur, quod cuique apertum est ex capitibus IX-XVIII Regularum.

III. Sanctus Benedictus liberum reliquit abbatibus monasteriorum aliquid immutare in ordinatione divini officii, aliasque lectiones substituere, si opportunum judicaverint. Eadem libertate utebantur tunc temporis Episcopi, præsertim majorum sedium. Exinde venit rituum varietas, quæ diversis liturgiis originem dedit.

IV. In Ecclesia orientali fuit olim liturgia attributa sancto Jacobo, quam plures eruditi existimant fontem omnium liturgiarum, quæ in Oriente habentur; nimirum liturgiæ Græcorum, Armenorum, Maronitarum, etc., etc., quæ, licet in multis dissimiles, ab eadem origine primitus processerunt. Liturgia *Græca* dicitur liturgia S. Basilii, et S. Chrysostomi, quia uterque plures partes divini officii et Missas ordinavit, et alias in forma concisiori contraxit.

Liturgias Græcorum, Armenorum et Maronitarum, S. Apostolica Sedes integras custodiri voluit, postquam libri quibus continentur fuerunt emendati. SS. Pontifices instituerunt Congregationem specialem præpositam correctioni librorum liturgicorum Ecclesiæ orientalis.

In Occidente, præter liturgiam Romanam, quæ in toto fere patriarchatu Romæ prævaluit, tres aliæ fuerunt, Ambrosiana scilicet, Gallicana et Gothica, seu Mozarabica.

Ambrosiana vulgo adscribitur sancto Barnabæ. Ignoratur vera illius origo : indubium est introductam fuisse in Ecclesia Mediolanensi longe ante pontificatum sancti Ambrosii, cujus tamem nomine designatur, quia sanctus ille Antistes multas curas sollicitus adhibuit ut illam emendaret ac perficeret, illamque plurimis hymnis, orationibus, et Missis ditavit. Alexander VI, Constitutione *Rom. Pontificis*, an. 1497 edita, firmavit clero Mediolanensi jus peragendi Missas, Cæremonias, cantus, aliaque officia divina,

tum Ambrosianum, data facultate celebri monasbis eodem ritu utendi.

rgia *Gallicana* venit, juxta alios, ab Ecclesia orienqua orti fuerant primi præcones fidei qui evange- Galliis prædicaverunt, « quæ conjectura probabiion caret, « ait Editor operum B. Thomasii, ob ım similitudinem quam præfert cum liturgiis Græ-[1]. Juxta vero alios, nulla alia fuit liturgia quam atinæ, ab exordio Ecclesiæ ad quintum sæculum. utem visum fuerit opportunum ut vetus liturgia reır, et detraherentur ea quæ vel obsoleverant, vel ıgiorem æquo reddebant, « id muneris suscepit Ge- Papa pro Italia, atque ita orta est missa secundum ıem Gelasianum. S. Gregorius iterum opus Gelaculcavit, multa addidit, mutavit, sustulit, atque profectus est *ordo Romanus*. S. Ambrosius eamdem ıdationem exorsus est, atque Ambrosianam pepeurgiam. Musæus et Sidonius Apollinaris idem sine dubitatione pro Gallia et Germania præstiterunt, vetus missa Gallicana exorta est, si modo a Gelaı differat[2]. » Quidquid sit, indubium est Ecclesias um habuisse ante Carolum Magnum ritus in multis iles a Romanis, ex quibus nonnulli analogiam prænt cum ritibus orientalibus. Quandonam abolita hæc liturgia Gallicana mox dicetur[3].

urgia *Gothica* servabatur olim in Hispania : suum

homasii opera, tom. VI, præf., nº xxv. Ed. data studio Fr. i.

ard. Bona, tom. III, *Appendices*, § 6.

ui aliqualem notitiam veteris liturgiæ Gallicanæ sibi compaluerit, potest videre *Missale Francorum*, et *Gallicanum vetus*, liderunt Ven. Thomasi, tom. VI; Card. Bona, tom. I, lib. I, ı; Mabillonius, *de Liturgia Gallicana*, lib. III. Lebrun multa e disseruit, in libro *Explication de la messe*, tom. II, dissert. II, Ibidem reperias notiones de liturgia Mozarabica, cum Missali o. Cf. L. Marchesi, *la Liturgie gallicane dans les huit pre- siècles de l'Église*, in 8º, an. 1869.

nomen accepit a populis Gothis qui illam ab Oriente in Hispanias induxerunt quinto sæculo, quando has regiones invaserunt. Sanctus Leander, contemporaneus Gregorio Magno, et postea sanctus Isidorus Hispalensis, multas huic liturgiæ operas navaverunt; ejusdem autem ritus libros emendari curavit, sæculis subsequentibus, Cardinalis Ximenes.

529. — In hac rituum varietate, et libertate Episcopis data preces officii publici ordinandi, satis grave periculum Ecclesiis imminebat; timendum quippe erat ne puritas fidei ac divini cultus læderetur, seu negligentia quorumdam Episcoporum vel novatorum dolo; eo minus insuper elucebat unitas sanctæ Ecclesiæ catholicæ, quo magis Ecclesiæ particulares aliæ ab aliis in suis officiis dissentire videbantur.

Ut præcaverentur hæc pericula, concilia provincialia olim statuerunt ne singuli Episcopi ritus immutarent, sed sequerentur ordinem Ecclesiæ Metropolitanæ, nec aliæ recitarentur preces in publicis officiis quam probatæ a synodo provinciali. Ita præ cæteris sanxerunt concilia Milevitanum, an. 416, Agathense, an. 506, Toletanum, an. 676, cujus canon in hunc modum refertur apud Gratianum, cap. *De iis*, 13, dist. XII : « Placuit concilio ut « Metropolitanæ Sedis auctoritate coacti uniuscujusque « provinciæ cives, rectoresque Ecclesiarum, unum eum« demque in psallendo teneant modum quem in Metropo« litana Sede cognoverint institutum; nec aliqua diversi« tate, cujusque ordinis vel officii, a Metropolitana se « patiantur Sede disjungi. Sic enim justum est ut inde « unusquisque sumat regulas magisterii, unde honoris « consecrationem accipit, ut, juxta majorum decreta, « Sedes quæ unicuique sacerdotalis dignitatis est mater, « sit ecclesiasticæ magistra rationis... Sub ista ergo « regula disciplinæ, non solum Metropolitanus totius suæ « provinciæ pontifices vel sacerdotes adstringat, sed

ım cæteri Episcopi subjectos sibi Ecclesiarum rec-
əs obtemperare his institutionibus cogant. »
quum omnino fuit ut eadem prorsus ratione qua
li provinciales enitebantur inducere uniformitatem
linæ cultus per provinciam, Sancta Apostolica Sedes
:m perfectioremque studuerit uniformitatem inducere
ımnem patriarchatum Ecclesiæ Romanæ, Matris et
ıtræ aliarum Ecclesiarum. Periculo igitur varieta-
itus remedium afferre, necnon Ecclesiarum utilitati
lere, continuo labore curavit, promovendo unitatem
iæ.' « Hæc semper fuerunt, ait Mabillonius, ardentis-
a studia SS. Pontificum ut Romanæ Ecclesiæ ritus
ɜ Ecclesiis approbarent ac persuaderent, rati, id quod
;, eas facilius in una fidei morumque concordia, atque
equio Ecclesiæ Romanæ perstituras, si eisdem cære-
ɿiis, eademque sacrorum forma continerentur. » (*De
gia Gallicana*, Præfatio, n° 2.) Nonnulla facta paucis
'e liceat in hujus assertionis confirmationem.

Ineunte sæculo v°, sanctus Innocentius I, in Epistola
lebri ad Decentium, questus est varietatem inductam
in ordinibus et consecrationibus, dum unusquisque
[uod traditum a sancto Petro, a quo omnes Ecclesiæ
entis habent originem, sed quod sibi visum fuerit,
əstimat esse tenendum. Verba Innocentii referuntur
m ad ritus sacramentales quos Ecclesia Romana
ıerat a traditionibus B. Petri, aut venerabilium Petri
ssorum, sed satis insinuant cunctos Antistites Eccle-
n occidentalium nihil ordinatius acturos in sacra
;ia, quam si Ecclesiæ Romanæ ritus servent : « Opor-
eos sequi, ait Innocentius, quod Ecclesia Romana
ɜtodit a qua eos principium accepisse non est
ɔium : ne dum peregrinis assertionibus student,
ıut institutionum videantur omittere [1]. »

ıstaıt, *Epistolæ Rom. Pontificum*, 855, 856.

2° Sæculo VI°, Vigilius papa dedit Profuturo, Episcopo Bracarensi in Lusitania, volumen liturgiæ Romanæ, quod fideliter ab omnibus sequendum indixit concilium Bracarense, an. 563 celebratum : agebatur in hocce decreto de ordine Missarum servando.

3° Sæculo VII°, sanctus Gregorius Magnus induxit ritus Romanos in Angliam opera sancti Augustini Cantuariensis; cui tamen facultatem concessit ut simul apud gentem Anglorum induceret quod bonum ac utile repererit, sive in Galliis, sive in qualibet alia Ecclesia. « Novit, inquit, « Fraternitas Tua Romanæ Ecclesiæ consuetudinem in « qua se meminit enutritam. Sed mihi placet ut, sive in « Romana, sive in Gallicana, sive in qualibet Ecclesia « aliquid invenisti quod plus omnipotenti Deo placere pos« sit, sollicite seligas, et in Anglorum Ecclesia, quæ de mul« tis Ecclesiis colligere poteris, infundas. Non enim pro « locis res, sed pro rebus loca amanda sunt. Ex singulis « ergo Ecclesiis quæ pia, quæ religiosa, quæ recta sunt, « elige et hæc quasi in fasciculum collecta, apud Anglorum « mentes in consuetudinem depone. » (Dist. XII, cap. X.)

4° Sæculo VIII°, Paulus I et Adrianus cohortati sunt reges Francorum, Pippinum scilicet et Carolum Magnum, ut desererent liturgiam Gallicanam, ei suffecta liturgia Romana; quamobrem Paulus I transmisit Antiphonarium Romanum, ut cantus romanus cum antiphonis et responsoriis introduceretur; Adrianus vero Sacramentarium Gregorianum. Reformationem, tametsi difficilem in praxi, ad exitum perduxit Carolus, in iis saltem quæ magis præcipua videbantur, « ut quibus Ecclesiis, inquit, erat com« par ardor credendi, et quæ unitæ erant unius sanctæ legis « lectione, essent etiam unitæ unius modulationis vene« randa traditione, et non sejungeret officiorum variata « celebratio, quas conjunxerat unius fidei pia devotio [1] ».

1. Apud Card. Bona, *Rerum liturgicarum* lib. I, cap. XI.

ndum est mutationem, quamvis sibi summopere exop-
ı, non præscripsisse, tunc temporis, Rom. Pontifices,
ıon imperio sed suasione et precibus apud principes
ıaluerunt : id verisimiliter causa fuit cur Episcopi,
›bstante introductiòne librorum Romanorum, multa
ɜrisque provinciis retinuerint priscorum rituum.
›natus est etiam Carolus Magnus abolere liturgiam
·osianam in Italia, at incasso labore; impossibile
ue fuit dimovere populum Mediolanensem a suis riti-
quos sancti doctoris nomen sibi sacratiores red-
[1].

Sæculo xiº, sanctus Gregorius VII abolevit liturgiam
cam. Populus clerusque Hispanus diu et fortiter huic
nationi obstiterunt; at reluctantes animos devicit
ıntia Gregorii. Postea tamen Julius II benigne annuit
latis a Card. Ximenes, ut quædam Ecclesiæ Toleti
iam Mozarabicam conservarent. Ipse Cardinalis
ıes curavit exemplar librorum hujus liturgiæ.
ec satis ostendunt quo conspiraverint studia SS. Pon-
n per decursum priorum sæculorum; his traditioni-
ıhærere Pontifices subsequentibus temporibus recen-
ɜxempla comprobabunt.
0. — Dum SS. Pontifices Ecclesias Occidentis ad
iam Romanam adducere enitebantur, studebant
rituales reformare, novis exornare hymnis, oratio-
officiisque Sanctorum. Sunt vestigia laborum sanc-
Gelasii et Gregorii Magni in *Sacramentalibus,* et
aliorum Pontificum qui, pro temporum opportuni-
rei liturgicæ operas dederunt. Officium Romanum,
›rum præteritorum incrementis auctum, abbrevia-
Gregorius VII ad sui suæque curiæ usum, unde
ι ex illo tempore fuit in ipsa urbe Roma modus offi-
ini : alter brevior quo utebatur curia Romana, seu

[. Lebrun, *Explication de la messe,* tom. II, IIIe dissertation.

capella pontificia; prolixior alter, cæteris Ecclesiis communis, donec omnes fere, si unam excipias Basilicam Lateranensem, priorem adoptaverunt. Sæculo XIII°, sub Gregorio IX, P. Haymon, familiæ franciscanæ præpositus generalis, obtinuit facultatem officio breviato secundum consuetudinem curiæ Romanæ utendi, in quo plures hymnos introduxit; unde hæc forma breviarii per Ecclesias facile propagata fuit [1].

In quo factæ sint librorum liturgicorum revisiones ac reformationes, dictu difficile videtur, quia desunt exemplaria integra librorum quibus per decursum sæculorum Ecclesiæ usæ sunt, qui inter se comparari queant. Id unum animadvertemus, non actum solummodo fuisse de nonnullarum precum introductione, aut de litteraria correctione mendarum quæ incuria transcriptorum forte irrepsissent. Multa olim usitata in sacris ritibus mutata sunt, novæ inductæ cæremoniæ, plura responsoria aliorum loco suffecta, etc. Eadem ratione qua sanctus Gregorius nonnulla Sacramentarii Gelasii immutavit, successores Gregorii debuerunt, sæculis præsertim XII°, XIII°, XIV°, non pauca reformare quæ casu inducta fuerant in liturgiam Romanam, cujus alterationis officiorum causas summatim assignat auctor recens qui de re liturgica scripsit : « Ni saint Grégoire, ni ses successeurs, n'avaient exigé « que les diverses Églises d'Occident soumises à la litur« gie romaine réformassent leurs livres, d'après cette der« nière révision (de S. Grégoire VII). Il en était donc « résulté une sorte de confusion qui devait nécessiter plus « tard une solennelle correction. Cette confusion était « encore accrue par les offices des Saints que l'on ajou« tait de toutes parts à l'ancien calendrier : ce qui, joint « aux usages d'une liturgie antérieure qui s'étaient con« servés, quoique en petit nombre, menaçait de plus en

1. Cf. les *Hymnes du bréviaire romain*, *Introduction*, § 11, pag. XXIV et seq.

l'unité liturgique dans le Patriarcat d'Occident, ιoins pour les offices divins[1]. »

. — III° *Quas refcrmationes tentaverit in liturgia um officiorum, ac demum compleverit, Ecclesia a a sæculo* xv°?

ancta Sedes tentamina reformationis iniit sub Ponι Leonis X, Clementis VII et Pauli III.

X optavit reformare officium Romanum, quod sibi imperfectum visum fuit ratione latinitatis et defecitices; ea quippe ætate instaurationis humanarum rum, plures exprobrabant libris liturgicis sæculopræteritorum styli deformitates et prolixitatem. ι proinde commisit Ferrerio novos hymnos edendi, excusos Clemens VII approbavit, permittendo ut et sacerdos iis uti valeret in recitatione officii divini. hymnorum compositio novi etiam Breviarii editionducebat, quod Clemens VII a Quignones Cardinali *Sanctæ Crucis* parari et confici voluit. Quignones n Breviarium reipsa confecit, quod non minus recea libris liturgicis, huc usque adhibitis, quam orium Ferrerii. Dicere sufficiat Breviario detraxisse nam partem antiphonarum, responsoriorum, ver, homiliarum, et singulis horis, ne excepto quidem nocturno, tres tantummodo psalmos assignavisse. ulus III Breviarium sic reductum approbavit ac illo i facultatem concessit omnibus clericis qui petierunt, ut vix prodierat quod jam in permultas Ecclesias entis perlatum esset et adoptatum.

tamen notare est libros liturgicos, sive Ferrerii, sive Quignones, nunquam fuisse approbatos pro officio o, nec Ecclesiæ universali a Sancta Sede propositos.

Aliam reformationem, ad præscriptum veterum traum liturgicarum, plures exoptarunt qui sua vota ad

[1] uéranger, *Institutions liturgiques*, tom. I, chap. xii, pag. 333

concilium Tridentinum pertulerunt. Paulus IV, non minori zelo incensus quam sui prædecessores instaurandi libros liturgicos perfectiori methodo, eidem concilio commisit labores jam inceptos ad hunc finem assequendum. Cum vero ad tantum opus tempus sibi deesset, concilium rem omnem ad Sanctam Sedem in ultima sessione remisit.

S. Pius V, votis Ecclesiæ obsequens, reformavit Breviarium et Missale Romanum, quod utrumque duabus solemnibus Constitutionibus promulgavit, quibus simul abolevit alia quæcumque breviaria et missalia, quorum usu interdixit omnibus Ecclesiis et monasteriis, « illis tamen exceptis « quæ ab ipsa prima institutione a Sede Apostolica appro« bata, vel consuetudine quæ ducentos annos antecedebat, « aliis certis breviariis usa fuisse constiterit; quibus, ait « S. Pius V, ut inveteratum illud jus dicendi et psallendi « suum officium non adimimus, sic eisdem, si forte hoc « nostrum quod modo promulgatum est, magis placeat, « dummodo Episcopus et universum capitulum in eo con« sentiant, ut id in choro dicere et psallere possint, per« mittimus. » (Const. *Quod a nobis*, an. 1568.) Eadem præscripta sunt pro Missali Romano, altera Constitutione *Quod primum*, an. 1570.

Ut reformatio integra perficeretur, Gregorius XIII calendarium correxit et martyrologium; Clemens VII edidit *Pontificale* et *Cæremoniale* Episcoporum; Paulus V *Rituale Romanum*. Sixtus autem V instituit sacram Congregationem Rituum, quæ interpretaretur dubia orta circa regulas liturgicas et invigilaret correctioni librorum qui sacros ritus continent. Tandem ut in futurum præcaveretur aliqua immutatio seu alteratio in exemplaribus Breviarii et Missalis, Clemens VIII indixit Inquisitoribus, atque Ordinariis locorum, ut nulli bibliopolæ facultatem concederent evulgandi Breviarium et Missale, nisi prius contulerint libros imprimendos et impressos cum exemplari recognito auctoritate Sedis Apostolicæ; et ut, in ipsa licentia, mentionem habe-

de collatione facta, et quod omnino concordent, pro- manu attestarentur [1].

32. — IV° *Quibusnam Ecclesiis Pius V imposuerit obli- nem utendi Breviario et Missali Romano?*

bligatio officium recitandi Missasque celebrandi juxta iarium et Missale Romanum, auctoritate Pii V cor- ., non omnes Ecclesias attigit ab exordio : constitu- s siquidem *Quod a nobis* et *Quo primum* expressis verbis iebant a lege communi Ecclesias, ordines et monas- , quæ ab institutione approbata a Sancta Sede, vel a ıetudine 200 annorum, *certis Breviariis utebantur*. His ıde Ecclesiis, atque ordinibus seu monasteriis, non ıptum fuit *jus* illud inveteratum *dicendi suum officium*. lures ordines religiosi, Carthusiani, Dominicani, Car- æ, etc., sua Breviaria conservaverunt. Ecclesiæ orien- lege non tenebantur. In Occidente ab eadem lege exi- ıntur Ecclesia Mediolanensis, Ecclesia Toletana, et Iispaniarum quibus servatus fuerat ritus Mozarabicus, s Ecclesiæ Galliarum ac præsertim Parisiensis, quæ ribus sæculis habebant facultatem, juxta suos ritus 'ios, officium recitandi. « Les Églises de France, *ait* Guéranger, avaient, à l'époque de la publication de ɔulle, une liturgie formée de la romaine et introduite · Charlemagne, et de ces usages particuliers qu'elles vaient ajoutés, ensemble qui leur faisait honneur aux ıx de toute l'Europe, et qu'elles pouvaient légitime- ɑt conserver aux termes de la bulle. » (*Institutions iques*, tome I, chap. xv, p. 457.)

troductio librorum Romanorum in Galliis, tempore ıi et Caroli Magni, abolevit veterem liturgiam Galli- ı quoad Missarum celebrationem ; quoad autem alias

[1]. Congregatio Rituum plura ea de re rescripsit, præsertim aug. 1691, n° 3245 ; — die 16 mart. 1833, n° 4701 ; — die 26 ap. ° 4730. — Ex Constitutione Urbani VIII, *Divinam psalmodiam*, ·ia, sine facultate impressa, eo ipso prohibita censentur.

partes officii divini, nullatenus existimaverunt Episcopi sibi ademptam libertatem nonnulla immutandi quæ minus opportuna visa fuerint, aliaque adjiciendi. Hanc fuisse mentem Caroli Magni ipse sua agendi ratione ostendit, cum, paucis a receptione librorum Romanorum elapsis annis, novum homiliarium confici curaverit, quod ad omnes Episcopos transmisit. (*Capitularia* Regum Francorum, ed. Baluz., tom. I, fol. 204.)

Ecclesiis igitur Galliarum sua remansit liturgia particularis, quæ in multis differebat a liturgia Romana. « Quoi- « que Charlemagne, *ait* Boquillot, eût obligé les Églises de « France à prendre le Sacramentaire de S. Grégoire, il est « manifeste qu'elles ne prirent pas tout ce qui est dans ces « livres, mais qu'elles les accommodèrent à leurs usages « anciens. » Retinuerunt utique : 1° Psalterium juxta emendatam translationem e græco in latinum, quod tunc vocabatur *Psalterium Gallicanum*, Romanis vetusta editione eo tempore utentibus ; 2° quosdam ritus vetustiores liturgiæ Gallicanæ, quos superstites adhuc in recentioribus viri eruditi animadverterunt ; 3° calendarium festorum proprium ; 4° antiphonas, responsoria, hymnos et orationes quæ cum approbatione Episcoporum inserta sunt in libros Romanos ; unde auctor recens mox citatus dixit : « Telle « fut l'influence de l'Église de France sur la liturgie uni- « verselle. Elle servit à compléter, à perfectionner, à « enrichir le répertoire grégorien[1]. »

Inde concludas Ecclesias Galliarum, imprimis antiquiores, puta Lugdunensem et Parisiensem, non fuisse adstrictas vi Constitutionum sancti Pii V ad utendum Breviario et Missali Romano, cum, nedum a ducentis annis, quin etiam a primævis sæculis, suum proprium usum habuerint. Et hæc sunt motiva quibus capitulum Ecclesiæ Parisiensis

1. Boquillot, *Traité historique de la liturgie sacrée*, liv. I, chap. x. — Grancolas, *Commentaire sur le Bréviaire romain*, tome I. — D. Guéranger, *Institutions liturgiques*, tom. I, ch. xi.

uctum fuit ad retinendam liturgiam Parisiensem, quando scopus Petrus de Gondy, anno scilicet 1583, illius conim super negotio exquisivit : « In primis, inquit, attenta ntiquitate Breviarii et Missalis Parisiensis, ex decretali ovissimi usus Romani permissa. »

ICULUS II. — DE JURE ORDINANDI ET IMMUTANDI RITUM OFFICII DIVINI.

533. — *Ad quem pertineat jus statuendi de forma serla in officio divino?*

Ius statuendi de forma divini officii, indicendo nimi- preces, cæremonias, ac ritus cultus publici, soli Ecæ competit. Ordinatio divini cultus est causa ordinis rnaturalis, utpote quæ complectitur symbola fidei olicæ, preces, cohortationes, aliaque ad exercitium itis religionis alimenta. Si quandoque principes chris- aliqua præscripserint aut immutaverint in iis quæ sunt ii divini, non exinde concludendum aliquid juris illis etere in hac materia, vi potestatis sæcularis; sed dum est alios id egisse ex assensu saltem tacito Ecæ, uti haud semel fecerunt reges quorum piam sollicilem S. Sedes laudibus extulit; alios autem usurpasse, er fas, jura spiritualia, quod sæpius contigit sæculis ime elapsis, in Germania, in Gallia, in Italia, cæterisque nibus.

ectæ Protestantium merito arguuntur erroris, et violat divini, ex eo quod veritæ non sint submittere sacram giam imperio principum sæcularium.

34. — Potestas igitur officia divina ordinandi excluompetit Ecclesiæ, scilicet Rom. Pontifici et Concilio ali. De Episcopis, an et ipsi in sua quisque diœcesi nt, cum debita subordinatione S. Pontifici, ordinare um, quæstio sub duplici respectu considerari potest, scilicet divini et canonici.

I. Si juris divini rationem solummodo habeamus, dicendum est Episcopos habere potestatem propriam, summæ jurisdictioni Sedis Apostolicæ subordinatam, ordinandi officium publicum in sua diœcesi.

Episcopi sunt, divina ordinatione, doctores et pastores spirituales quos Spiritus Sanctus posuit pascere gregem Dei et regere Ecclesiam : atqui dispositio divini officii ad illud pastorale ministerium suamet natura refertur... Præterea, per plura sæcula, singuli Episcopi, in sua quisque respective Ecclesia, jure potiti sunt preces, ritus cæremoniasque ordinandi, servata tamen lege hierarchiæ qua inferiores superioribus debitam obedientiam præstare tenentur; nihil reperitur in monumentis antiquitatis ex quo deducere debeamus id ipsis jure delegato concessum fuisse; ergo dicendum videtur fuisse potestatem jurisdictioni episcopali propriam.

In eam sententiam convenerunt veteres doctores, qui disseruerunt de jure liturgico; unde P. Zacharia, pro indubitata assertione, hanc propositionem emisit : « Ab Apos-
« tolis in Episcopos jus liturgicum manavit : concilia tamen
« paulatim, vel Patriarchæ illud sibi vindicaverunt. »
(*Bibliotheca ritualis*, dissert. I, cap. III.) Ab exercitio hujus juris sequeretur quidem aliqua varietas in cultu publico; sed id non obstat, nam unitas esse debet in essentialibus, in iis scilicet quæ sunt juris divini, et in iis etiam quæ summa auctoritas Concilii generalis, aut Sedis Apostolicæ, universali Ecclesiæ servanda proposuit; unitas vero omnimoda et litteralis quæ quamlibet diversitatem excludat, v. g., in divisione psalterii, in formulis orationum, in delectu lectionum, non est jure divino necessaria ad communionem catholicam.

« Ecclesiam Christi sponsam, ait Card. Bona, varieta-
« tibus circumamictam regius psaltes describit... quid au-
« tem vestes, quid flores multicolores sunt, nisi varietas
« sacrorum rituum quibus ecclesiastici viri Deo laudes per-

;olvunt? Alias enim consuetudines Ecclesia Romana ha-
)et, alias habet Ecclesia Mediolanensis : aliis cæremo-
ıiis utuntur monachi, aliis clerici, suntque diversæ
iversarum Ecclesiarum in recitandis officiis institu-
iones. Unam quidem Ecclesiam universalem con-
temur; at unius corporis plura membra diversa
bire munia in unum finem tendentia quis nescit? Aut
uis adeo stupidæ mentis est, quem non diversitas
blectet? Accedit ad delectamentum omne ferens punc-
ım utilitas. Nam, ut gentium ac nationum mores di-
ɜrsi sunt, ita ad actus religionis cultumque divinum
iversis utuntur institutis, quæ, salva fidei christianæ
ıtegritate, vix possent ab eis vel omitti, vel auferri [1]. »
Variis Ritibus divinæ psalmodiæ. cap. xviii, § 1,10.)
Jbique in scriptis veterum similia reperi nus, et ab ipsa
ɔta Sede probantur, unde Gregorius IX Græcis dice-
t : « Scit Romana Ecclesia, quia nihil obsunt saluti cre-
ntium diversæ pro locorum et temporum ratione con-
etudines, quando una fides, per dilectionem operans
na quæ potest, uni Deo commendat omnes. »
gitur, si ad solum jus divinum attenderimus, nihil ob-
:t, quominus Episcopi valerent, salva obedientia decre-
anctæ Sedis præstanda, ordinare pro suis diœcesibus
sacræ liturgiæ, in iis quæ jure communi nec præ-
ıta nec vetita sunt. Nihilominus tamen fatendum est
e periculum sub hujus juris liturgici exercitio, si non
ingatur : « Alias solent humanæ res erroribus ob-
xiæ depravari plerumque et in deterius labi, ait Card.
na; tanta paulatim licentia olim irrepserat, ut singuli
iscopi, inscio Romano Pontifice, privatos ritus sibi
umerent, non sine magna divini cultus perturbatione.
nc nimiam orandi varietatem gravissime ferens Sanc-

Cf. *Rerum liturgicarum* lib. I, cap. vi et vii. — Azevedo, *Exer-
mes liturgicæ*, cap. x. — Editor theologiæ moralis P. Antoine,
'*cris Ritibus*, cap. vii.

« tissimus Pontifex Pius V, Romanum Breviarium, magno « studio emendatum, pristino nitori restitutum divulgari « jussit, eoque sic correcto omnes Ecclesias uti præcepit. » (Loco citato.)

535. — II. Si attendatur ad jus positivum, seu canonicum, ut determinetur quid a S. Sede præscriptum sit, distinguimus Episcopos in tres classes. Sunt nempe Episcopi Ecclesiarum orientalium, sunt Episcopi Ecclesiarum occidentalium quibus Constitutio Pii concessit facultatem servandi Breviaria quæ a ducentis annis in usu habebant; sunt denique cæteri Episcopi quibus indictum fuit uti Breviario Romano.

1° Episcopi addicti ritibus Ecclesiarum orientalium, Græci, Armeniani, Maronitæ, Græci-Melchitæ, Sclavones, prohibentur ullam immutationem facere in suis liturgiis respectivis. Benedictus XIV multas ea de re habet Constitutiones quæ dubium omne submovent. In bulla *Demandatam* (anno 1743) sic habet: « De ritibus et moribus Ecclesiæ « Græcæ, illud generatim statuendum decrevimus nemini « licuisse aut licere, quovis titulo aut colore, et quacumque « auctoritate aut dignitate, etiam patriarchali, quidquam « innovare, aut aliquid introducere, quod integram exac« tamque eorum observationem imminuat. » Eadem pro Sclavonibus decrevit Const. *Etsi pastorali*, anno 1754, et pro aliis Ecclesiis orientalibus in Const. *Etsi pastoralis*, anno 1742. Quo autem certius et efficacius regula obtineret, curam dedit speciali Congregationi invigilandi super editionibus quæ fiunt librorum liturgicorum Ecclesiarum orientalium. « Nullum de rebus sacris librum aut folium « publici juris faciant (Patriarchæ et Episcopi), inconsulta « Sede Apostolica. Quod si novas librorum sacrorum ab « eadem Sancta Sede approbatorum editiones fieri con« tingat, onus erit Patriarchæ et Episcoporum catholico« rum, inspicere ne ulla in re discordent ab editionibus « approbatis. » (§ 21, Const. *Demandatam*.)

2° Episcopi Ecclesiarum Occidentis qui liturgiam legiam habent distinctam a liturgia Romana, et Prælati ularium qui habent jus servandi suos libros exceptos stitutionibus Pii V, possunt quidem emendare suum sale et Breviarium, quædam accidentalia immutare, quæ non sint substantialia, adeo ut officia semper em censeantur; quamobrem, nec ipsi potiuntur facul- ordinandi formam divini officii.

Cum Pius V nihil statuerit de Ecclesiis quæ habebant a entis annis liturgiam particularem, jus idem remansit quod erat antea : porro, ante Pium V, habebant certe ltatem corrigendi, ac novis precibus ditandi suos libros gicos... Insuper concilia provincialia quæ habita in Galliis post promulgationem bullarum S. Pii V, ıæ non acceptaverunt pure ac simpliciter libros liturs auctoritate hujus Pontificis correctos, præscripserunt copis ut singuli in suis respective diœcesibus Missale reviarium attenta cura reviserent, et corrigerent quæ ıt emendanda, sibi proponendo normam Missalis et iarii Romani. Hinc videmus S. Carolum manus illico ovisse ad revisionem et emendationem liturgiæ Eccle- Mediolanensis.

Diximus... *quæ non sint substantialia*... quia : 1° S. Pius V iter conquestus est de libertate quam sibi plures arrorant immutandi pro arbitrio libros liturgicos, unde ima provenerat confusio : quis autem dixerit Pontifi- voluisse Episcopis concedere legitimam potestatem utationes faciendi, quas maxime nocivas et confusio- inducentes arguit? 2° Idem Pontifex vult ut Ecclesiæ nt retinere jus utendi suis libris, ac suum proprium um recitandi; jam vero si tantas fecerint mutationes, ri non amplius censeantur iidem, aliaque nova officia ibus substituantur, exceptio locum habere non potest : simul objectum et motivum...

gitur Episcopis, de quibus agimus, non remansit jus

liturgicum, nisi intra limites immutationum mere accidentalium restrictum. — Cæterum Episcopi, retentis suis libris, debuerunt obtemperare decretis universalibus Sanctæ Sedis, quando nova festa præscriberentur in honorem Sanctorum recens canonizatorum, vel ad alium finem.

3° Episcopi qui tenentur uti Breviario et Missali Romanis nullam possunt, ne in minimis quidem, immutationem facere in libris auctoritate Sanctæ Sedis correctis. Nec consequenter nova officia addere, nec officia constabilita in ritum superiorem mutare, nec ullam partem in hymnis, antiphonis, seu lectionibus, emendare suo arbitrio possunt; sed si quid in *proprio* suæ respective diœcesis corrigendum videatur, res deferenda est ad Sacram Rituum Congregationem. Constitutione *Quod a nobis*, statuitur « Breviarium « nullo unquam tempore, vel totum, vel ex parte mutan- « dum, vel aliquid ei addendum, vel omnino detrahendum « esse : ac quoscumque qui horas canonicas ex more et « ritu ipsius Romanæ Ecclesiæ, jure vel consuetudine di- « cere vel psallere debent, propositis pœnis per canonicas « sanctiones constitutis in eos qui divinum officium non « dixerint, ad dicendum et psallendum posthac in perpe- « tuum horas ipsas diurnas et nocturnas ex hujus Rom. « Breviarii præscripto et ratione omnino teneri. »

536. — III. Conclusio generalis ex narratis historiæ, et ex principiis hucusque constitutis, hæc sit : ad S. Pontificem pertinere plenam summamque jurisdictionem statuendi de forma divini officii et de cæteris partibus sacræ liturgiæ, in Ecclesiam universalem et in singulas Ecclesias particulares.

SS. Pontifices exercitium suæ jurisdictionis in re liturgica partim commiserunt S. Rituum Congregationi, de qua in prima parte *Prælectionum* diximus (n° 110, t. I, p. 188). Vi Constitutionis *Immensa* Sixti V, S. Congregatio jus habet interpretandi decreta de cultu divino, reformandi abusus qui

rrepserint contra regulas constitutas, instaurandi cære-ıonias superstitionibus depravatas, libros liturgicos, si pus sit, emendandi.

S. Congregatio Rituum decreta apostolica de re litur-;ica interpretatur, illorum observationi invigilat, atque ıbusus reformat; non habet autem potestatem legislativam roprie dictam ad instituendum novas regulas, vel ad ecreta olim indicta a SS. Pontificibus immutandum: quam-brem, si quid hujusmodi fieri debeat, Congregatio ad Pontificem recurrit, facta negotii relatione, ut illius auc-oritate sanciatur quod edicere opportunum censuerit.

537. — Hinc concludere est regulas generales juris communis juxta quas consuetudo legitime præscripta valet jus novum inducere, aut juri veteri derogare, rarissimam habere applicationem in præsenti materia liturgica (n° 19, t. I, p. 31). Quidquid in Ecclesiis particularibus inducitur contra decreta Rubricarum Missalis et Breviarii, Pontificalis, libri Cæremonialis Episcoporum et Ritualis Romani, reputatur abusus a S. Congregatione Rituum.

538. — His præmissis, facile explicatur cur S. Sedes censuerit removendos esse libros liturgicos quibus Ecclesiæ Galliarum usæ fuerant a sæculo ultimo elapso.

Scilicet concilia provincialia in Galliis celebrata post editas constitutiones S. Pii V, varia decreta ediderunt de libris liturgicis. Nonnulla, præsertim Aquense, Narbonense et Burdigalense, ad fovendum perfectius unitatem, omnibus ecclesiasticis præceperunt officium recitare juxta ritum, modum et formam a Pio V præscripta in Constitutione de reformatione Breviarii edita; « quam nos recipimus, dixe-« runt Patres conc. Narbonensis, et in tota provincia « recipi volumus, et præsenti nostri decreti publicatione « sufficienter promulgatam declaramus ». « Visum est id « magis decere, ait conc. Aquense, quam quod unaquæque « diœcesis proprium officium retineret, præsertim cum « Missalia, Breviaria, Diurnalia, et alii hujusmodi libri, ad

« uniuscujusque diœcesis hujus provinciæ usum, omnes « pene laceri, imo et omnino consumpti sint, et vix repe- « riantur, nec de novo imprimi possint absque magna « impensa [1]. » Alia concilia Episcopis demandaverunt ut diligenter inspicerent et examinarent suarum diœceseon Breviaria, Missalia, atque alios libros ecclesiasticos ac cæremoniales, ne quid continerent adversum doctrinæ catholicæ, aut veris historiis Sanctorum, aut quod ad ædificationem disciplinæ ecclesiasticæ et pietatem non pertineret, et librorum emendatorum, quoad fieri poterat, usu servato diœceseon, « juxta tamen Constitutiones S. Pii V super « Breviario et Missali », procurarent impressionem. Ita præ cæteris concilium Rothomagense, et Remense quod hæc monita superaddit : « Ubi indigesta, minusque pietati « consona Breviaria vel Missalia repererint, curent quam- « primum fieri poterit, ad usum Ecclesiæ Romanæ, juxta « Constitutionem Pii V, reformari, et in lucem emitti, *im-* « *pensis diœcesis* [2]. »

Mens igitur Patrum qui decreta ediderunt fuit ut vel reciperentur libri jussu S. Pii V correcti, cæteris quibuslibet amotis, vel retinerentur quidem libri proprii singularum diœceseon, sed emendati ad normam Breviarii et Missalis Romani, juxta Constitutionem ejusdem Pontificis. Si hanc regulam servassent, nulla orta fuisset difficultas; sed ab ea incaute recessum est. In prioribus quidem tentaminibus reformationis Breviariorum et Missalium, ad præscriptum conciliorum cuncta ordinabantur; postea vero scriptores, quibus id laboris commissum fuerat, nimio innovandi zelo abrepti, quidam etiam male affecti in Ecclesiam Romanam, et pravam æmulationem sub falsa specie zeli pro reformatione liturgiæ ad severioris critices normam dissimulantes, multa e veteribus ritibus ac precibus detraxerunt, multa insuper nova inducere conati sunt, adeo ut

1. Labbe, *Coll. Conciliorum*, tom. XV, col. 947, 1134 et 1616
2. Labbe, *loc. cit.*, col. 824, 888.

andem libri, quibus edendis operas navabant, a veteribus valde diversi evaserint.

Ecclesia Romana toleravit ad tempus, ne graviores exurgerent difficultates, sed nunquam approbavit, hanc librorum liturgicorum reformationem, quin potius immutationem, de qua Gregorius XVI, an. 1842, in Epistola ad Arch. Remensem, animadvertit «Pium V eos tantum ab obligatione « Breviarii et Missalis romani recipiendorum exemptos vo« luisse, qui a bis centum saltem annis uti consueverant « Breviario et Missali ab illis diverso ; ut ipsi non quidem « commutare iterum atque iterum arbitrio suo libros hujus« modi, sed quibus utebantur, si vellent, retinere possent.» Declaravit igitur S. Sedes per S. Cong. Rituum Episcopos non posse retinere vi Bullæ S. Pii V sua quibus recens utebantur Missalia et Breviaria, utpote substantialiter diversa a libris quos illorum antecessores habebant sæculis præteritis. Neque aliunde concedendum judicavit eisdem Episcopis ut reassumerent veteres illos libros liturgicos quos olim dimiserant, siquidem magis opportunum visum est inducere uniformitatem quæ semper fuit in votis Sanctæ Ecclesiæ Romanæ, utì explicavit S. Congregatio in Epistola diei 8 augusti, an. 1856, ad Card. Arch. Bizuntinum [1].

Cum igitur Præsules nostri audierint suas Ecclesias excidisse, ob multiplices variationes in suos libros liturgicos inductas, a privilegio suis prædecessoribus per constitutiones S. Pii V quæsito, et Summi Pontificis votum ardentissimum esse quod suas diœceses ad unitatem liturgiæ Romanæ quàmprimum adducerent, promptum filialis suæ reverentiæ obsequium præstiterunt. Ecclesiam Romanam venerati, tanquam omnium liturgiarum moderatricem et normam, nihil sanctius habuerunt, quam ut ea quæ a Pio IX exoptata erant, satagerent perficere, relinquentes

1. Epist. ex integro refertur in *Prælectionibus* D. de Angelis, tit. XLI, lib. III, pag. 318.

« uniuscujusque diœcesis hujus provin... ...ribus, aliisque
« pene laceri, imo et omnino consum... ...emplum obedien-
« riantur, nec de novo imprimi ...
« impensa [1]. » Alia concilia Epi...
diligenter inspicerent et exam... ...TICÆ CIRCA RECITATIONEM
Breviaria, Missalia, atque ali... ...ICII DIVINI [1].
moniales, ne quid contin...
licæ, aut veris historiis ... ...itur recitare divinum officium, et
nem disciplinæ eccle... ...ut obligationi satisfaciant?
et librorum emend... ...regularibus quæstio est.
diœceseon, « i... ...aribus dictum sit in sectione *de Statu reli-*
« Breviario et ... ...de eædem sint regulæ servandæ seu cle-
cæteris con... ...ularibus, in iis quæ sunt recitationis divini
monita s... ...erit in præsenti de clericorum obligationibus
« cons... ...tractare.
« pri... ...Clerici duplici titulo obligari possunt, nempe ordinis
« C... ...et beneficii. Obligatio a sacris ordinibus orta, incipit
« ... ...die et hora ordinationis clerici in subdiaconum, et illum
ad finem usque vitæ afficit, etiamsi, quod Deus avertat,
statum clericalem sacrilege deseruerit, aut fuerit canonice
degradatus.

Theologi thesim demonstrare student ex textibus juris qui in *Distinctione* XCI et in aliis partibus leguntur; cum vero canones a Gratiano collecti de solis presbyteris, aut etiam de officio publico tantum statuant, non de recitatione privata extra chorum, « melius et liquidius probatur con-
« clusio, ait Billuart, ex generali Ecclesiæ consuetudine
« vim legis obtinente, quod patet : 1° quia constanter ob-
« servatur, cum non levibus incommodis; 2° quia pessime
« habentur apud omnes pios qui hoc pensum negligunt :
« his enim duobus indiciis colligunt doctores consuetudi-
« nem vim legis graviter obligantis habere ». (*De Horis canonicis*, art. VIII, § 3.) Obligationem consuetudine intro-

1. Suarez, *de Horis canonicis.* — S. A. de Liguori, lib. IV, cap. II, *de Horis canonicis.*

›nfirmarunt SS. Pontifices iteratis Constitutio- ut nulla sit ea de re ratio dubii.

›m persolvendi divinum officium ita gravem ex communissima opinione, peccet mor- ›nam ex horis canonicis, vel unum inte- missio tertiæ aut etiam dimidiæ partis ›oris non censeretur peccatum mortale; ›a pars sit notabilis respectu horæ parvæ, est ›vis in se et respectu totius officii. S. Liguori, nº 147, ›nadvertit totius officii quantitatem respiciendam esse, non autem cujuslibet horæ, ut determinetur gravitas omissionis alicujus partis officii.

* 540. — II. Ut legi satisfiat, necesse est ut Horæ canonicæ recitentur : 1° pronuntiatione vocali; 2° tempore debito; 3° juxta ordinem præscriptum; 4° cum intentione, saltem virtuali, orandi.

1° Requiritur quidem *vocalis pronuntiatio ;* unde non satisfacit qui mentaliter solummodo psalmos, orationes, lectiones percurrit. Ita omnes doctores eo principio certo innixi quod Ecclesia præceperit orationem non mentalem sed vocalem. Necesse non est ut recitans divinum officium se audiat, quia non auditio sed recitatio præcipitur; ad pronuntiationem vero oralem sufficit, ut bene advertit S. Liguori, « quod formetur aliquis sonus verborum, licet « modicus et vix sensibilis sit, prout communiter recitant « qui privatim officium persolvunt. » (Nº 163.)

Si quis in choro, vel cum socio, recitat officium, satisfacit dum partem psalmorum recitat, alteram autem partem, cum orationibus, capitulo, lectionibus recitatam a sociis audit; quod etiam probabiliter dicendum quando non satis percipit quæ dicuntur, dummodo attendat quantum moraliter potest.

2° Quoad *tempus* hæc notanda :

Singulis diebus integrum officium recitandum est; dies autem juxta communem consuetudinem incipit a medi›

nocte et progreditur ad mediam noctem diei subsequentis. Qui per diem prætermittit recitationem officii, seu partis notabilis, peccatum grave committit; sed non tenetur duplicatum officium persolvere die subsequenti in reparationem delicti, quia onus officii est annexum diei.

Nocturnum cum laudibus recitari potest pridie, statim ac effluxerit tertius quadrans diei; id est, sol medietatem sui cursus perfecerit a suo meridiano ad occasum. Est privilegium generale, consuetudine acquisitum ac firmatum. — An peccet mortaliter, et repetere teneatur nocturnum qui ante tempus assignatum, ut puta a secunda hora, quavis parte anni, illud recitaverit, non omnino constat inter doctores. Plures, quorum opinionem probabilissimam reputant Salmanticenses, dicunt posse matutinum cum laudibus immediate hora secunda diei, qua solent vesperæ, recitari, quia dies ecclesiasticus in ordine ad officium divinum incipit a primis vesperis, et sic hora qua canuntur primæ vesperæ inchoat tempus diei sequentis, quoad matutinum recitandum. (*Tract. de Horis*, cap. III, n° 15.) S. Liguori qui olim huic opinioni adhæserat, aliam oppositam amplexus est, quam veriorem dicit, et quam communius receptam existimamus. Cavendum in praxi ut clerici non inchoent recitationem officii ante horam tabulis præfixam, nisi obtinuerint a S. Sede indultum; sed quum quæstio sit adhuc dubia, et prima sententia sua probabilitate non careat, uti agnoscit P. Gury, cum eo concludemus eum qui post horam quidem secundam a meridie, sed ante tempus a rubrica præfixum, ut aliquando ex errore fit, recitaverit, ab iterando matutino excusari posse. (*Tr. de Statibus*, n° 65.)

Horæ minores dici debent : Prima et Tertia ante meridiem, Sexta et Nona ante Vesperas, Vesperæ et Completorium ab hora meridiana ad mediam noctem.

« Censent communiter DD., ait Billuart, non excedere « culpam venialem, si totum officium, incipiendo a Matu- « tinis, intra viginti quatuor horas, a media nocte ad

mediam noctem subsequentem, integre persolvatur, quia servatur substantia præcepti. » Hinc sanctus Alph. de iguori concludit sufficere quamvis causam utilem, seu onestam, ut, intra hoc tempus, quis possit anticipare vel ostponere recitationem Horarum. Eadem decisio datur ro celebratione Missarum ante persolutum officium nocurnum, quandoquidem interversio illa ordinis, respectu atutini et Missæ, non videtur gravior quam respectu hoarum inter se. Causas sufficientes pro anticipatione horaum reputat sanctus Liguori, concionem parandam vel udiendam, periculum supervenientis occupationis, maorem devotionem sive quietem, tempus ad studium aptius t his similia. Quoad celebrationem Missæ, hæc exempla ffert : si dans eleemosynam postulet ut sacerdos statim celebret, si expectet populus, si instet commoditas studii, itineris... (Lib. IV, n° 173; lib. VI n° 347, *Theologia moralis.*)

3° *Ordo servandus* duo complectitur : I^{um} ut officium recitetur pro singulis diebus indictum, prout fit de dominica, de festo, de feria, etc.; II^{um} ut recitentur singulæ horæ, absque interversione, juxta modum ipsis affixum in Breviario.

Circa I^{um} orta est controversia inter theologos, an gravis sit obligatio recitandi officium affixum diei juxta regulas rubricarum. Quatuor prodierunt opiniones, quarum singulæ a doctoribus non levis auctoritatis admissæ sunt. Prima absolute negavit esse peccatum mortale mutare officium diei in aliud brevius, nisi tamen quis præsumeret officium paschale aut Pentecostes recitare loco officii diei Palmarum, aut quid simile. Alexander VII damnavit propositionem : *In die Palmarum recitans officium paschale satisfacit præcepto.* Secunda opinio tenuit non peccare graviter qui mutat officium in æquale aut fere æquale. Tertia e contrario docuit esse peccatum mortale officium mutare etiam in æquale, etsi semel. Quarta demum dixit

peccare graviter qui frequenter officium mutat; venialiter vero qui mutat raro, modo mutatio non fiat in officium notabiliter brevius atque sine causa; nam si fiat ex aliqua rationabili causa, nempe studii, itineris, infirmæ valetudinis, magnæ defatigationis vel specialis devotionis erga aliquem Sanctum, non esset peccatum veniale, juxta patronos hujus opinionis.

S. Alph. de Liguori, relatis quatuor opinionibus, dicit : « Prima vix sustineri potest; secunda et tertia satis probabiles videntur; sed quartam æquiorem puto. » (N° 161, *Quæritur*, 3°.) Inde varias deducit causas excusantes a recitatione officii inter quas enumerat casum quo aliquis cum socio recitet officium. Rationabilis causa ipsi videtur ipsa societas, cum Christus Dominus dixerit : « *Ubi sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum.* »

Cardo difficultatis in eo vertitur : quid censeatur ad substantiam, quid ad formam accidentalem pertinere in officio divino? Dicendum putamus pertinere ad substantiam officii non solum quod servetur ordinatio generalis Breviarii quoad distributionem psalmorum, orationes, lectiones quibus officium componitur; sed etiam quod, servatis regulis rubricarum Breviarii, fiat tali die de dominica, tali die de festo Sancti, alia die de feria, etc... Hæc enim simul cum formula Breviarii præcipit S. Sedes et ob motivum grave, scilicet ut debitis temporibus celebrentur mysteria S. Trinitatis, Christi Domini, B. Mariæ, memoria Sanctorum, etc. Quamobrem concludimus delictum esse mutare absque ratione sufficienti, etiam semel, officium diei, in aliud moraliter æquale quoad quantitatem. — Delictum tamen non existimamus peccatum mortale, si hæc mutatio rarius fiat, quia non censetur gravis perturbatio ordinis; imo suadet auctoritas tot doctorum non esse peccatum veniale, si fiat quandoque ratione obsequii erga superiorem, vel charitatis erga socium, aut sui solaminis, ad mentem S. Liguori.

Ex communi doctrina innocens est ab omni culpa clericus, qui inadvertenter recitaverit unum officium loco alterius. Non tenetur, hoc in casu, ad iterationem recitationis officii. Applicatur axioma : *officium pro officio.* « Si « advertas errasse, ait S. Liguori, postquam multum « processeris in officio indebito, puta si dixeris matutinum, « tum potes vel prosequi, vel reliquum recitare de officio « debito ; sed puto melius esse recitare de proprio ne « errorem prosequaris. » (Lib. IV, n° 161, *Quæritur*, 5°.)

Non licet intervertere, absque causa, ordinem constitutum inter singulas horas, recitando, v. g., Vesperas ante Nonam ; nec magis licitum est horam incœptam interrumpere. Verumtamen, cum nec horarum interversio, nec earumdem interruptio, obstet quominus servemus substantiam præcepti, modo integrum officium recitaverimus intra diem, culpa non reputatur gravis. Singuli psalmi sunt orationes ; et partes, quamvis non recitentur continuate, moraliter tamen uniuntur in mente recitantis, et unum officium efficiunt. Hinc plures quos citat, nec improbat S. Liguori, concludunt « posse eum, qui hodie incœpit matuti- « num, illud complere in crastino sine peccato gravi, etsi « differat sine causa ». (*Loc. cit.* n° 168.) Nullius peccati reus erit si adsit causa honesta.

4° *Intentio, saltem implicita, orandi.* Omnes theologi et canonistæ admittunt necessitatem intentionis internæ orandi, et simul attentionis quam externam vocant, et quæ in eo consistit ut non fiant actus alii externi cum oratione insociabiles. An vero aliquid ulterius requiratur, non convenit inter doctores.

Plures arbitrantur nihil amplius requiri, adeo ut qui horas recitat cum actuali et voluntaria mentis evagatione, præcepto substantialiter satisfaciat, modo habeat intentionem orandi, cum attentione externa. Suam assertionem multiplici ratione probant. 1° Oratio est petitio decentium a Deo ; porro non repugnat quominus aliquis Deo petitio-

nes offerat, etiam cum interna et voluntaria distractione, si horas canonicas recitet cum intentione orandi, et cum externa attentione. 2° Si attentio interna, seu ad Deum, seu ad sensum verborum, seu etiam ad ipsa verba, requiratur ad essentiam orationis, qui involuntarie distrahitur non satisfaciet officio; siquidem attentio mentis non permanet in eo qui mentem alibi occupatam habet; atqui certum est apud omnes impletionem præcepti recitandi officium divinum non impediri per involuntarias distractiones. 3° Ecclesia non præcipit actus mere internos, qualis est attentio mentis.

Alii communius tenent necessariam esse attentionem internam, sicque arguunt : 1° Ecclesia præscripsit recitationem Horarum quæ sit vera oratio, apta ad gloriam Dei procurandam et implorandum ejus auxilium; sed, quidquid dicant patroni prioris opinionis, formulæ precum recitatæ cum voluntaria mentis evagatione, non sunt vera oratio. Non sufficit ad orandum ut quis habeat intentionem orandi : oportet ut revera oret. Si velit Deo preces offerre et mentem a Deo distrahere, vult et non vult; hæc enim insimul componere nequit : ergo non satisfacit præcepto qui recitat animo voluntarie distractus. 2° Ecclesia non præcipit actus mere internos, potest vero præcipere recitationem precum per modum orationis ad Deum colendum : igitur cum non consistat vera oratio cum voluntariis evagationibus, sequitur legem orationis externæ comprehendere præceptum attentionis internæ. 3° Qui distractiones mentis invitus patitur, non violat præceptum et vere Deum precatur, siquidem habet, etiam in ipso momento distractionis, intentionem perseverantem orandi, cum pio orationis affectu : qui e contra mentem voluntarie distrahit, revocat implicite primam intentionem, et desinit in eo affectus orationis : in hoc momento temporis non precatur.

Hæc opinio, sicut communior, ita et probabilior nobis est. (Cf. S. Liguori, n° 177.)

Nota 1°.— Non requiritur attentio ad mysteria de quibus fit officium, nec ad sensum verborum quæ recitantur, licet multum expediat : satisfacit præcepto qui licet mente distractus, non advertit se ab oratione distrahi, dummodo adhibuerit media consueta ut se ad orationem disponeret, in quo habenda est ratio fragilitatis humanæ.

Nota 2°.—Qui dubitat an partem officii recitaverit.. an pronunciatione orali, quam necessariam diximus... an pronunciatione integra, non mutilando syllabas ita ut sensus corrumpatur in parte notabili officii, debet attenta consideratione ponderare rationes dubii, et repetere partes omissas, aut male recitatas, vel abstinere ab illa repetitione, prout probabiliter conjiciet, ex sua habituali agendi ratione, seu ex monitis sui confessarii, se præcepto satisfecisse, vel non. Præcaveat id omne quod scrupulos foveret; at simul caveat ne suam conscientiam gravet coram Deo, culpabili et inveterata negligentia in modo persolvendi divinum officium.

* 541. — II° *Quonam Breviario clerici et regulares uti teneantur ad satisfaciendum suo officio?*

I. Omnes, sive clerici, sive regulares, qui, ad præscriptum Constitutionis *Quod a nobis*, debent officium divinum persolvere ritu Ecclesiæ Romanæ, uti tenentur Breviario jussu S. Pii V correcto, nec aliter « nisi hac sola formula « satisfacere posse » in eadem Constitutione declaratum est. Hinc plures concludunt clericum qui, casu fortuito, caret Breviario Romano, non teneri aliud Breviarium quod sibi præsto foret adhibere; quia præceptum officii est indivisibile, id est, obligat ad illud recitandum, et quidem sub una formula præscripta. Alii aliter sentiunt, quorum opinionem, ut magis piam et rationabilem, sequendam censuit S. Alph. de Liguori, n° 158. Id consuli quidem potest ad mentem S. Liguori; sed si de jure quæratur, prima opinio est satis fundata ut liceat tuta conscientia illam sequi. Præceptum est insuper ut adhibeatur exemplar Bre-

viarii impressum cum licentia Ordinariorum, vel Inquisitorum, collatione facta cum exemplari authentico. Cum per tempus diuturnum prætermissa fuisset observatio Constitutionis Clementis VIII, *Cum in Ecclesia Catholica*, an. 1692, id statuentis, adeo ut vix reperirentur exemplaria Breviariorum quæ præ se ferrent attestationes necessarias Ordinariorum, S. Congregatio declaravit 26 aprilis 1834, atque iterum 18 febr. 1843 : *Constitutiones pontificias in suo robore permanere, et abusum non esse tolerandum.*

II. Qui aliud Breviarium habent a Sancta Sede approbatum, non possunt, nec in choro, nec privatim, uti Breviario Romano, si Episcopus prohibuerit usum alterius cujuslibet librum præter Breviarium proprium diœcesis. Ita communiter doctores, qui tradunt unumquemque teneri Horas canonicas recitare juxta formam in sua diœcesi, vel in suo ordine receptam et approbatam. Regulæ generali derogatum non fuit per Constitutionem Pii V, qui clericis, in casu exceptionis constitutis, non concessit usum Breviarii Romani, nisi quatenus Episcopus illud pro sua Ecclesia, assentiente capitulo cathedrali, acceptaverit. « Hoc quidem videtur per se verius, ait Suarez ; nihilominus propter opiniones, et quia res non est magni momenti, non auderem damnare peccati mortalis illum qui contrarium faceret. » (*De Horis canonicis*, cap. XXIII, n° 9.)

III. Notandum regulares, quocumque Breviario utantur, debere celebrare festum patroni principalis loci, absque octava, non quidem parochiæ intra cujus fines situm est monasterium, quandoquidem non censentur de parochia, ob exemptionem qua potiuntur ; sed patroni civitatis, sub cujus patrocinio constituuntur, eodem prorsus modo ac cæteri cives. Parochus autem et clerici parochiæ addicti, tenentur celebrare festum patroni parochiæ, ritu duplicis 1æ classis, cum octava. Festivitas patroni diœcesis et civitatis omnibus incolis indicitur.

Parochus qui habet duas Ecclesias unitas, debet utrius-

que parochiæ patroni festum celebrare cum octava, ex præscripto rubricarum : non idem dicendum videtur, si præter suam Ecclesiam provideat capellæ annexæ, quæ non erigitur in titulum.

Qui transit per locum ubi festum patroni celebratur, minime tenetur suum officium privatum deserere, ut recitet officium proprium loci in quo aliquot dies morabitur; si tamen velit sacrum facere, aut alium actum publicum officii gerere, oportet ut se ritibus externis parochiæ conformet, ne plebem offendat diversitas.

542. — III° *Quibus pœnis obnoxii sint clerici non recitantes Horas canonicas?*

Clerici qui solo titulo ordinis sacri tenentur ad recitationem Horarum canonicarum, nullam pœnam subeunt, jure communi, si suæ obligationi defuerint; nihil quippe contra illos lege ecclesiastica sancitum est, tametsi committant peccatum grave, si vel unam horam omittant. Clerici vero beneficiati, præter reatum culpæ, incurrunt privationem fructuum sui beneficii, ita statuente concilio Lateranensi II, in sessione Xª. Idem præcepit Pius V Constitutione *Ex primo*, an. 1571, in qua statuitur ut « qui Horas omnes ca« nonicas uno vel pluribus diebus intermiserit, omnes be« neficii, vel beneficiorum suorum fructus qui illi, vel illis « diebus responderent, si quotidie dividerentur; qui vero « matutinum tantum, dimidiam; qui cæteras omnes horas, « alteram dimidiam; qui harum singulas, sextam partem « fructuum ejusdem diei amittat. » Alexander VII hanc propositionem damnavit : « Restitutio a Pio V imposita bene« ficiariis non recitantibus, non debetur in conscientia ante « sententiam judicis, eo quod sit pœna ». Dici potest legem non esse pœnalem, sed potius conditionalem, si, ut pluribus placet, beneficium ea conditione collatum sit ut onera huic annexa, et præsertim recitatio Horarum, rite adimpleantur (n° 403, t. II, p. 144) : at, etiamsi pœnalis reputetur, stat nihilominus disciplina decretis conciliorum et Pontifi-

cum constabilita, eo magis quod nisi ita statutum esset, nunquam fere fructus restituerentur, cum vix probari possit aliquem non recitasse privatim horas.

Quæstio autem inter canonistas agitatur quonam sensu sumenda sit obligatio restituendi *pro rata parte omissionis:* an illud intelligatur de sola omissione recitationis Breviarii, adeo ut qui cætera officia sui muneris, præter solam recitationem Breviarii, rite expleverit, teneatur nihilominus ad restitutionem omnium fructuum beneficii; an e contra intelligatur de omissione aliorum simul onerum tituli, adeo ut restitutio fiat pro rata hujus prætermissionis parte, et si sola recitatio defuerit, restitutio tantummodo parti muneris respondeat. Scinduntur ea de re doctores.

Plures interpretantur Bullam Pii V de omnibus fructibus beneficii, et hæc sententia communior videtur : est aliunde conformior textui Bullæ quem mox retulimus. Ita Suarez, *de Horis canonicis*, XXX. Alii legem interpretantur juxta sensum benigniorem, qui illis videtur magis æquitati consonus, quando beneficium, v. g., munus pastorale, alias plures obligationes complectitur, præter recitationem Horarum. Hanc opinionem communem esse in schola sancti Thomæ asserit Billuart (*de Religione*, dissert. II, art. VIII), et tenent Salmanticenses, cum pluribus aliis; asserunt sic Bullam receptam esse, usu et consuetudine explicatam. (Tract. XVI *de Horis*, nº 59). Æquitas suadet ut restitutio fructuum respondeat prætermissioni obligationum beneficii; ex alia autem parte auctoritas tot doctorum sufficit, ut dari possit talis interpretatio textui Constitutionis pontificiæ. Clericus igitur non recitans Horas canonicas amittit solummodo fructus beneficii respondentes parti obligationum quam omisit, v. g., quartam aut quintam partem, si sit Parochus.

* 543. — IVº *Quæ causæ clericum eximant ab obligatione recitandi officium divinum?*

Causæ eximentes a recitatione divini officii sunt : impotentia moralis et dispensatio.

De *impotentia absoluta* supervacaneum est dicere.

Adest *impotentia moralis* quando recitare non possumus Horas canonicas sine gravi nostri aut aliorum incommodo; puta si ægrotus, aut e morbo convalescens, timeat ne morbum aggravet recitando officium, vel recuperationem valetudinis notabiliter retardet..., item si urgeat necessitas invisendi ægrotos qui in periculo vitæ versantur, parandi concionem quæ omitti non potest, audiendi confessionem die festo... Quando hæc simul consociari non possunt, satius est omittere recitationem Horarum quam derelinquere ægrotum in agone, populum privare sacramentis, semetipsum gravi periculo exponere. At, quam periculosum sit ne quis, zelo male ordinato, negligat gravissimum officium orationis publicæ, nemo non videt.

Dispensatio datur a S. Pontifice, si sit ad longum tempus : recurrere licet ad Episcopum in casu particulari, ad tempus breve. Episcopus potest etiam ad cautelam dare dispensationem in casibus vere dubiis, ubi scilicet urget sat grave incommodum ut merito dubitetur an præceptum adhuc obliget.

Nota 1° Clericus qui versatur in vera impotentia, physica seu morali, non tenetur recitare alias preces loco Horarum canonicarum; quia præceptum determinatur ad Horas canonicas, non ad alias in genere precationes.

2° Qui non potest totum officium recitare, potest vero partem, ad illam tenetur, modo sit notabilis, adeo ut unam saltem horam constituat.

3° Si impedimentum prævideat clericus, et possit anticipare recitationem Breviarii ante meridiem, id præstare debet, quoniam obligatio totam diem afficit. Dubium est tamen an idem dicendum sit de officio matutino, an clericus teneatur illud recitare die præcedenti. Cum jus seu facultas recitandi nocturnum cum Laudibus die præcedenti sit privilegium, et principium commune habeatur neminem teneri uti privilegio, theologi satis communiter

dicunt clericum non adstringi obligatione anticipandi.

544. — V° *Quid jure præscriptum sit de cantu divini officii in choro* [1]?

Benedictus XIV direxit, occasione jubilæi an. 1750, litteras encyclicas *Annus, qui hunc vertentem*, ad omnes Episcopos intra ditionem ecclesiasticam constitutos, quibus traditiones Ecclesiæ circa hoc punctum, gravis certe momenti ad cultum divinum, memorat. Ad tria capita quæstiones reducit : 1um quæ canenda sint; 2um quomodo cantus institui debeat; 3um quibus instrumentis uti expediat in cantu divinorum officiorum.

I. *Quæ canenda sint in officiis divinis.*

Joannes XXII, Constitutione *Docta sanctorum*, quæ inserta est inter Extravagantes DE VITA ET HONESTATE CLERICORUM, illos graviter arguit qui antiphonas et gradualia *motetis vulgaribus* supplent. Alexander VII Const. *Piæ sollicitudinis* præcepit ut, tempore quo divina officia persolvuntur, et venerationi fidelium exponitur sacrosanctum Sacramentum, nulla alia carmina seu verba cantentur, nisi desumpta ex Breviario, vel Missali, aut demum ex sanctorum Patrum operibus, ita tamen ut antea a S. Congregatione approbanda sint. Eadem sancivit Innocentius XII, qui generatim quarumcumque cantilenarum cantum prohibuit : in Missarum autem solemnibus et in Vesperis, solummodo permisit ut carmen aliquod seu motetum ex hymnis, vel antiphonis, aliisque officii sanctissimi Sacramenti, relatis in Missali seu Breviario, nulla verborum varietate, cantari possit, ad devotionem fidelium excitandam, dum sacra hostia publice veneranda exhibetur.

Nihil proinde fas est superaddere verbis liturgicis, nec immutare ritus præscriptos. Hinc S. Congregatio haud semel declaravit Episcopum debere prohibere ne in Ecclesiis, intra publica officia, sive adsit expositum SS. Sacra-

1. De celebratione officiorum divinorum in choro, multa dicta sunt in sectione *de Capitulis*, art. IV, tom. II.

mentum, vel non, canantur carmina, aliave verba materno idiomate. (24 mart. 1867.) Eadem tamen Congregatio interrogata anno 1867 ab Episcopo Hispano, an consuetudo quæ in ipsius diœcesi invaluit canendi vulgari idiomate carmina coram exposito SS. Sacramento, aut in ejus processionibus, tolerari possit, vel potius evellenda sit, quamquam mœstaretur populus, respondit : *Attenta consuetudine tolerari posse.* (Die 27 sept. 1867.) Ubi praxis illa toleratur ob veterem et moribus firmatum usum, præcavendum est ne alia verba canantur quam quæ fuerint approbata ab Episcopo : et item ut illi cantus non fiant a choro dum nonnullæ sacræ functiones a clero peraguntur, sed a populo [1].

545. — II. *Quis modus servandus sit in cantu divini officii.* Christifideles ab Apostolis informati sunt usu canendi psalmos et hymnos Domino; unde sanctus Paulus ad Ephesios scribens, eos admonet ut gratias Deo agant in hymnis et canticis : « Implemini Spiritu sancto, loquentes vobis« metipsis in psalmis, et hymnis, et canticis spiritualibus, « cantantes et psallentes in cordibus vestris Domino. » (Ad Eph., cap. v. 18, 19.) Canendi ratio varia fuit pro orationum diversitate. Aliquando clerus cum populo simul canebat, unicum chorum efficiens, sub moderamine cantorum qui *psalmistæ* dicebantur et ad chorum dirigendum instituti fuerant. Quibusdam tamen in Ecclesiis, cum populus vocum inæqualitate, atque cantus ignorantia, confusionem pareret, cantus ei interdictus est, solique clerici id muneris sibi assumpserunt. Aliquando Psalmi et Antiphonæ alternis choris cantabantur. (n° 528.) Erat præterea responsorius cantus, quando scilicet uno canente chorus consonando respondebat. Demum *Tractus* dicebatur, si psalmus, aliave oratio, perpetuo quodam tractu, nulla mora vel responsione interposita, recitabatur [2].

1. Cf. *Revue des sciences ecclésiastiques*, n° 166, an 1873, p. 461-464.
2. Azevedo, *Exercitationes liturgicæ*, exerc. II.

Quavis ratione instituatur cantus, ad præscriptum regularum chori, summopere expedit ut sit gravis, rebus quæ canuntur aptus atque accomodatus, quod imprimis commendat concilium primum Mediolanense : « In divinis « officiis, nec profana cantica sonive, nec in sacris can- « ticis molles flexiones, voces magis gutture oppressæ « quam ore expressæ, adhibeantur. Cantus et soni graves « sint, pii, et distincti, ac domui Dei, ac divinis laudibus « accomodati, ut simul et verba intelligantur, et ad pie- « tatem auditores excitentur. » Hunc scopum attingit cantus planus et unisonus, quem sanctus Gregorius adinvenit, et quo postea semper usa est Ecclesia Latina. » Cantus iste « ille est, ait Benedictus XIV, qui fidelium animos ad de- « votionem et pietatem excitat; denique ille est, qui si « recte decenterque peragatur in Dei Ecclesiis, a piis ho- « minibus libentius auditur; et alteri, qui cantus harmoni- « cus seu musicus dicitur, merito præfertur. » SS. Pontifices qui nihil prætermiserunt eorum quæ ad decentiam divini cultus, et clericorum informationem conferre possunt, ubi de seminariis instituendis actum est, inter cætera præceperunt ut alumni edocerentur cantum Gregorianum. (nº 367, t. II, p. 94.)

Communiter igitur præferri debet cantus *planus*. Quandoque uti expedit cantu *composito* qui sic aptatur ad cantum planum, ut servata hujus integritate, superaddantur tantummodo tonorum consonantiæ. Vocatur etiam *contrapunctum*. Hunc commendat Joannes XXII, in citata Constitutione, pro diebus solemnioribus. Demum toleratur cantus *musicus*, modo tamen non theatrali more et scenico strepitu, sed eo modo qui divinis laudibus consonet, peragatur. « Nobis satis erit admonere, ait Benedictus XIV, quod « si musicus theatrorum cantus ita instituitur, ut populus « spectator et auditor harmonicis quidem modulationibus « oblectetur, verba autem plerumque non percipiat, « diversum utique et omnino contrarium in ecclesiastico

« cantu servari debet, in quo illud imprimis curandum « est ut verba plane perfecteque intelligantur. » Subinde Pontifex memorat exemplum sancti Augustini qui de se ipso testatur quantum fleverit in hymnis et canticis, suave sonantibus Ecclesiæ vocibus commotus. *Voces illæ influebant auribus meis, et eliquebatur veritas tua in cor meum, et ex ea æstuabat. Inde affectus pietatis, et currebant lacrymæ, et bene mihi erat cum eis.* His addit Benedictus XIV : « Fle« bat igitur Augustinus tenerrimo pietatis sensu, cum au« diret in Ecclesiis sacrarum rerum cantus, probe au« diens et intelligens verba quæ cantu efferebantur : « fleret forsan etiamnum ipse, si nonnullarum Ecclesiarum « musicos cantus audiret, non pietatis sensu, sed doloris, « quod cantum perciperet, verba autem non intelligeret. » (§ 9.)

546. — III. *De usu instrumentorum, quorum sonus cantui divini officii sociari solet, et de sono separatim a cantu, id est, de symphonia.*

Non statim, nec sine difficultatibus, usum instrumentorum in divinis officiis introduxerunt. Capella Pontificia cantum musicum habet, hactenus vero non recepit organum, aliave musicæ instrumenta. Plures olim erant in Galliis Ecclesiæ insignes quæ organum et musicam ignorabant, inter quas citatur præsertim Lugdunensis, quæ gloriabatur nescire novitates. Prævaluit tamen, et in eo approbando, saltem in gratiam infirmorum, unanimes tandem fuerunt viri, non minori doctrina quam pietatis zelo conspicui. «Or« gana propter infirmos in Ecclesiis retinenda sunt, aie« bat Bellarminus : non ita facile admittenda alia in« strumenta. » Alia etiam præter organum admittuntur, sed ea tantummodo quæ ad corroborandas sustinendasque cantantium voces inserviant, non quæ musicam theatralem efficiant. Hæc enim instrumenta debent adhiberi ad vim verborum cantui quodammodo adjiciendam, ut magis audientium mentibus infigatur, commoveanturque fidelium

animi ad spiritualium rerum contemplationem, et ad amorem incitentur. « Si vero, ait Benedictus XIV, continenter « personent, et solum interdum, ut hodie fieri solet, per « momenta aliqua quiescant, ut liberum spatium audien« dis harmonicis ondulationibus, crispatisque jaculationi« bus vocum, præbeant, cæterum opprimant, sepeliantque « cantantium vocem sonumque verborum, frustraneus est « et inutilis ejusmodi instrumentorum usus, imo vetitus, « atque interdictus. » (§ 12.)

Ipsas tamen symphonias tolerari concedit Pontifex, ubi usu introductæ sunt, dummodo graves sint, earum prolixitate non plus æquo protrahant officiorum celebrationem, et inservire possint ad excitandam devotionem. Re quidem vera sonus organorum, etiam sine cantu, si recte ordinetur, potest suavi gravitate fideles juvare in oratione.

Licitum tamen non est supplere symphoniis versus psalmorum, antiphonas, aliamve partem quam cantare tenentur clerici, ad horas canonicas adstricti, et si id forte toleretur, necesse est ut submissa voce partes omissas recitent. S. Congregatio Rituum, dubio proposito « an ferendus « sit usus, in archidiœcesi Senensi existens, omittendi in « choro partes illas tum divini officii, tum Missæ, quas or« gani sonus supplet, respondit an. 1848, 22 julii : *submissa « voce dicenda quæ omittuntur ob sonitum organi ; quando « non pulsatur, integre esse cantanda*[1]. » (n° 4974, Senen.)

Hæc est præscriptio juris communis de cantu divinorum officiorum : quæ autem statutis locorum, ad mentem Ecclesiæ et juxta traditiones veteres, præscripta sunt, unusquisque servare tenetur[2].

1. *Cæremoniale Episcoporum* designat dies quibus cantores non utantur cantu figurato sed Gregoriano ; item dies dominicas Adventus et Quadragesimæ, et ferias, quibus pulsari non debent organa, lib. I, cap. XXVIII ; lib. II, cap. XX.

2. Hæc præscripta sunt statutis diœcesis Parisiensis : « Nous dé« fendons étroitement... de toucher sur l'orgue des chansons et

« d'autres airs indignes de la modestie et de la gravité du chant de « l'Église... de faire chanter des filles ou des femmes en d'autres « églises qu'en celles des communautés de leur sexe; et de convier « et inviter, par billets et par affiches, à venir entendre la musique, « comme on ferait à un spectacle, ou à un théâtre, sous peine d'inter- « diction des lieux où ces désordres seront soufferts, et sous autres « peines de droit, contre les personnes qui contreviendront à cette « ordonnance. (E synodo, an. 1674.) — Nous défendons expressé- « ment d'insérer dans les annonces des fêtes et cérémonies ecclésias- « tiques, soit qu'on le fasse par des affiches ou autrement, les noms « ni le nombre des musiciens qui doivent y chanter ou y jouer de « quelque instrument. (Mandatum Card. de Belloy, 23 aug. 1805.) « — Nous renouvelons les défenses portées par nos prédécesseurs... « et nous prohibons toutes annonces, dans les journaux et affiches, « qui auraient trait soit aux messes, soit aux autres offices qui sont « célébrés en musique. » Mandatum DD. Sibour, an. 1850.

SECTIO III[a]

DE LOCIS DEO SACRIS

Loca Deo sacra dicimus Ecclesias et sacella in quibus divina officia aguntur, insuper et cœmeteria quibus conduntur corpora fidelium defunctorum.

ARTICULUS I. — DE ECCLESIIS ET SACELLIS PRIVATIS.

Multa jure canonico sanciuntur de erectione Ecclesiarum, de illarum consecratione, de sacra supellectili, de distinctione inter varias Ecclesias adhibenda, pro gradu dignitatis, tandem de Ecclesiarum immunitate.

§ 1. — *De Erectione Ecclesiarum et de oratoriis privatis*[1].

547. — Ecclesiæ et oratoria publica dicuntur sacræ ædes ad Dei cultum dicatæ, ad quas omnibus patet aditus. Construuntur in loco publico, aut saltem, si intra alicujus dominia, sunt cuique aditu faciles. Sacella, seu oratoria privata, ea sunt quæ tantummodo inserviunt domino ædium, hujusque familiæ. His prænotatis :

1. Cf. commentaria Canonistarum in tit. DE NOVI OPERIS NUNTIATIONE XXXII, lib. V, et in tit. DE CONSECRATIONE ECCLESIÆ VEL ALTARIS, lib. III Decretalium. — Epistola Encyclica Benedicti XIV *Magno cum animi*, an. 1751, ad Episcopos Poloniæ, *De tollendis abusibus ab oratoriis privatis*.

*548. — I° *Quæ conditiones requirantur, ut quis erigere possit Ecclesiam? Quid de oratorio privato?*

I. Ecclesiam seu oratorium publicum, juxta sacrorum canonum decreta, ædificare aliter non licet quam assentiente Episcopo. Mos est ab antiquitate servatus ut Episcopus per se, vel per sacerdotem ad id deputatum, crucem ligneam figat in loco ubi sacrum ædificium erigendum est; atrium designet, et primum lapidem in fundamentis ponendum benedicat. Ita *Rituale* Romanum et *Pontificale*, juxta veterem traditionem, quam consignatam legimus in canone concilii Aurelianensis, cap. *Nemo Ecclesiam*, 9, dist. I, DE CONSECRATIONE.

Episcopus non concedit facultatem expetitam ædificandi novam Ecclesiam, nisi duabus positis conditionibus : 1ª ut provideatur sumptibus necessariis ad conservationem sacri ædificii, et ad cultum divinum qui in ea peragendus erit; 2ª ut hæc nova Ecclesia præjudicium non afferat aliis Ecclesiis, in eodem loco jam antea erectis.

De priori conditione statuit decretum concilii Aurelianensis citatum; requirit enim ut ædificaturus Ecclesiam, *ostensa donatione, præfiniat quæ ad luminaria, et ad custodiam et ad stipendia custodum, sufficiant.* Pro sufficienti dotatione assecuranda, non attenditur solummodo ad redditus certos quos fundator constituerit, sed ad eleemosynas et oblationes fidelium, quæ probabiliter obvenient, occasione divinorum officiorum et administrationis sacramentorum.

An nova Ecclesia cæteris præjudicium afferat, judex est Episcopus, data iis quorum interest libertate suas querelas opponendi. Lucius III hæc rescripsit ad Episcopum in cap. *Intelleximus*, 1, DE NOVI OPERIS NUNTIATIONE : « Fraternitati Tuæ mandamus, quatenus diligenter considerans... « quia nulla Ecclesia in præjudicium alterius est construenda, negotium ipsum, secundum legum et canonum « statuta, non differas terminare. » Omnis qui se gravatum

reputat novæ Ecclesiæ constructione, puta, si Parochus existimet capellam construi in præjudicium Ecclesiæ parochialis, si conventus Regularium queratur de novæ ædis constructione, in juris sibi quæsiti gravamen, potest novum opus quod incœptum est *nuntiare*, tum illud ædificanti, tum Episcopo; ex quo autem nuntiatio facta est, jure communi præscribitur ut opus inchoatum cesset, donec superior qui judicis partes habet, auditis utrinque allegationibus eorum quorum interest, pronuntiet an male, an bene fundata sit oppositio interjecta. Tres menses conceduntur nuntianti novum opus, ut juris sui præjudicium probet. (Cap. *Is cui*, 4, eod. tit.)

Tanti refert præcavere injurias alteri inferendas, ut jus canonicum olim præscripserit quod si quis, nulla ratione habita oppositionis, operi incœpto non supersederet, teneretur quidquid post factam nuntiationem ædificatum fuerit destruere, suis propriis impensis.

Facultatem legitime concessam, id est rite adimpletis formalitatibus jure præscriptis, Episcopus, illiusve successor, revocare non potest, præsertim si exstructum jam fuerit oratorium publicum; quia datur in perpetuum, salvo tamen jure locum interdicendi, si causa canonica intercesserit. Decet ut indultum superioris, legitime concessum, maneat etiam post illius mortem. Episcopus igitur factum sui antecessoris revocare non debet, sed illud servare; præsertim si quis rescriptum obtinuit, detrimentum experiretur ob impensas hactenus factas [1].

*549. — II. Jure communi non licet erigere oratoria privata in quibus Missæ celebrentur, nisi ex indulto S. Pontificis, exceptis casibus mox memorandis.

Sæculis ante concilium Tridentinum elapsis, fideles frequenter confugiebant ad SS. Pontifices ut auctoritate apostolica obtinerent facultatem habendi oratorium pri-

1. Cf. *Thesaurum Resolutionum S. Cong. Concilii*, 6 junii 1840, m. C, pag. 179-189.

vatum; id etiam, jure proprio, concedebant Episcopi, prout sibi opportunum videbatur; sed in Galliis rariora erant hujusmodi privilegia, ne fideles amoverentur a suis respectivis parochiis... Concilium Parisiense, habitum ann. 1528, injunxit suffraganeis Episcopis, ut faciles non sint ad consecranda altaria portatilia, « ut magis ac magis « tollatur occasio celebrandi Missas in locis ac oratoriis « privatis. » Insuper statuit licitum non fore « in oratoriis « privatis, quæ in domibus privatorum interdum habentur, « missas celebrare, prætextu dispensationis Sedis Aposto- « licæ, nisi prius visis ab Episcopis, recognitis dictis litteris « dispensationis [1]. »

Cum graves abusus ea de re induxissent importunæ precationes fidelium, et nimia indulgentia plurium Episcoporum, plures e diversis regionibus a concilio Tridentino postulaverunt ut tanto malo efficax remedium adhiberetur; quamobrem prodiit concilii decretum istud : « Ne patian- « tur (Episcopi) privatis in domibus, atque omnino extra « Ecclesiam, et ad divinum tantum cultum dedicata ora- « toria, ab iisdem Ordinariis designanda et visitanda, sanc- « tum hoc sacrificium a sæcularibus, aut regularibus qui- « buscumque peragi..., non obstantibus privilegiis, « exemptionibus, appellationibus ac consuetudinibus qui- « buscumque. » (Sess. XXII, Decret. *de Obs. et Evit. in celebr. Missæ.*)

Decretum concilii Tridentini omnes ab initio eo sensu interpretati sunt quod interdiceretur celebrare Missam in domibus privatis, in cubiculis, aliisve locis profanis ædium, nec id Episcopi tolerare deberent extra casus raros quibus urgeret ratio derogandi huic disciplinæ. At simul pluribus persuasum fuit non interdici eodem decreto oratoria privata in domibus privatorum erecta, dummodo visitata et approbata essent ab Ordinariis locorum, et hæc videtur

1. Labbe, *Coll. conciliorum*, tom. XIV, col. 470.

fuisse communissima opinio, temporibus concilium Tridentinum proxime secutis. Plura concilia provincialia, tam in Italia quam extra Italiam celebrata, id concedi posse ab Episcopo sanxerunt, præscriptis cautionibus adhibendis ut oratoria illa separarentur a locis profanis, et decenter ornarentur. Attamen cum postea nonnulli Episcopi ea de re dubitarent et sua dubia proposuissent, Sacra Congregatio respondit die 9 martii, an. 1577, non posse concedi ab Episcopo facultatem celebrandi Missam in oratoriis existentibus in domibus privatorum; et anno 1615 alia prodiit declaratio, jussu Pauli V ad quarumdam regionum nuntios apostolicos transmissa, in qua declaratur *facultatem hujusmodi licentias dandi, ipsius concilii decreto unicuique ademptam esse, solique Romano Pontifici reservatam*. Omnes quæ, ab illo tempore, responsiones datæ sunt circa oratoria privata, eamdem disciplinam confirmant et ita explicant jus commune, cui proinde standum est in praxi.

Excipiuntur a lege communi : 1° oratoria Cardinalium et Episcoporum (n° 183, t. I, p. 312) ; 2° oratoria seu capellæ seminariorum, regularium conventuum, confraternitatum, conservatoriorum, rite et canonice erectorum, hospitalium et carcerum : hæc enim in lege communi non comprehendi sæpe declaravit S. Congregatio, nec censentur oratoria privata ; 3° casus gravis necessitatis. Sanctus Carolus Borromæus id statuendum curavit in VI° concilio Mediolanensi : « Episcopus omnibus Missam in oratorio privato cele« brandi facultatibus concessis certos limites modumque « præfiniat, ita ut, præter causas quas magnas et urgentes « is judicaverit, in ipsis privatis oratoriis Missam cele« brari ex facultatibus illis deinceps non liceat, nisi hoc « fuerit a Sede Apostolica indultum. Quam moderationem « diligenter adhibeat, si quando in posterum ejusmodi « facultatem concedendam censuerit. » Igitur sanctus ille et eximius disciplinæ instaurator existimavit Episcopos posse quandoque dare facultatem sacrum faciendi in ora-

toriis privatis, si nempe graves causæ id expostulent. Idem tenuerunt plures doctores auctoritate commendabiles, rati potestatem Episcoporum restrictam fuisse, non vero penitus ablatam decreto concilii[1]. Quæstione, annis proxime elapsis, delata ad S. Congregationem : « An Episcopus possit, justa interveniente causa, facultatem concedere Missam celebrandi in oratoriis privatis in casu » ; responsum fuit : « *Negative, nisi tamen magnæ et urgentes adsint causæ, et per modum actus tantum.* » (Die 20 septembris 1856.)

* 550. — *Nota.* — Quando S. Sedes indultum concedit, conditiones apponere consuevit, nempe : 1° ut oratorium ab Episcopo, vel ab eo cui vices suas delegaverit, visitetur, inspiciendi causa num decens et apte compositum sit; 2° ut una tantum Missa in die celebretur, nec diebus solemnibus festorum unquam celebretur, nisi aliter concessum fuerit; 3° ut dum fit sacrum, præsens sit indultarius, is scilicet cujus nomen reperitur in fronte indulti, seu inscriptione designatur, aut saltem qui in corpore ejusdem indulti nominatur : nam privilegium est personale, adeo ut nequidem consanguinei et affines possint audire Missam in sacello privato, nisi illo præsente ; 4° ut serventur jura parochialia, id est, nulli actus fiant qui proprio jure ad Ecclesiam parochialem attinent, v. g., collatio baptismi, nuptiarum benedictio, communio paschalis ; 5° præter etiam communionem paschalem , sacramentum Eucharistiæ dispensari non debet in oratoriis privatis, nisi de licentia Episcopi, cujus præscriptionibus vult Sancta Sedes ut fideles morem gerant. Idem de sacramento Pœnitentiæ dicendum, eo magis quod vetitum sit confessiones audire in privatis ædibus, nisi ex causa rationabili[2].

1. Cf. S. Alph. de Ligori, *Theologia moralis*, lib. VI, n° 359.
2. Ita Rituale Romanum, *de Sacram Pœnit.* — Clausulas quæ sæpius apponuntur in Indulto explicat S. Alph. de Liguori, lib. III, n° 318. Cf. etiam Const. *Magno cum animi* mox citatam, §§ 12 et seq.

551.— II° *Quales esse debeant situs et forma Ecclesiarum et oratoriorum privatorum?*

I. Nihil jure canonico sancitum fuit de situ et forma Ecclesiarum; mos tamen invaluit ut, quantum fieri potest, Ecclesiæ sanctuarium spectet ad orientem et forma aliquam analogiam servet cum templo Hierosolymitano, quod *Atrium*, *Sancta*, et *Sancta Sanctorum*, habuit.

Consuetum olim fuit christifidelibus ut suas orationes Deo offerrent, facie versa ad orientem, quo symbolice repræsentatur Christus, *sol oriens mundo;* e contra vertebantur in septentrionem quando faciebant adjurationes in dæmonem. Eam ob causam sanctuarium plerumque olim respiciebat in orientem; quem usum sanctus Paulinus *usitatiorem* dicit. Quoad vero formam, non una omnium Ecclesiarum fuit; aliæ quippe in modum crucis, aliæ recto parietum et porticuum seu alarum ordine; nonnullæ in orbem constructæ erant; in omnibus autem distinguebantur sanctuarium, in quo sacra mysteria agebantur, chorus quo clerici assidebant, et pars fidelibus reservata, quæ *navis* nomen sortita est, quia sæpius forma Ecclesiæ speciem aliquam navis præferebat. Quocumque ordine vel stylo architecturali Ecclesia construatur, summopere expedit ut hæc tria : navis, chorus et sanctuarium, convenienter separentur, et cuncta aptentur divinorum mysteriorum celebrationi, atque religiosæ animorum recollectioni.

II. Oratorium parietibus exstructum esse debet, quibus ab omnibus aliis domesticis usibus segregetur, formam habere capellæ, ita saltem quod altare quibusdam gradibus e solo assurgat, et nulli usui profano inservire. Nihil amplius requisitum videtur ex jure communi, sed attendere oportet ad statuta localia, quorum unum et alterum exempli causa, referimus. Concilium Mediolanense VI prohibuit ne « a parte superiori, vel cœnaculum, vel cubiculum, vel omnino locum habeat, ubi aut dormiatur, aut « habitetur, aut quidquam profani fiat ». Statutum Eccle-

siæ Parisiensis fert : « Antiqua disciplina constitutum « est ut oratoria in loco decenti et honesto, atque ab « omnibus usibus domesticis libero, extruantur. Justam « habeant amplitudinem, nempe longitudinis metra sal- « tem quatuor, latitudinis vero et altitudinis tria metra; « nullum supra debet existere cubiculum, in quo lectus « cuiquam sternatur. » Singuli tenentur suæ diœcesis præscriptionibus debitam obedientiam præstare.

§ 2. — *De Benedictione et Consecratione Ecclesiarum* [1].

* 552. — 1° *Quid sit benedictio Ecclesiarum; in quo benedictio simplex a consecratione differat; utrum omnes Ecclesias benedici aut consecrari necessarium sit?*

I. Ædes ad divinum cultum destinatæ, duplici modo sanctificari possunt, benedictione simplici, vel consecratione; antequam vero discrimen assignetur inter utrumque, revocandum est, ex doctrina theologorum et canonistarum, quid sit benedictio ecclesiastica.

Benedictio est actus religionis, quo, per invocationem divini nominis, aliquid boni confertur, aut postulatur. Sensu autem ad rem præsentem accommodato, et qualis intelligitur de benedictionibus sacerdotalibus, ritu ecclesiastico peragendis, est actus ordinis et jurisdictionis quo minister, ad id suo munere deputatus, Deum precatur ut per preces et merita oblata, effectus gratiæ personis seu rebus applicetur ad mentem Ecclesiæ.

Est utique in Ecclesia communio sanctorum, quæ consistit simul in vinculis internis et externis quibus fideles Christo connectuntur, et in mutua communicatione bonorum spiritualium. Principium autem hujus communicationis est Spiritus Sanctus, qui a capite in membra corporis diffunditur.

1. Cf. Quarti, *de Sacris Benedictionibus*, ad calcem comm. *de Rubricis Missalis*. — Azevedo, Exercitatio LXIX, *de Ded. Ecclesiæ*.

Preces et bona justorum triplicem valorem habent : sunt satisfactoria, meritoria, et impetratoria. Quatenus meritoria, prosunt tantummodo operanti; quatenus autem satisfactoria et impetratoria, possunt aliis prodesse, si nempe operans hæc cæteris applicare intendat [1]. — Christus suas satisfactiones et preces Ecclesiæ contulit : beata Virgo, in omnibus Christo consentiens, Ecclesiæ etiam cessit merita superabundantia satisfactionum, ut omnibus prosint : quod item de aliis Sanctis merito præsumendum; unde sanctus Ambrosius dixit : *Ecclesia in commune orat, in commune operatur, in commune tentatur.*

Ex illis meritis et precibus Christi, beatæ Virginis, et Sanctorum, formatur thesaurus communis bonorum spiritualium, quibus inclinatur divina misericordia ut facilius indulgeat personis quibus applicantur. — Thesaurus ille constituitur sub potestate clavium : dispensatur scilicet a primis pastoribus, juxta designationem et modum institutum ab Ecclesia, nemo quippe disponere valet de thesauro communi, nisi de consensu, ac per delegationem Ecclesiæ, scilicet S. Pontificis, Patris omnium fidelium : eam ob causam notavimus benedictionem esse actum non solum ordinis, sed et jurisdictionis.

Quoties igitur benedictiones fiunt ex præscripto Ecclesiæ, rituque ab ea probato, fideles quibus applicantur possunt obtinere, vi communionis Sanctorum, effectus supernaturales intentos benedictionibus. Effectus non producuntur infallibiliter, *ex opere operato*, ut in sacramentis, quia hujusmodi efficaciam Deus solus potest alicui signo annectere. Suos effectus benedictio ecclesiastica operatur 1° impetrando a Deo dispositiones convenientes : 2° tribuendo animi dispositionibus uberiora dona quam assequerentur fideles, cæteris paribus, si non interfuisset benedictio. Utrumque effectum habet benedictio ex beni-

1. Cf. Suarez, in IIIam partem S. Thomæ disput. XLVIII, sect. I et II.

nitate Dei, merita et preces Ecclesiæ misericorditer respicientis.

Benedictio multiplex distinguitur : 1° alia quæ personis, alia quæ rebus inanimatis proxime confertur ; 2° alia *verbalis*, ut aiunt, quæ verbis et signis perficitur ; alia *realis*, in qua fit unctio olei benedicti, vel chrismatis ; 3° alia *invocativa*, quæ adhibetur tantummodo ad invocandum auxilium divinum in gratiam fidelium qui re benedicta utentur ; alia *constitutiva*, qua res a profano separatur, eique confertur esse sacrum, si dicere fas est, quo fiat materia conveniens ad sacrificium, seu ad sacramentum, vel instrumentum salutis. Eo modo benedicuntur chrisma, calices, etc... ; 4° demum alia est *episcopalis*, seu reservata Episcopis juxta institutionem Ecclesiæ, alia *sacerdotalis*, quæ a sacerdote dari potest.

His prænotatis, facilius dignoscetur quid sit benedictio Ecclesiarum, et in quo benedictio simplex a consecratione distinguatur.

* 553. — II. Benedictio Ecclesiarum est oratio qua minister, ad id rite deputatus, ædem Deo dicat ad cultum, ac simul eum precatur ut suo spiritu benigne ac misericorditer assistat fidelibus ad eam accedentibus, ut cuncti, hoc in loco deprecaturi, gratiæ cœlestis auxilium sentiant, et inde effugiant nequitiæ spirituales.

Benedictio simplex est benedictio *sacerdotalis* et *verbalis*, quatenus fieri potest a sacerdote qui hoc munus ab Episcopo acceperit, et in ea peragenda non adhibetur unctio sacra olei, nec chrismatis, sed aqua benedicta. Consecratio est benedictio *realis* et *episcopalis*, quatenus fit cum sancto chrismate, et a solo Episcopo peragi potest, secluso casu Indulti apostolici. Consecratio proinde est benedictio facta excellentiori modo, qui melius significat summam sanctitatem loci divino cultui dicati. Episcopus, simul ac clerus et populus pro quibus Ecclesia est consecranda, ad illam consecrationem se disponunt precibus

atque jejunio, quod servare tenentur, nisi data sit dispensatio. Celebrantur coram reliquiis primæ vesperæ dedicationis; et multi ritus solemnes in Pontificali descripti adhibentur qui non sunt in usu pro simplici benedictione [1].

Effectus primarius utriusque benedictionis, sed consecrationis præsertim, est ut inhæreat sacris ædibus sanctitas quædam, quæ illas in perpetuum aptas divino cultui efficit, et impedit quominus convertantur in usus profanos, quandiu conservant formam moraliter eamdem; nam secundum regulam juris : *Semel Deo dicatum, non est ulterius ad usus humanos transferendum.* (Reg. II, in VI°.) Nunquam igitur iteranda est consecratio. Quod si vero ædes diruatur, amittit suam consecrationem; et tamen olim jura requirebant ut, ex quadam decentia, ligna Ecclesiæ dedicatæ ad aliam Ecclesiam assumerentur, vel cederent usui monasterii, aut igne consumerentur, in laicorum autem usum non admitterentur. (Cap. *Ligna*, 38, distinct. I, de CONSECRATIONE. Juxta) hodiernam disciplinam, licet ligna, lapides, terram egestam Ecclesiæ quondam consecratæ, ad profanos usus adhibere. Ipsasmet Ecclesias dirutas in usus profanos, non sordidos tamen, convertendi facultatem Episcopis tribuit concilium Tridentinum. (Sess. XXI, cap. VII.) Id licitum, a fortiori, reputari debet de lignis, ruderibus et cæmentis Ecclesiarum dirutarum [2]!

Non assignatur discrimen quoad spirituales effectus

1. Consecrationem fieri posse a pluribus simul Episcopis colligitur ex cap. *Cum ex eo*, 14, DE POENITENTIIS ET REMISSIONIBUS, in quo dicitur : « Decernimus, ut cum basilica dedicatur, non extendatur « indulgentia ultra annum, *sive ab uno solo, sive a pluribus Episco-« pis dedicetur.* » Plurima sunt exempla dedicationum, in quibus duo, tres, aut plures Episcopi, partem rituum singuli expleverunt; quapropter nullum dubium moveri debet de valore consecrationis Ecclesiæ cujus in parietibus cruces, aliæ ab uno, aliæ ab altero Episcopo, sacro chrismate inunctæ sunt; de quo erudite disserit Azevedo, in *Exercitatione* LXIX, quæst. IV.

2. Cf. Azevedo, *Exercitationes ecclesiasticæ*, exerc. V[a], *de Parietinis, lignis et cæmentis Ecclesiarum.*

›s consequuntur fideles, prout Ecclesia benedicta fuerit, consecrata. « Ecclesia benedicta, et auctoritate Episcopi ad sacramenta administranda erecta, ait Quarti, gaudet eisdem privilegiis quibus Ecclesia consecrata, ut docent communiter doctores in titulum de CONSECRATIONE, quos citat et sequitur Suarez. » (*Commentaria in lib. Missalis*, part. III, tit. x, sect. I. dub. 3.)

554. — III. Ecclesias et oratoria publica benedici jubent nones. « Missarum celebrationes non alibi quam in sacratis Domino locis, absque magna necessitate fieri debere liquet omnibus quibus nota sunt Veteris et Novi Testamenti præcepta », ait Felix Papa IV, in epistola lata apud Gratianum. (Cap. I. *Consecrationem* 1, Dist. 1, : CONSECRATIONE.) Hæc quidem disciplina non est jure ivino præscripta; alioquin nunquam concederetur facultas celebrandi sacra mysteria extra Ecclesias, nec in ædibus privatis; est tamen maxime consona traditionibus, amque servari suadet, quantum fieri potest, reverentia acrosancto sacrificio debita. Eam ab apostolicis viris traitam fuisse tenent communius canonistæ, et cunctis retro æculis, saltem ab initiis quarti sæculi, inviolabiliter obseratam, ex quo scilicet tempore, pace reddita fidelibus, libeum Episcopis fuit sacros ritus in publico facilius peragere. Historiarum monumentis novimus dedicationem, quæ *Natalis dies* Ecclesiarum dicebatur, magna solemniate ubique celebratam; cujus etiam dedicationis memoria quotannis, die anniversaria, habebatur. Episcopi quibus nos olim fuit, ab antiquis Patribus acceptus, annuam commemorationem suæ consecrationis et assumptionis ad Episcopatum recolere, majori adhuc studio curandum duxerunt ut non prætermitteretur anniversarium festi natalis suæ Ecclesiæ.

Leges canonicæ nullam præscripserunt benedictionem oratoriorum privatorum, nullumque ritum ad hujusmodi benedictionem indicant rituales libri. Unde anno 1820, die

11 martii, S. Congr. respondens ad dubia sibi proposita ab Episcopo provinciæ Compostellanæ, animadvertit quod oratoria privata nunquam benedicantur ritu præscripto in Rituali Romano pro publicis oratoriis [1]. Decet tamen hæc sacella aliqua benedictione sanctificari, si debeant sacris mysteriis modo permanenti inservire.

555. — II° *Quid sit titulus quo Ecclesiæ, intra ritus benedictionis, donantur?*

I. Quemadmodum homini baptizato nomen imponitur, ita Ecclesiæ dedicatæ titulus datur quo nuncupetur, et ab aliis Ecclesiis dignoscatur.

Patronum cum titulo Ecclesiarum simul confundi consuetum est, etsi detur discrimen inter utrumque. *Patronus* est Sanctus vel Angelus cujus protectioni Ecclesia commendatur, ut pro illa apud Deum intercedat. *Titulus* est mysterium, Sanctus, vel aliquid ad Sanctos pertinens, v. g., conceptio immaculata Virginis, vincula sancti Petri, *etc.*, a quo inscribitur et appellatur Ecclesia. Patronus pro titulo sumitur quando suum nomen in titulum Ecclesiæ indit, et tunc ex usu communi vocatur patronus titularis Ecclesiæ. — Ecclesia nuncupatur nomine sui tituli : sic, exempli causa, Ecclesia sancti Petri dicitur *titulus sancti Petri;* qui mos præsertim Romæ servatur pro Ecclesiis quibus præficiuntur Cardinales [2].

II. Juxta traditiones christianas nulla erigitur, nec benedicitur Ecclesia quin titulus ipsi simul conferatur, et in ipsamet benedictione primarii lapidis sacræ ædis ædificandæ, Rituale Romanum præscribit ut Episcopus, seu sacerdos, nominet « Sanctum vel Sanctam, in cujus honorem « ac nomen fundabitur Ecclesia. » Constitutus autem se-

1. Cf. annotationem editoris decretorum authenticorum Cong. Rituum ad decret. n° 4565.

2. Vide ibidem annot. ad n° 4736, circa patronos et titulos Ecclesiarum. Mysterium SS. Trinitatis, Verbum divinum, Spiritus Sanctus, eligi et dari potest in titulum Ecclesiæ, neutiquam vero in patronum.

nel titulus Ecclesiæ, mutari deinceps non debet, nisi fiat nova Ecclesiæ dedicatio; stante enim « eadem Ecclesia « integra cum eadem dedicatione, inane videtur, ait Aze« vedo ac prope sacrilegum, abdicato priore titulo, novum « alium inducere. » (*Exercitatio* LXIX, nº 2.) Pluries ita responsum fuit a S. Congregatione Rituum[1].

* **556.** IIIº *Quandonam Ecclesiæ exsecrentur, aut polluantur, et quid observandum ut reconcilietur Ecclesia polluta?*

Exsecratio et pollutio Ecclesiæ confundi non debent; hæc duo sunt unum ab altero distincta.

I. Ecclesiæ *exsecrari* dicuntur, quando amittunt suam consecrationem, et ex sacris in profanas ædes vertuntur; id vero accidit quoties destruuntur totaliter, aut nobiliori parte; v. g., si mutetur sanctuarium et altare, tametsi iterum construatur ex iisdem lapidibus, eodemque loco et situ. Non idem dicas si tecta solummodo et partes ligneæ comburantur, aliove casu concidant, parietibus illæsis; nec si parietes ipsi successive per partes reparentur, adeo ut major notabiliorque pars non simul corruerit. Alexander III ad proposita dubia quæ rem præsentem attingunt, rescripsit : « Ligneis ædificiis Ecclesiæ vestræ « casu consumptis, parietibus tamen illæsis, ac mensa « principalis altaris in sua extremitate modicam passa « fracturam, inquisitioni tuæ duximus respondendum quod « cum parietes in sua integritate permanserint, et tabula « altaris mota, vel enormiter læsa non fuerit, ob causam « prædictam nec Ecclesia, nec altare, debet denuo con« secrari. » (Cap. *Ligneis*, 6, DE CONSECRATIONE.) Consecratio non hæret ligneis, nec tecto, sed altari et parietibus ; in-

1. Cf. ann. edit. collectionis Gardellianæ ad nº 4735, et 4934. Ann. 1843, Episcopus Gandavensis postulavit a S. C. an, post editum decretum quo Card. Caprara Episcopis concesserat facultatem titulos assignandi Ecclesiis quæ in parœcias erigendæ erant, possent successores Episcoporum, rationabili ex causa, patronum titularem in alium immutare, S. C. respondit *negative*.

super non est quid physicum, sed morale; ergo, nihil refert ad consecrationem si tecta comburantur, aut concidant ligna; nec etiam refert si parietes ipsi successive reficiantur, dummodo Ecclesia censeatur eadem semper remanere.

Quando Ecclesia exsecrata fuit, inservire non potest sacris mysteriis donec denuo benedictionem, seu consecrationem acceperit, quia suam priorem sanctitatem penitus amisit, et ædes profana effecta est.

*557. — II. Ecclesiæ *pollutæ* dicuntur, quando perpetratur in eis delictum quod directe earum sanctitatem offendit, atque ex præscripto canonum impedire debet quominus ibidem sacra munia agantur, quamdiu locus non sit ritibus piacularibus reconciliatus. Delicta quibus Ecclesiæ polluuntur sunt : homicidium, injuriosa et graviter culpabilis effusio sanguinis humani, peccatum externum consummatum contra castitatem, et sepultura hominis infidelis, aut excommunicati.

1° Primus casus est, si sanctitas loci violetur homicidio, aut suicidio voluntario et culpabili. Non polluitur Ecclesia si quis casu occidatur; item si quis injuste agressus, vimque repellens, servato moderamine inculpatæ tutelæ, alterum occidat; nec si quis percussus extra Ecclesiam ictu lethali, ad Ecclesiam confugiat et ibi moriatur; siquidem in his, et cæteris similibus casibus, homicidium non est injuriosum in Ecclesiam. E contra, quoties aliquis ictu lethali percutitur in Ecclesia, id est, intra ambitum templi, a pavimento ad fornicem interiorem, locus polluitur, etiamsi vulneratus alibi succumbat. (Cap. *Proposuisti*, 4, DE CONSECRATIONE.)

2° Alter casus est notabilis et graviter culpabilis effusio sanguinis humani, de qua eadem notanda veniunt quam de homicidio. Vulnus, quamtumvis atrox, si nec sanguis effundatur, nec mors sequatur, non inducit pollutionem; quia in istis leges stricte interpretamur. (Cap. *Si Ecclesiam* eod. titulo, in VI°.)

3° Tertius casus est effusio seminis humani graviter illita, intra Ecclesiam, si tamen peccatum sit publicum noto-ɜtate facti, sive juris. Communis est doctorum sententia ;cisionem, aut sanguinis effusionem, vel peccatum contra ıstitatem, non polluere Ecclesiam quamdiu crimen est ;cultum. Canonica legislatio potissimum attendit ad scan-ılum a fidelibus removendum; fideles autem non patiun-ır scandalum ob injuriam sacris ædibus illatam, quamdiu ›us suum delictum non confessus est, nec adest probatio ›rta seu per notorietatem facti, seu per condemnationem ›i de crimine convicti. Si postea vero peccatum publice ınotuerit, Ecclesia polluta habebitur, et necessarium erit am reconciliari sacris ritibus. (Cap. *Si Ecclesia*, 10, od. tit.)

4° Quartus casus est, si excommunicatus denuntiatus, el infidelis, sepultus sit in Ecclesia.

Sepultura excommunicati tolerati non polluit Eccle-iam, siquidem ex Bulla *Ad evitanda scandala*, non tene-nur vitare excommunicatos toleratos; non est autem cur lebeamus vitare post mortem eos quibus vivis licitum fuit ommunicare. Hæc communicatio non cedit directe in fa-orem excommunicatorum, sed in gratiam fidelium, ne ›riventur bonis spiritualibus, ob communicationem cum xcommunicatis toleratis.

Difficultas non mediocris est de sepultura hæretici ıotorii, sed non denuntiati nominatim. Dubium oritur ex enore Bullæ *Ad evitanda scandala* qualis inserta fuit in Con-›ordato Leonis X cum Francisco I, quo vitari jubetur, præ-er denuntiatos, cæteros omnes quos incidisse in excom-nunicationem ita notorie constat ut nulla tergiversatione ;elari possit. Insuper plures textus juris prohibent ne hæ-etici notorii sepeliantur in locis Deo sacris. Denegari qui-lem debet sepultura ecclesiastica hæreticis notoriis; sed ıon idcirco concludendum arbitramur Ecclesiam pollui si hæreticus in ea tumuletur. Theologi ita communius do-

cent, nulla adhibita distinctione inter hæreticos notorios privatim, et hæreticos qui ad sectam separatam pertinent, modo non fuerint denuntiati : « Si in Ecclesia fuerint « sepulti hæretici non denuntiati nominatim, etiamsi alias « notorii, non censetur violata Ecclesia, nec indiget recon« ciliatione », ait Ferraris, qui in eo aliis doctoribus consentit. (V° *Ecclesia*, art. IV, n° 54.)

Aliud dubium movetur an sepultura infantis non baptizati, sed ex parentibus fidelibus nati, polluatur Ecclesia. Communior opinio affirmat. Plures tamen haud levis auctoritatis viri aliter sentiunt : existimant scilicet non tumulandum esse infantem in Ecclesia, nec in cœmeterio benedicto; si tamen contigerit eum ibidem sepeliri, non exinde pollui locum sacrum. Textus quos canonistæ in contrarium invocant, nempe can. 27 et 28 distinct. I *de Consecratione* apud Gratianum, non statuunt de tali infante, sed de pagano et infideli. Nec est rationis paritas, quia pagani et infideles detestantur fidem christianam, et, ob eam potissimum causam, illos sepultura christiana alienos esse voluit Ecclesia; at infantes christianorum fidem et personam parentum repræsentant, in quorum etiam fide baptizantur, atque consequenter nulla irreverentia irrogatur loco sacro ex illorum sepultura. Ita Schmalzgrueber, Engel, alii canonistæ in suis commentariis tituli XL DE CONSECRATIONE, etc. In praxi standum est præscriptionibus statutorum localium.

* 558. — III. Vetitum est celebrare divina mysteria in Ecclesia polluta donec reconciliata sit. Si forte contingeret Ecclesiam pollui ipso tempore quo fit sacrum, cessandum esset ab eo, si ante consecrationem delictum perpetretur; si autem peracta consecratione id contingat, sacrosanctum sacrificium non abrumpitur. Consummato sacrificio, suspenditur aliud quodvis officium divinum, transfertur in alium locum sancta Eucharistia, Ecclesia suis ornamentis denudatur.

Qui in Ecclesia polluta celebraret, peccaret lethaliter : nullam tamen censuram nec irregularitatem incurreret, (Cap. *Is qui*, 18, DE SENT. EXCOM., in VI°.)

Existimant plures doctores, quos citat et sequitur Quarti, Episcopum posse dispensative concedere ut fiant divina mysteria in Ecclesia polluta, si necessitas urgeat, nec suppetat tempus Ecclesiam reconciliandi.

Ritus in peragenda reconciliatione Ecclesiæ, idem non est si Ecclesia fuerit solummodo benedicta, ac si fuerit consecrata. In priori casu sacerdos deputatus ab Episcopo potest reconciliare Ecclesiam pollutam, servato ritu in Rituali Romano præscripto, et adhibita aqua *exorcizata*, ut dicitur in cap. *Si Ecclesia*, 10, DE CONSECRATIONE, id est, aqua lustrali a sacerdote, juxta regulas consuetas, benedicta. Necessariam esse delegationem ab Episcopo, « affirmat cum aliis Bonacina, ait Quarti, et favet Rituale « Romanum dicens Ecclesiam, si non fuerit consecrata, « esse reconciliandam a sacerdote delegato; communiter « tamen asserunt non requiri licentiam Episcopi ex præ- « cepto, sed ex decentia, quia textus citatus *Si Ecclesia* id « non exprimit, et contrarium potius indicat. » In illo scilicet textu præcipitur ut si « Ecclesia non consecrata « fuerit polluta, *aqua protinus exorcizata lavetur*, *ne divinæ « laudis organa suspendantur* »; quod supponere videtur, juxta canonistam Pirhing, non necessarium fore ut expectetur mandatum Episcopi [1].

In secundo casu, si nempe Ecclesia fuerit consecrata, reconciliatio fieri debet ab Episcopo; neutiquam vero a simplici sacerdote, nisi habuerit privilegium Sedis Apostolicæ [2], quia reconciliatio Ecclesiæ consecratæ, sicut ipsa

1. Quarti, *loco cit.*, part. III, tit. X, dub. I. — Pirhing, in tit. XL, lib. III, n° 21. — Collet, *Traité des saints mystères*, chap. VIII, n° 17. Bened. XIV, *de Synodo*, lib. XIII, cap. XV, n° 2.

2. Ita præscribitur in Rituali Romano, et responsum fuit die 6 junii 1626 a S. Cong. Rituum, in causa *Cameracensi*.

consecratio, reponitur, jure canonico, inter actus ordinis Episcopalis; nulla consuetudo prævalere potest contra illud institutum. Episcopus, seu Presbyter a S. Pontifice delegatus, utitur ritu in Pontificali præscripto, et adhibet aquam quæ dicitur *Gregoriana*, mixtam scilicet vino, sale, et cinere, atque ab Episcopo benedictam.

* 559. — IV° *Quid jure præscriptum sit de altaris consecratione?*

I. Duplex altare distinguitur : aliud *fixum*, quod immobiliter sua basi consistit; aliud *portatile*, quod potest de loco in locum moveri. Utrumque esse debet lapideum et quadrangulare, ut significantius repræsentetur Christus quem sacræ Scripturæ vocant *Petram anguli* qua innititur domus Dei. Adhibita etiam fuerunt olim altaria lignea et aurea; sed pluribus abhinc sæculis, invaluit disciplina non adhibendi aliam materiam præter lapidem ad construendum altare. Desinente sæculo IV°, sanctus Gregorius Nyssenus dicebat in oratione de sancto Christi baptismo : « Altare hoc sanctum cui assistimus, lapis est natura com« munis, nihil differens ab aliis crustis lapideis, ex quibus « parietes nostri exstruuntur, et pavimenta exornantur. « Sed quoniam Dei cultui consecratum atque dedicatum « est, ac benedictionem accepit, Mensa sancta, Altare imma« culatum est, quod non amplius ab omnibus, sed a solis « sacerdotibus, iisque venerantibus, contrectatur. » (Cap. *Altaria*, 31, dist. I, DE CONSECRATIONE.)

II. Altare, seu fixum, seu portatile, necessario consecrari debet, juxta vetustissimam regulam a temporibus apostolicis ad nos transmissam, ut super illud sacrificium licite offeratur; nec in re certissima probanda immorabimur.

Consecratio fit a solo Episcopo, nisi SS. Pontifex facultatem concesserit Presbytero eam peragendi; est quippe regula generalis benedictiones *reales*, quæ nimirum sacro chrismate perficiuntur, reservari Episcopis. Forma et ritus

hujus consecrationis describuntur in Pontificali. Illud præ cæteris notandum, nullum altare consecrari quin includantur sacræ reliquiæ; unde sacerdos ascendens altare Deum precatur *per merita Sanctorum quorum reliquiæ hic sunt.* Oratoria ædificabantur olim supra tumulos Martyrum, quem morem Ecclesia retinere statuit, quoad poterat, reponendo reliquias Sanctorum sub altari, quia summopere expedire judicavit, si sacrosanctum sacrificium offeratur Deo super reliquias corporum servorum Dei, qui omnem suam virtutem ex illo habuerunt.

Loculus in quo sacræ reliquiæ reponuntur signatur sigillo Episcopi, ut certius constet de consecratione altaris, atque de reliquiarum authenticitate.

III. Altare fixum ita refertur ad Ecclesiam in qua constitutum est, ut si quacumque ex causa Ecclesia polluatur, ipsum etiam pollutum eo ipso censeatur; alia est ratio altaris portatilis quod suam, ut sic dicam, existentiam et consecrationem habet distinctam a consecratione loci ubi reponitur.

Altaria exsecrantur : 1° si altare fixum disjungatur a sua basi, seu a columnis quibus insistit. (Cap. *Ad hæc*, 1; *Ligneis*, 6, DE CONSECRATIONE.) Ratio est quod juxta ritus consecrationis, tabula, seu mensa, simul cum sua basi in loco juncturæ ungitur, et cum ea idem altare constituit; quapropter canones statuunt altare debere denuo consecrari *si amotum fuerit.* Non videtur consecrationem amitti, si cum stipite, seu columnis, absque ulla disjunctione transferatur in alium locum, intra tamen eamdem Ecclesiam. 2° Si altare portatile enormiter frangatur, adeo ut pars integra quæ remansit, continere non valeat calicem cum patena et ciborium. Quin etiam scriptores in rebus liturgicis versatissimi existimant enormem esse fracturam, non solum si tabula fuerit in duas aut in plures partes notabiles divisa, sed etiam si divisa sit per fracturam, in aliqua ex partibus ubi peculiares unctiones adhibitæ

fuerunt, candelæ accensæ, thus crematum. Nam etiamsi fractura non sit materialiter enormis, talis respective evadit, cum separatæ sint partes specialibus precibus, formulis, et actionibus consecratæ. « Verbo dicam, ait « annotator collectionis Gardellianæ, exsecrata erit tabula, « si pars fracta unam contineat ex lateralibus crucibus ab « Episcopo in altaris consecratione specialiter benedictis. » (In decisionem nº 4577, die 3 mart. 1821 in causa Carpen.) 3º Quando altaris sepulchrum, sive locus quo reliquiæ reconduntur, frangitur, adeo ut amotæ sint reliquiæ.

Controversum fuit inter auctores an inclusio reliquiarum, quæ ex omnium consensu est præscripta, sit necessaria ad validam altaris consecrationem. Qui partem negativam sustinebant, debuerunt concludere ex sua opinione non exsecrari altare fractione sepulchri, amotioneque reliquiarum; sed consuetudine, et deinde variis rescriptis S. Congregationis Rituum, prævaluit opinio contraria [1]. Persæpe responsum est a S. Congregatione altaria consecranda denuo fore, quando fractum sepulchrum, et amissæ reliquiæ fuerunt.

Hæc autem ut melius intelligantur, paucis resumere satis erit varias declarationes datas a S. Congregatione. Declaravit : 1º altare cujus sepulchrum Episcopus aperuit, et reliquias extraxit, ut de earum authenticitate certius sibi constet, non exsecrari si Episcopus easdem reliquias, sufficienter recognitas, recondit. (Die 14 mart. an. 1693, nº 3305.) — 2º Altare indigere nova consecratione, si extractæ et amissæ sint reliquiæ, etiamsi novæ et authenticæ in locum priorum substitutæ fuerint. Quandoque tamen in tali casu, Sancta Sedes concessit ut, absque nova consecratione, reliquiæ reponantur in sepulchro, servatis tantummodo ritibus in Pontificali descriptis, sci-

1. Quarti, tit. xv, dub. v. — Collet, *Traité des SS. Mystères*, chap. VIII, nº 8. — Schmalzgrueber, in tit. XL, nº 43. — Collectio Gardelliana, nis 4539, 4990, 4997, 5037.

licet ut signetur sancto chrismate sepulchrum, recondantur reliquiæ cum tribus granis thuris, ac tandem superponatur firmeturque operculum, recitatis interim orationibus præfinitis. (N° 5162, die 5 decemb. an. 1851, in causa Bituricensi.) — 3° Altare denuo consecrandum fore, si deleto episcopali sigillo, nullum certum vestigium appareat reconditas fuisse et servatas easdem reliquias in sepulchro, quia *non constaret de reliquiarum identitate, et authenticitate*. (Die 25 maii an. 1846, n° 5037, in causa Cadurcensi.)

Si, ratione habita circumstantiarum, nullum est dubium probabile de peracta consecratione, atque de identitate reliquiarum, non est cur nova iterum fieret consecratio.

§ 3. — *De Sacra Supellectili Ecclesiarum.*

560. — Sacra supellex Ecclesiarum dicuntur omnia vasa quæ ad cultum publicum inserviunt : vasa nempe sacra, cruces, linteamina altaris, vestes sacerdotales, baptisterium, vascula sancti Chrismatis et sanctorum Oleorum, sedes confessionales, cathedra, tabellæ pictæ quæ ædem sacram exornant, campanæ quarum sonitu advocantur fideles ad preces, seu ad conventus ecclesiasticos. De diversis partibus sacræ supellectilis principia generalia juris paucis dicemus; plenior enim accuratiorque rerum explanatio ad disquisitiones liturgicas, potius quam ad prælectiones canonicas, attinet.

I. Calices esse debent ex auro, vel argento, aut saltem habere cuppam argenteam intus inauratam simul cum patena itidem inaurata [1]. (Cap. *Ut calix*, 45, dist. 1, DE CONSECRATIONE; Const. Innocentii IV, *Sub catholicæ*,

1. An. 1866, die 1 sept., S. Congreg. Rituum, proposito dubio, an licitum sit conficere calices ex ære alluminii, responsum dedit : *Nihil innovandum*. V. *Acta S. Sedis*, vol. II, pag. 232-239, dissertationem consultoris super quæstione proposita.

an. 1254; Rubricæ in missali insertæ : *Ritus servandus in Celeb. Missæ*, § 1.) — Consecrari debent ab Episcopo qui harum benedictionum munus, quatenus unctione sancti chrismatis perficiuntur, nulli presbytero committere potest. Vetustissimum hunc morem ungendi calices sacro chrismate refert ad traditiones apostolicas Innocentius III, cap. *Cum venisset*, 1, DE SACRA UNCTIONE. — Calices et patenæ exsecrantur quando immutantur, vel franguntur, adeo ut inservire amplius non possint sancto sacrificio; puta si perforentur, vel si cuppa calicis a pede cui fixa est, per fractionem divellatur, vel tandem si pars interior calicis aut cuppæ aurationem amittat, prout responsum fuit a S. Congregatione, die 14 junii, an. 1845, in causa Leodiensi, n. 5011.

Quando calix fractus est, aut internam perdidit inaurationem, non potest in sacris conficiendis mysteriis adhiberi; cum enim formam amiserit in qua sacer evaserat precibus et ritibus ecclesiasticis, consecrationem non servat; quapropter tradi potest artifici ut reficiatur, aut fundatur. Si autem formam necessariam non amiserit, sed opportunum videatur illum ex majori decentia expoliri, et intus inaurari, adeundus est Episcopus, vel alter prælatus loci ordinarius, qui per modum dispensationis, permittat calicem artificibus tradi, non enim laicis fas est sacra vasa manu contrectare [1]. Dispensatione opus non est, si pes duntaxat calicis expoliendus et inaurandus sit, et possit sejungi a cuppa sine fractura.

II. Ciborium et pyxis destinata ad conservationem et expositionem sanctæ Eucharistiæ, non consecrantur unctione chrismatis, sed simplici benedictione, quæ tamen reservatur Episcopo.

III. Lintea quæ propius inserviunt sacrificio, nimirum : mappæ altaris, corporalia, pallæ, purificatoria, non alia

1. Cf. annotationem collectoris decretorum S. C. Rituum ad decisionem diei 28 april. an. 1822, nº 1588.

adhibenda sunt quam ex tela linea, aut cannabina. Cap. *Consulto*, 46, dist. 1, DE CONSEC., quod attribuitur Papæ Sylvestro, fert : « Consulto statuimus ut sacrificium altaris non in serico panno, aut tincto, quisquam celebrare præsumat, sed in puro linteo ab Episcopo consecrato, terreno scilicet lino procreato, atque contexto, sicut corpus Domini Jesu Christi in sindone linea munda sepultum fuit. »

Cum abusus invaluisset contra has regulas, antiquitate et mysticis significationibus venerabiles, et in pluribus provinciis conficerentur sacra indumenta ex tela quadam composita ex lino et gossypio subtilissimo, sacra Congregatio, approbante Pio VII, generale decretum edidit, die 15 maii an. 1819, quo statuitur « ab antiquo more, sub quolibet prætextu, colore et titulo, non esse recedendum et eadem sacra indumenta ac supellectilia, non ex alia quacumque materia, etsi munditie, candore, ac tenacitate linum aut cannabem æmulante et æquante ». Eadem Congregatio indulgentia usa est quoad amictus, albas, tobaleas, mappulas, si quæ tunc haberentur, ut liceret iis uti usquedum consumerentur, dummodo quando hæc renovanda forent, nonnisi ex lino aut cannabe fierent; sed districtius jussit suum decretum statim, post mensem a promulgatione, ubique exsecutioni mandari quoad corporalia, pallas et purificatoria.

Altare cooperiendum est tribus mappis, superiori saltem oblonga quæ hinc inde usque ad terram pertingat, duabus aliis brevioribus, vel altera duplicata, dummodo lapidem altaris tegant. Pervetustum esse usum trium mapparum indicat caput *Si per negligentiam*, 27, dist. 2, DE CONSECRATIONE.

IV. Crux erigitur in omnibus Ecclesiis, aut saltem reponitur tabula in qua repræsentatur imago Jesu Christi crucifixi. Cum Rubricæ requirant ut crux collocetur super altare et inter candelabra, dum offertur sacrum sacrificium,

scriptores quæstionem instituerunt utrum Crux debeat constitui in altari etiamsi imago Christi e cruce pendentis in majori tabula depicta aut cælata appareat. « Gavantus « id quidem probat, ait Benedictus XIV; alii vero id mi- « nime necessarium arbitrantur, dummodo tamen Cruci- « fixus in majori tabula, vel pictus, vel cælatus, primum « locum obtineat præ cæteris omnibus, quæ in eadem ta- « bula exprimuntur... Huic sententiæ se conformavit « Congregatio Sacrorum Rituum, uti constat ex respon- « sione quam ipsa promulgavit, anno 1663. » (Litteræ Encyclicæ *Accepimus*, an. 1746.)

V. Sunt etiam regulæ quæ præfiniunt materiam, formam, colorem, benedictionem vestium sacerdotalium adhibendarum ad sanctum sacrificium.

Usus communis Ecclesiæ non admittit planetas, stolas et manipula confecta ex tela linea, aut ex gossypio; nec etiam probatus fuit usus qui paucis abhinc annis invalescebat, adhibendi ad sanctum sacrificium peragendum vestes ex vitrea textura; sed aut ex serica, aut ex lanea confici debent.

Non item probantur paramenta diversi coloris, quæ indifferenter inserviant pro colore albo, rubro, viridi, violaceo, quatenus habent intextos flores diversi coloris, adeo ut vix dignoscatur quis sit color dominans. Declaratum etiam fuit non admitti in sacris ritibus colorem flaveum, nec cæruleum in iisdem paramentis sacerdotalibus [1].

VI. Consuetum est, ab antiquis temporibus, sacras ædes exornari imaginibus quæ Christum Dominum, beatam Vir-

1. Quæ sit origo historica varietatis colorum quibus utitur Ecclesia in sacris vestibus explicant eruditi, simul et rationes mysticas diversorum colorum. (Cf. Card. Bona, *Rerum liturgicarum* lib. I, cap. XXIV, § 1, edit. studio Roberti Sala.) Cum hæc paulatim usus induxerit, non mirum quod fuerit aliqua diversitas in praxi Ecclesiarum, quarum aliæ adhibebant, v. g., colorem rubrum, aut viridem in certis solemnitatibus, pro quibus aliæ utebantur colore albo.

ginem, Sanctos, seu facta historica quæ ad religionem referantur, repræsentent.

Rarior quidem fuit usus imaginum in primæva ætate, ob eam probabiliter rationem quod illæ imagines aliquam forte offensionem afferre potuissent Ethnicis qui christianam religionem amplectebantur; eo tamen ipso tempore jam in oratoriis secretioribus pingebantur Sancti Veteris Testamenti, repræsentabatur Christus Dominus sub figura Pastoris, uti adhuc videre est Romæ in cœmeterio S. Callixti, et aliis, quæ dicuntur *Catacumbæ*.

Non est in præsenti locus vindicandi doctrinam et praxim constantem Ecclesiæ contra Iconoclastas veteres, seu recentiores, qui traditiones christianas in hoc impugnare præsumpserunt : sufficiat regulas canonicas de usu sacrarum imaginum memorare. 1° Nemini licet, in Ecclesia etiam quomodolibet exempta, « ullam insolitam imaginem « ponere, vel ponendam curare, nisi ab Episcopo appro- « bata fuerit ». (Conc. Trid., sess. xxv, Decret. *de Invocatione et Veneratione Sanctorum.*) Imagines quæ more consueto mysteria historiasve Sanctorum exhibent, poni possunt quin fuerint prius approbatæ ab Episcopo, non autem inconsulto Parocho, aliove loci titulari. 2° In choro non aliæ imagines teneri debent quam Sanctorum. 3° Imagines servorum Dei, qui cum sanctitatis seu martyrii fama decesserunt, non sunt apponendæ in Ecclesiis, nec in oratoriis publicis antequam decretum de cultu ipsis exhibendo prodierit. Id saltem cavendum, si in quodam loco extra chorum apponantur, ne in tabula picta repræsententur cum radiis, aliisve sanctitatis signis, nec eo modo qui cultum ipsis exhibitum significet. (N° 508, p. 355.)

VII. Demum, ut cætera minoris momenti omittamus, in Ecclesiis asservantur sacræ reliquiæ Crucis Domini, et Sanctorum.

Diximus supra antiquissimam esse consuetudinem ut martyrum reliquiæ in Ecclesiarum consecratione adhibe-

rentur (N° 559.) Addere debemus sacras reliquias fuisse fidelibus expositas non solum ut memoriam sanctorum colerent, sed insuper ut incitarentur ad virtutem, quod nobis expressit scriptor Actorum martyrii sancti Polycarpi. Dum urgebant Judæi ut corpus martyris combureretur, ne christiani ejus reliquias auferrent, « nos, ait pius auctor « narrationis, ossa illius gemmis pretiosissimis cariora et « quovis auro puriora colligentes, ubi decebat deposuimus, « quo etiam in loco, nobis, si fieri poterit, convenientibus « in exultatione et gaudio, præbebit Dominus natalem « martyrii ejusdem cum gaudio celebrare, tum in memo- « riam eorum qui glorioso certamine perfuncti sunt, tum « ad posteros hujusmodi exemplo erudiendos et confir- « mandos ». (Euseb. *Hist. eccl.*, lib. IV, cap. xv.)

Ut præcaveatur abusus in hac materia, atque servetur pia præteritorum sæculorum traditio, concilium Tridentinum jussit ut Episcopi sedulo invigilent; statuit « novas « reliquias non recipiendas, nisi recognoscente et appro- « bante Episcopo. Quod si aliquis dubius aut difficilis « abusus sit extirpandus, vel omnino aliqua de iis rebus « gravior quæstio incidat, Episcopus, antequam contro- « versiam dirimat, Metropolitani et comprovincialium « Episcoporum in concilio provinciali sententiam expectet; « ita tamen ut nihil, inconsulto Rom. Pontifice, novum « aut hactenus inusitatum in Ecclesia decernatur ». (Sess. xxv.)

Distinctio fit inter reliquias insignes et reliquias communes. S. Rituum Congregatio declaravit « reliquias insi- « gnes esse corpus, caput, brachium, crus, aut illam par- « tem corporis, in qua passus est martyr, modo sit integra « et non parva, et legitime ab Ordinario approbata ». (Decr. ab Urbano VIII approbat.) Juxta regulas ab eadem S. Congr. sancitas, celebrari licet officium divinum Sancti in Ecclesia in qua asservatur reliquia insignis, servatis rubricis Breviarii.

Huic tamen concessioni apponitur conditio, scilicet ut reliquia sit ex Sanctis approbatis et positis in martyrologio ; quamobrem regula locum non habet quando agitur de reliquiis etiam insignibus sanctorum incerti nominis, qui non referuntur in Martyrologio. Permittitur ut venerationi fidelium exponantur, si certo constet de illorum sanctitate, non vero ut fiat de illis officium. (Decr. die 3 jun. 1617 — 13 jan. 1631.)

*561. — Notaminibus de sacra supellectili Ecclesiarum finem dabimus, jura revocando de campanarum benedictione et usu.

Cum, pace Ecclesiæ reddita, christiani publicis signis convocarentur ad sacras ædes orationis causa, variis instrumentis usi sunt pro locorum more ; frequenter adhibebatur tabula lignea quam pulsabant ; alii malleo utebantur, alii tubæ sonitu, tandem habuere campanas. Quonam autem tempore campanæ turribus Ecclesiarum fuerint impositæ, vel etiam a quo fuerint inventæ, cujusve auctoritate in usum Ecclesiæ introductæ, incompertum hactenus fuit.

Campanæ benedicendæ sunt antequam suo loco reponantur, quæ quidem benedictio reservatur Episcopo, eadem lege qua cæteræ omnes benedictiones quæ sacro chrismate perficiuntur. Idcirco ritus benedictionis campanarum describitur in Pontificali Romano, non in Rituali.

Pulsantur campanæ, non solum ad clerum populumque convocandum ad orationem, sed etiam ad excitandum sensus pietatis, et ad majorem festorum solemnitatem. Consuetudo etiam fuit, et hactenus in pluribus locis servatur, ut campanæ pulsarentur quando tempestatum procellæ ingruebant, spe removendi periculum imminens fulguris et grandinum. Patres, ex quibus has traditiones suscepimus, non existimabant campanarum sono aerem scindi, et tempestatum injurias naturali effectu depelli, sed opportunissimum ducebant populum fidelem excitari ad oratio-

nem urgente tempestate, et confidebant in divina virtute, quæ precibus Ecclesiæ intra ritus benedictionis imploratur. Revera, repetitis deprecationibus Deum exorat Ecclesia ut « ubicumque sonuerit hoc tintinnabulum, procul rece- « dat virtus insidiantium, incursio turbinum, percussio « fulminum, cæsio tonitruum, calamitas tempestatum, « omnisque spiritus procellarum. »

Campanæ benedictæ non debent inservire usibus profanis. S. Congregatio Rituum dubiis olim propositis responsum dedit, die 16 julii an. 1594 : « Non videntur posse « benedici solemni ritu campanæ quæ solum deserviunt « profanis usibus; nam, ut, ex ipsa benedictione, quæ ha- « betur in Pontificali, colligi potest, campanæ benedicun- « tur *in usum tantum ecclesiasticum*, ut cætera vasa sacra, « et ideo inunguntur, variisque cæremoniis consecrantur « fere ad eum modum quo consecrantur altaria. » Nihil tamen obstare videtur quominus primi pastores sinant campanas pulsari in casu periculi imminentis, puta incendii aut inundationis, ut populus admonitus provocetur ad ferendum auxilium; vel etiam occasione adventus principis, in signum honoris; siquidem adest, in hujusmodi rerum adjunctis, ratio aliqua virtutis, quæ ad finem supernaturalem quodam modo refertur. Si præter memoratos casus, magistratus temporales expostulent facultatem utendi campanis in aliquos usus civiles, Parochi officium erit confugere ad Episcopum, ut quid sibi agendum, seu tolerandum sciat [1].

1. Anno 1840 auctoritas sæcularis in Galliis (*conseil d'État*) regulas nonnullas præfinivit quas opportunum arbitramur referre, non quidem probando quæ in hac materia ordinantur inconsultis Episcopis, sed ut Parochi ea noverint, et quoad fieri potest, præcaveant conflictus cum magistratu civili.

« Les membres du conseil d'État... Considérant que la destination « des cloches a toujours été regardée comme essentiellement reli- « gieuse, qu'elles ont été de tout temps consacrées par une béné- « diction solennelle qui marque leur affectation particulière au ser- « vice du culte, que, les conciles ayant défendu de les employer à

§ 4. — *De Jure præeminentiæ inter Ecclesias et de Basilicarum privilegiis.*

562. — I° *Quæ sit ratio ordinem præeminentiæ statuendi inter Ecclesias?*

Ecclesiæ distinguuntur ab invicem dignitate hierarchiæ; et in eodem gradu præeminentia inter illas componitur, ad juris communis normam, ratione habita antiquitatis et possessionis; quod necessarium fuit præfiniri, ut lites de præcedentia amoverentur, quando omnes, aut plures Ecclesiæ ejusdem civitatis aut etiam provinciæ, repræsentantur in suo respective clero, in actibus publicis, in sacris functionibus.

1° Humiliori loco sunt Ecclesiæ fraternitatum et archiconfraternitatum. 2° Deinde veniunt Ecclesiæ regularium, ordine quem alibi explicavimus. (N° 437, p. 208.) 3° Ecclesiæ parochiales, inter quas etiam attenditur ad dignitatem et ad antiquitatem tituli, non vero ad numerum incolarum, nec ad dignitatem personalem Parochorum. Ecclesiæ succursales antecedunt, et ex parochialibus titularibus, illæ locum

« des usages profanes, cette règle a été suivie partout, sauf les exceptions dont la nécessité a été reconnue, sont d'avis :

« 1° Que les cloches des églises sont spécialement affectées aux cérémonies de la religion catholique, d'où il suit qu'on ne peut en exiger l'emploi pour les célébrations concernant des personnes étrangères au culte catholique, ni pour l'enterrement de celles à qui les prières de l'Église auraient été refusées, en vertu des règles canoniques;

« 2° Que le curé ou desservant doit avoir seul la clef du clocher, comme il a celle de l'église, et que le maire n'a pas le droit d'avoir une seconde clef;

« 3° Que les usages existant dans les diverses localités relativement au son des cloches, s'ils ne présentent pas de graves inconvénients, et s'ils sont fondés sur de vrais besoins, doivent être respectés et maintenus;

« 4° Qu'à cet égard, le maire doit se concerter avec le curé; que les difficultés qui pourraient s'élever entre eux doivent être sou-

cedunt quæ fuerunt recentius in titulum erectæ. 4° Ecclesiæ collegiatæ, quarum aliæ sunt insignes, aliæ non sunt. 5° Ecclesia cathedralis quæ cæteris omnibus Ecclesiis diœcesis sua dignitate, tanquam illarum mater, præeminet. 6° Ecclesiæ metropolitanæ, primatiales et patriarchales. 7° Ultimo loco, eoque digniori, veniunt Basilicæ et ipsæ in duas classes distribuuntur, scilicet in majores et minores.

Ecclesiæ majores, seu insigniores magnitudine, antiquitate, structura, *Basilicæ* indiscriminatim dicebantur, mutuato nomine ab ædibus regalibus ; quod nomen paucæ retinuerunt ob suam celebritatem, vel acceperunt a SS. Pontificibus. Quatuor sunt Romæ Basilicæ majores in memoriam quatuor primarum Ecclesiarum patriarchalium : Lateranensis, quæ Sedem Romanam, in qua Pontifex instituitur, præsignat ; Vaticana, quæ Sedem Constantinopolitanam repræsentat ; sancti Pauli in via Ostiensi, quæ Alexandrinam ; Liberiana, seu Sanctæ Mariæ Majoris, quæ Antiochenam designat. Sunt plures, tum Romæ, tum in variis per orbem regionibus, Basilicæ minores, quas scilicet S. Pontifex hoc titulo honestari voluit.

« mises à l'évêque et au préfet, lesquels s'entendront pour les ré-« soudre ;

« 5° Que dans ces cas il paraîtrait juste que la commune con-« tribuât au payement du sonneur en proportion des sonneries af-« fectées à ses besoins communaux ; mais que le sonneur doit être « nommé et ne peut être révoqué que par le curé dans les communes « rurales, et par les marguilliers, sur la proposition du curé, dans « les communes urbaines ;

« 6° Que tout acte passé contrairement à ces dispositions ne sau-« rait être maintenu ;

« 7° Que dans les cas de péril commun qui exige un prompt se-« cours, ou dans les circonstances pour lesquelles les dispositions « des lois ou des règlements ordonnent les sonneries, le curé doit « obtempérer aux règlements du maire et qu'en cas de refus le « maire peut faire sonner les cloches de son autorité propre. » (*Le Droit civil ecclésiastique français ancien et moderne*, par M. de Champeaux, tom. II, 20 fév. 1840.)

563. — II° *Quæ sint privilegia Basilicarum minorum?*

« Quibus honoribus, quibusve prærogativis honestatæ « sint Basilicæ, sive majores, sive minores, incertum sane « est, ait annotator collectionis Gardellianæ, et quod sciam, « et quod legerim apud liturgicos, nullus fortasse inter « scriptores reperitur qui de hoc fuse saltem appositeque « pertractet. » (In decisionem, n° 4781, datam die 27 august. an. 1836, canonicis Ecclesiæ Lucerinæ.)

Quando SS. Pontifices volunt aliquam Ecclesiam titulo Basilicæ honestare, declarant ac decernunt eamdem Ecclesiam auctoritate apostolica erigi in Basilicam minorem *cum omnibus et singulis privilegiis, gratiis, præeminentiis, exemptionibus et indultis quibus aliæ Ecclesiæ minores utuntur, fruuntur et gaudent.* Cum igitur prærogativæ concedantur, et ea privilegia concedi dicantur quibus Basilicæ aliæ gaudent, videndum quæ communiter sint attributa Basilicis. Porro hæc sunt privilegia magis communia : 1° usus conopæi (*pavillon*) et tintinnabuli quod conopæum præcedit in propria Ecclesia, et in processionibus toti clero communibus ; 2° in vestibus choralibus, cappa magna pellibus armellinis ornata in parte anteriore per hyemem, et cotta super rochettum, cum cappa deponitur per æstivum tempus.

Ex illis privilegiis alia memorat, alia vero subindicat Pius VII Const. *In supremo*, an. 1805, in gratiam Ecclesiæ cathedralis Parisiensis. « Metropolitanam Parisien- « sem in Ecclesiam Basilicam minorem ad instar Basili- « carum minorum urbis nostræ... erigimus, eidemque « Ecclesiæ ac canonicis conopæum cum tintinnabulo, ad « instar earumdem Basilicarum urbis nostræ in proces- « sionibus præferre, necnon omnibus aliis prærogativis, « privilegiis, juribus, honoribus..., quibus aliæ Basilicæ, « eorumque canonici, de jure, usu, consuetudine... hac- « tenus gavisi sunt, pari modo uti... concedimus et « impertimur. » Declaratio data canonicis Ecclesiæ Lucerinæ, de qua modo, nostram assertionem confirmat; siqui-

dem hac declaratione S. Congregatio significat nomine privilegiorum, præeminentiarum, indultorum, cæterorumque similium, quæ continentur in litteris apostolicis in forma Brevis expeditis in favorem alicujus Ecclesiæ ad gradum Basilicæ minoris elevatæ, « venire conopæum, « omni tamen auri et argenti ornatu ab eo excluso, tin-« tinnabulum et usum cappæ magnæ »:

Duo notanda supersunt.

1° Ecclesia quam Sancta Sedes ad gradum Basilicæ erigit, non fruitur privilegiis huic titulo annexis, nisi fuerit consecrata.

2° Ecclesia decorata titulo basilicæ minoris, locum cedit cathedrali, quæ est Ecclesia propria Episcopi. (N° 415, p. 160.)

§ 5. — *De Immunitate Ecclesiarum.*

364. — 1° *Quæ sint immunitates Ecclesiarum?*

Immunitates Ecclesiarum duo complectuntur: 1° prohibitionem ne quidam actus exerceantur in loco sacro; 2° jus asyli, in favorem eorum qui ad Ecclesias confugiunt.

I. Jus canonicum prohibuit ne Ecclesiæ inserviant usibus profanis, quales sunt judicia civilia, nundinæ et negotiationes, convivia, ludi theatrales, et alia id genus. « Cessent in locis illis universitatum et societatum qua-« rumlibet concilia, conciones et publica parlamenta... « Cessent negotiationes et præcipue nundinarum ac fori « cujuscumque tumultus; omnis in eis sæcularium judi-« ciorum strepitus conquiescat; nulla inibi causa per lai-« cos, criminalis maxime, agitetur; sint loca eadem a lai-« corum cognitionibus aliena. » (Cap. *Decet*, 2, DE IMMUNITATE ECCLESIARUM, lib. III, in VI°.)

Judicia fori ecclesiastici haberi possunt in locis sacris, juxta praxim præteritorum temporum; sed jure canonico interdicitur ne quid hujusmodi præsumant judices sæculares, maxime in causis criminalibus.

Conventus civium ubi pertractantur negotia profana et politica, ab iisdem locis penitus excluduntur; quapropter Parochi impedire debent, v. g., electiones populares ibi fieri. Si urgere videatur aliqua in contrarium gravis necessitas, recurrendum erit ad Episcopum.

Nundinas, negotiationes publicas, mercatus, illicite haberi in Ecclesiis omnes fatentur; sed plerumque tolerandum autumant si mercatores vendant prope januas, sub atriis templi, absque verborum strepitu et contentione pretii, libros, coronas deprecatorias, numismata, pias imagines, candelas, aliaque pietati fidelium inservientia, quia id habet universalis fere locorum consuetudo, et aliunde cessat ratio prohibitionis, quæ est ne perturbentur divina officia. Concilium provinciæ Parisiensis (an. 1848) « prohibuit ne intra templum ipsum vendan-
« tur imagines, libri, coronæ deprecatoriæ, et alia hujus-
« modi ». (Tit. II, cap. IV.) De ludis theatricis nihil dicendum; alienum est a moribus nostris ut in Ecclesiis agantur.

Præter actus vetitos, ob reverentiam locis sacris debitam, vitari insuper debent servitutes reales. Pastores invigilare debent ne proprietarii domorum vicinarum habeant prospectum intra Ecclesiam, vel portam sibi propriam qua immediate e domo in Ecclesiam veniant, aut sibi vindicent medietatem murorum (*la mitoyenneté*), quod ipsa lex civilis et jurisprudentia tribunalium in Galliis prohibuerunt; Ecclesiis enim applicantur regulæ generales constitutæ in favorem omnium ædificiorum publicorum. (*Journal des fabriques*, tom. II, page 206.)

II. Jus asyli eo spectat ut debitores et rei criminum confugientes ad Ecclesias, vel ad loca sacra inde divelli nequeant, nisi servatis regulis jure præfixis. Jus asyli ortum est a sensu religionis quo incitantur infelices homines ut sese recipiant in Dei tutelam, adeundo loca sacra, ubi sperant habere perfugium. — Loca sacra dicuntur quæ ritu

sacro et speciali benedictione publico cultui perpetuo dicantur, vel fidelium cineribus condendis sacrantur. Cætera loca pia quæ auctoritate Ecclesiæ erecta aut fundata sunt, fruuntur etiam privilegiis immunitatis.

Cum apud ipsos infideles fana idolorum fuerint asylum apertum reis, principes ad fidem christianam conversi noluerunt minores prærogativas Ecclesiis attribui; quamobrem leges plurimæ ea de re insertæ sunt in jure Romano, a quo deinceps in capitularia regum Francorum et in codicem aliarum gentium transierunt.

Ecclesiæ donatæ non sunt jure asyli ut debitores exonerarentur ab obligatione sua debita solvendi, utve scelesti homines impuniti manerent, sed maxime ut pateret refugium injuste persecutis, atque ut ipsi nocentes tutarentur a violentia se prosequentium, donec judices causam, servato ordine legitimo, discuterent. Eodem jure persæpe usi sunt clerici ad implorandam indulgentiam judicum, et temperandam severitatem pœnarum. « Dans « l'enfance de la société, ait auctor operis *Pouvoir du* « *Pape au moyen âge*, et généralement chez tous les peu- « ples peu avancés dans la civilisation, rien n'est plus « avantageux que le droit d'asile pour suppléer au défaut « des lois et du gouvernement, pour arrêter la violence « des particuliers qui s'imaginent avoir le droit de se « faire justice par eux-mêmes, enfin, pour prévenir et « modérer les premiers mouvements d'une vengeance sou- « vent injuste et toujours dangereuse. » (*Introduction*, « nº 97.)

Hæc sapientissime prospexit Ecclesia : illam tamen simul urgebat ratio præstantioris ordinis, reverentia nempe Deo debita ad quem reus confugerat. Eam ob causam opportunum duxit reum confugientem recipere; vetare ne, quamdiu in loco asyli commoraretur, vinculis ligaretur, ne invitus exinde traheretur; tandem Ecclesia postulavit ut, si judicandus foret, magistratus ei remitte-

ret pœnam corporalem. Innocentius III statuerat : « Si « liber quantumcumque gravia maleficia perpetraverit, « non est violenter extrahendus ab Ecclesia ; nec inde « damnari debet ad mortem, vel ad pœnam, sed rectores « Ecclesiarum ipsi obtinere debent membra et vitam. » (Cap. *Inter alia*, 6, tit. XLIX, lib. III Decret.)

Casus tamen plures excepti sunt a beneficio immunitatis, ne privilegio abuterentur malefactores. SS. Pontifices multas successive restrictiones apposuerunt decursu temporum. Repulerunt ab immunitate homicidas, simulque omnes homicidio cooperantes, latrones publicos, viarum grassatores, reos læsæ majestatis in proprium principem, impedientes ne aliquis se recipiat in locum immunem, falsificantes litteras apostolicas, adulterantes monetas publicas aureas et argenteas, et scienter utentes monetis adulteratis, etc... In his casibus curia ecclesiastica debuit tradere reos curiæ sæculari ; at ex Const. Benedicti XIII *Ex quo divina*, an. 1720, « omnimoda cognitio « atque judicium de criminibus exceptis (an scilicet cri« men reo imputatum, sit e numero eorum quæ jus cano« nicum ab immunitatis beneficio exceperat), ad Episcopos « tantum, privative quoad omnes alios, spectare debet »[1].

A temporibus quibus recentiores constitutiones pontificiæ super jure asyli prodierunt, intra strictiores limites moderatum est[2] ; hodierno jure subjacent excommunicationi majori, reservatæ S. Pontifici, immunitatem asyli ecclesiastici *ausu temerario* violare jubentes, aut violan-

1. Cf. Giraldi, *Expositio juris pontificii*, part. I, sect. DCXXXV. — Schmalzgrueber, in tit. XLIX, lib. III Decretalium. — In Galliis ad nihilum fere redactum est jus asyli edicto Francisci I, an. 1539 : *Il n'y aura lieu d'immunité pour dettes, ni autres matières civiles, et se pourront toutes personnes prendre en franchise (sauf à les réintégrer) quand il y aura prise de corps décernée à l'encontre d'eux.*

2. Const. Gregorii XIV, *Cum alias*, an. 1591 ; — Benedicti XIII, *Ex quo divina ;* Benedicti XIV, *Officio nostri*, 1750. Has constitutiones refert ex integro Ferraris, v° *Immunitas Ecclesiastica*, art. II.

tes; non vero qui lege civili coacti, seu judices, seu milites, aliive jus asyli violant. Viget quapropter principium generale immunitatis localis, licet in sua applicatione restrictum. (Nos 735, 795.)

565. — II° *Quonam iure inducta sit Ecclesiarum immunitas?*

Omnia jura suo modo concurrerunt ad constabiliendam disciplinam immunitatis Ecclesiarum. Jus *naturale* et *divinum* quod reverentiam locis Deo sacris exhiberi præcipit; jus *ecclesiasticum*, quod determinavit in specie ea quæ evitari oportet ut servetur reverentia Deo debita; jus *civile* principum qui sua auctoritate disciplinam canonicam sancire studuerunt. « Dicendum, ait Schmalzgrueber, immunitatem hanc constitutam ordinatione Dei, imo jure naturali originaliter, quatenus naturale et divinum jus dictat « Ecclesias... tanquam res Deo specialiter consecratas a « sæculari potestate eximendas; humano autem perfective, « quatenus hoc privilegium immediate a Papa et imperatoribus constitutum est. » (N° 58.) Idem tamen canonista alibi addit : « Hæc materia (asyli) est ecclesiastica, in qua « jus civile jurisdictionem non habet, nisi ad fovendam « dispositionem juris canonici. » (N° 105.)

Est igitur immunitas jure divino fundata, quatenus scilicet prohibentur omnes actus sanctitatem loci dedecentes. Auctoritas spiritualis jus certum habet erigendi sacras ædes ad divinum cultum peragendum; et illarum sanctitatem tuendi cum erectæ ac dicatæ fuerint, declarando quid religio requirat, vetando ne quid in Ecclesia tractetur quo violaretur reverentia rebus sacris exhibenda, ne scilicet profanis negotiis inserviant.

Quod vero ad disciplinam asyli attinet, utriusque ordinis spiritualis et temporalis interest simul, et videtur reponenda inter res mixtas. Potestati quidem spirituali cura et jus incumbit tuendi sanctitatem templi, ne profanetur; negari non potest quin etiam magistratui sæculari incum-

bat cura et officium providendi ne malefactores abutantur beneficio asyli, in detrimentum aliorum et perniciem ipsius societatis. Quid si tempore perturbationum politicarum, conjuratores in templo convenirent ad moliendum insidias et bella contra rem publicam?... Cum itaque ad utramque auctoritatem, sub diverso respectu, hæc materia spectet, mutuo consensu componitur. Inito concordato, princeps sæcularis non debet a conditionibus stipulatis, pro arbitrio, recedere; lege enim naturali, et jure gentium, pacta observari jubetur.

Non assentimur canonistis qui disciplinam asyli referunt inter negotia quæ ab arbitrio principum solummodo pendent; sunt quippe, ex modo dictis, immunitates locales juris etiam Pontificii, nec proinde illis aliter derogari debuit quam inito consilio cum Apostolica Sede. Animadvertendum tamen quod licet principes non potuerint propria sponte revocare privilegia Ecclesiarum, illorum edicta occasionem dederunt novæ ordinationi rerum, quæ labentibus annis, et tacite assentiente Sancta Apostolica Sede, consuetudinem invexit. « Hoc habent, ait Schmalzgrueber, « omnes leges quæ non jure naturali, aut divino positivo, « sed humano solum Ecclesiæ vel civili sunt inductæ, ut « tolli per consuetudinem legitime præscriptam possint : « quare igitur non etiam lex concedens hanc immunita- « tem? » (Loco citato, n° 100.)

ARTICULUS II. — DE CŒMETERIIS.

566. — Cœmeteria (græce κοιμητήριον, a verbo κοιμάω, dormio) sunt loca destinata sepulturis; apud christianos autem sunt sacris ritibus sanctificata.

Jure veteri Romanorum, et principum etiam christianorum edictis, olim cautum erat ne sepulchrum mortuis concederetur intra civitates, quod impedimentum fuit per aliquod tempus ne christiani sepelirentur in templis urba-

nis. Plures tamen, lege non obstante, suam sepulturam in Ecclesiis, nedum extra urbes sed in ipsis urbibus, elegerunt, sperantes nimirum sibi propitium fore Sanctorum patrocinium, si prope illorum tumulos componerentur, suaque ossa ossibus venerandis Martyrum quadamtenus copularentur; quæ praxis paulatim in moribus fidelium prævaluit. « Ideo, aiebat sanctus Maximus Taurinensis, a « majoribus provisum est ut Sanctorum ossibus nostra « corpora sociemus, ut dum illos Christus illuminat, a « nobis tenebrarum caligo defugiat. Cum sanctis Marty- « ribus quiescentes, evadimus inferni tenebras eorum pro- « priis meritis, attamen consocii sanctitate. » (Sermo 55.) Sanctus ipse Ambrosius sibi sepulchrum in basilica Mediolanensi sub altari destinaverat, ubi deinde sanctorum Gervasii et Protasii corpora locavit. « Hunc ego, inquit, locum « mihi prædestinaveram, dignum est enim ut ibi requies- « cat sacerdos ubi offerre consuevit. Sed cedo sacris vic- « timis dexteram portionem. » Plura sunt ejusdem traditionis monumenta quam memorare voluimus, ut videatur praxim subsequentium sæculorum, et morem quem hactenus nostris Antistitibus gerimus, eorum corpora in cryptis Ecclesiæ componendo, sua initia in primæva ætate habuisse. Devenimus ad quæstiones canonicas de cœmeterio et de sepulturis.

567. I° *Utrum cœmeteria benedici debeant, quibus actibus polluantur, et quid jure præscribatur si polluta sint?*

I. Cœmeterium, ut corporibus fidelium humandis deserviat, prius in locum religiosum ab Episcopo, aut presbytero quem Episcopus deputaverit, ritu solemni sanctificandum est. Ita præscribunt omnia ritualia, maxime Rituale Romanum, ad normam juris veteris quod constanti traditione observatum est, ex quo ipsæ Ecclesiæ benedici et consecrari cœperunt. Cœmeterium habetur veluti appendix Ecclesiarum, et quod fieri prohibetur in Ecclesia ob sanctitatem loci, vetitum eodem jure supponunt in cœmeteriis

(cap. *Decet*, 2, DE IMMUNITATE ECCL., in VI°); iisdem privilegiis, immunitate et jure asyli, fruuntur.

Vi hujus benedictionis cœmeteria fiunt loca sacra : fideles quorum corpora ibi tumulantur participes sunt precum et suffragiorum Ecclesiæ catholicæ : idcirco cavetur communiter ut in eadem civitate sint duo aut plura cœmeteria quorum alterum deserviat sepulturæ infidelium, vel saltem pars aliqua cœmeterii muro, fossa, aut sepe, separetur, quæ nulla benedictione consecratur[1].

II. Cœmeteria iisdem actibus polluuntur quibus pollui diximus Ecclesiam (n° 557, p. 440); quinimo ex pollutione Ecclesiæ sequi pollutionem cœmeterii si ei contiguum sit, statuitur in cap. *Si Ecclesiam*, DE CONSECRATIONE, in VI°; ubi additur : « Non sic quoque in casu converso sentimus, « ut videlicet polluto cœmeterio, quamvis Ecclesiæ conti« guo, debeat Ecclesia reputari polluta ; ne minus dignum, « majus ; aut accessorium, principale ad se trahere videa« tur. » Polluitur igitur cœmeterium : 1° homicidio, et effusione graviter injuriosa sanguinis humani ; 2° peccato exterius consummato contra castitatem et quod publicum devenerit, seu notorium ; 3° inhumatione infidelis, vel excommunicati devitandi.

III. Si contigerit pollui cœmeterium, « antequam recon« ciliatum fuerit, non debet aliquis in eo sepeliri ». (Cap. *Si Ecclesiam* mox citatum.) Reconciliatio fit ab Episcopo, vel presbytero cui id munus delegatione episcopali demandatum est, servato ritu præfinito. Innocentius III præscripsit ut si corpora excommunicatorum per violentiam aliquorum, vel alio casu, in cœmeterio ecclesiastico tumu-

1. Parisiis cœmeteria urbi adjacentia, quæ ad sepulturam quorumcumque civium destinata sunt, carent benedictione. Attamen, cum omnis christianus in communione fidelium defunctus, debeat in cœmeterio benedicto sepeliri, sacerdos qui alicujus defuncti corpus ad sepulturam comitatur, ut exsequias ei rite solvat, fossam illi destinatam benedicere non omittit, antequam humo mandetur cadaver. (Rituale Paris., *de Exsequiis*).

lentur, exhumentur, si ab aliorum corporibus discerni possint, et procul ab ecclesiastica sepultura reponantur. « Quod si, inquit, discerni non poterunt, expedire non « credimus ut cum excommunicatorum ossibus corpora « extumulentur fidelium. » (Cap. *Sacris*, 12, DE SEPULTURIS.) Cum tamen facile non possit alio transferri cœmeterium, fit reconciliatio loci, et, ritu hujus reconciliationis semel peracto, nihil obstat quominus inserviat sepulturis fidelium.

Si polluto cœmeterio, urgeat necessitas inhumandi corpora defunctorum antequam reconciliari potuerit, nullusque sit alius locus quo sepeliantur, componuntur in hoc cœmeterio; sed clerus illud non ingreditur et idcirco abstinet ab explendo ritus consuetos inhumationis christianæ.

Nota. — In Gallia legibus vetitum est sub gravioribus pœnis ne cadavera e tumulis extrahantur, non obtenta prius licentia ab officiali civili[1].

568. — II° *Ubinam fideles sepeliendi sint?*

Fideles sepeliuntur, vel in cœmeterio parochiali, vel in sepulchro majorum seu *Gentilitio*, vel in loco quem ipsi elegerint; unde triplex est locus sepulturæ.

I. Quod fideles jus habeant sibi eligendi locum sepulturæ, et quibus servatis conditionibus, jura declarant.

Leo Papa III, in cap. *Nos instituta*, 1, DE SEPULTURIS, statuit : « Nulli negamus propriam eligere sepulturam, et « etiam alienam... sed quia dignus est operarius mercede « sua, tertiam partem judicii sui illi Ecclesiæ dare cense« mus, in qua cœlesti pabulo refici consuevit... aliter ne « fiat, auctoritate Domini, sub anathematis vinculo detes« tamur et contradicimus. » Idem statutum confirmavit Bonifacius VIII, remotis quibusdam restrictionibus quas

1. Cf. *Journal des fabriques*, tom. III, pag. 337 et 338. Auctoritas civilis obsecundata est haud semel petitioni pastorum, ut e cœmeterio catholicorum extraheretur cadaver hæretici notorii, quod ibidem præter fas conditum fuerat.

Decretalis *Fraternitatem* (cap. III, DE SEPULTURIS) opposuisse videbatur; hæc enim adjecit : « Si quis... novam in loco « minus religioso elegerit sepulturam, electionem hujus « modi, licet jura super hoc videantur esse diversa, nequa- « quam volumus impugnari. » (Cap. *Cum quis*, 2, DE SEPULTURIS, in VI°.) Potest igitur fidelis terram suidominii privati pro loco sepulturæ sibi destinare, modo tamen locus benedicatur.

Caput juris *Nos instituta* indixit tribuendam esse parochiæ tertiam partem funeralium, quando defunctus alio sepelitur : hæc est pars quam *portionem canonicam* dicunt, et quæ deinceps *quarta funeralium* dicta fuit, quando eam ad quartam partem consuetudo reduxit. (Concilium Tridentinum, sess. XXV, cap. XIII.) Rem sic canonistæ interpretabantur, ut tribui deberet parochiæ quarta pars omnium fructuum qui ex funeralibus, die funeris, imo intra triginta dies, obveniebant Ecclesiæ in qua defunctus suam sepulturam elegerat. Hæc ipsa quarta pars imminuta etiam fuit consuetudinibus locorum [1]; nec hodie alia regula statuenda videtur quam ea quæ locorum statutis aut praxi præfixa sit.

II. Hæc igitur notanda in praxi :

1° Jure communi defunctus sepeliendus est, non in loco ubi decessit, sed in sua parochia, ubi scilicet habebat domicilium, vel in ea ubi existit majorum suorum sepulchrum, nisi elegerit alibi locum suæ sepulturæ. « Is qui habens « domicilium in civitate, quandoque ad villam ruralem se « transfert recreationis causa, vel ut ruralia exerceat in « eadem, si non electa sepultura decedat ibidem, non in « Ecclesia dictæ villæ, sed in sua parochiali... sepeliri de- « bebit, dummodo absque periculo ad ipsam deportari va- « leat. » (Cap. *Is qui*, 3, DE SEPULTURIS, in VI°.) — De periculo,

1. « La *quarte funéraire*, ait Durand de Maillane, semble réduite « en France aux cierges et flambeaux des convois. » *Dictionnaire*, v° *quarte funéraire*.

et de incommodis quæ obstare possunt quominus corpus ad locum domicilii deferatur judicare, ad familiam defuncti potissimum pertinet.

2° Si corpus defuncti e loco decessus in domicilium parochiale, vel alibi ritu sacro asportandum sit, jus illud associandi pertinet ad parochum villæ, seu urbis ubi decessit. — Mos est receptus in multis provinciis, ut defunctus e domo in qua obiit non efferatur in locum quem suæ sepulturæ elegerit, nisi prius ad Ecclesiam parochialem decessus delatus sit. Nihil vero determinatur de honorario, seu stipendio persolvendo pro corporis præsentatione. Consuetudini locorum, aut statutis diœcesis standum est.

3° Ritus ecclesiastici exsequiarum communiter fiunt in Ecclesia parochiali, et proinde a clero parochiæ loci ubi sepelitur defunctus. Parochus qui perfecerit funus, honorarium taxatum recipit, et fabrica ejusdem parochiæ jus habet ad stipendia ordinationibus diœcesis assignata, servatis consuetudinibus locorum circa *quartam funeralium*, in favorem parochiæ domicilii, si adhuc vigeant.

4° Parochus qui in sua Ecclesia perfecit funus, jus habet associandi cadaver ad locum sepulturæ, in quacumque parte urbis constitutum sit cœmeterium. Per institutionem cœmeteriorum publicorum nihil fuit innovatum in jure funerum : tenent locum cœmeteriorum parochialium ; quamobrem Parochi possunt illuc deferre cadavera suorum parochianorum et ibi sui officii et jurisdictionis actus exercere, tanquam in loco propriæ jurisdictionis. Quin etiam, si corpus defuncti transferri debeat ad constitutam sepulturam in alia civitate, et familia postulet illuc deferri ritu religioso per aliquem e clero, lege communi, et ex decisionibus haud semel datis a S. Congreg. Concilii, jus associandi ad usque locum sepulturæ, ad proprium Parochum pertineret.

5° Quando corpus transfertur processionaliter per fines parochiæ intermediæ, ut perducatur in locum sepulturæ,

clerus hujusce parochiæ, si, rogatus a familia, debeat quasdam cæremonias funerales agere, vel funus comitari, recipiet stipendia ex condicto, vel juxta diœcesis usum determinata. Verum, ex jure communi, et nisi statuta seu diuturnæ consuetudines locorum aliter præscripserint, Parochus non potest exigere ut sibi deferatur officium funera conducendi, per fines suæ parochiæ. Ita declaratum olim fuit a S. Congreg. Rituum, die 14 februarii, an. 1626, item die 15 sept. 1685, et communiter observatur[1]. Re quidem vera quando in eadem civitate sunt plures parochiæ et unum cœmeterium omnibus commune, notum est singulos Parochos suorum respective parochianorum defunctorum corpora comitari, ritu religioso, cum stola et cruce, per vias publicas ad cœmeterium, quin cæteri Parochi, per quorum fines funus ducitur, jus aliquod prætendant.

569. — III° *Quibus deneganda sit sepultura ecclesiastica?*

Regula generalis est denegandam fore sepulturam ecclesiasticam excommunicatis denuntiatis, et peccatoribus publicis qui nullum dederunt signum emendationis ante mortem. « Sacris canonibus est institutum ut quibus « non communicavimus vivis, non communicemus mortuis; « et ut careant sepultura ecclesiastica qui prius erant ab « unitate Ecclesiæ præcisi, nec in articulo mortis fuerint « reconciliati. » (Cap. *Sacris*, 12, DE SEPULTURIS.) Hæc de excommunicatis denuntiatis statuuntur : quoad peccatores publicos, idem usu servatur, juxta regulas juris communis et statuta diœcesana; non enim æquum censetur ut iis post obitum applicentur, ritu publico, suffragia Ecclesiæ, qui, dum viverent, privati sunt sacramentis.

Excluduntur proinde a sepultura christiana : 1° Pagani, Judæi, apostatæ a fide christiana, hæretici et schismatici notorii; 2° qui sibi manus violentas intulerunt ob despera-

1. *Acta Sanctæ Sedis*, vol. III, pag. 41-46. Vol. V, pag. 221-224. Vol. VII, pag. 380-386, ubi refertur declaratio S. C. data die 3 jun. 1873 quæ nostram assertionem confirmat.

ædificiorum. Articulus XIII statuit : « Eos qui bona Eccle-« siæ alienata acquisierunt, molestiam nullam habituros a « Romanis Pontificibus ac consequenter proprietas eorum-« dem bonorum, redditus et jura iis inhærentia penès ipsos « erunt, atque ab ipsis causas habentes. » Notare oportet 1° agi in hoc articulo de bonis alienatis ; 2° alienationem sanciri in gratiam acquirentium et ab ipsis causam habentium ; 3° rem ita componi « pro bono pacis, felicique reli-« gionis restitutione ». Porro, ædificia de quibus agimus, non erant alienata, sed tantummodo occupata, id est detenta absque ullo titulo proprietatis a gubernio, quæ duo sunt valde diversa. Bonum pacis postulabat quidem ut consolidaretur legitimaque haberetur possessio quam tot cives inierant diversis titulis, emptione, commutatione, hæreditaria successione, bonorum ecclesiasticorum a gubernio alienatorum ; quid vero obstabat quin ipsum gubernium restitueret bona non alienata?

In contrarium objiciunt agendi rationem Pii VII et ipsius gubernii civilis. Pius VII, inquiunt, epistolis ad Episcopum Pictaviensem directis, qui super hoc Sanctam Sedem consuluerat, declaravit, an. 1821, emptores qui acquisierant bona ecclesiastica, occupata quidem a gubernio ante Concordatum, postea vero alienata, posse ea retinere tanquam sua. Insuper gubernium retinuit plures Ecclesias, aliasque ædes sacras, quas tunc temporis occupabat quin Sancta Sedes reclamaverit : inde concludendum putant hæc sub illius jure remansisse. Quoad ipsas Ecclesias quas necessarias reputavit cultui divino, dicunt gubernium illas remisisse Episcopis ut iis uterentur ; non vero dedit eo modo quo censerentur esse sub dominio diœcesis, seu parochiæ.

Ad solutionem difficultatis, animadvertere est : 1° Pium VII non declarasse bona alienata a gubernio a tempore Concordati pertinere ad acquisitores vi concordati ; potuit attentis circumstantiis temporum, novas concessiones superaddere concessionibus antea factis ; nihil vero dixit quod

ad Ecclesias non alienatas referatur; 2° nihil, aut parum referre ad quæstionem quod gubernium non omnia restituerit quæ tunc temporis occupabat, siquidem potissimum agimus de sacris ædibus cultui divino restitutis. Silentium SS. Pontificum adscribi debet prudentiæ, non assensui; aut si Sancta Sedes tacitum assensum præstiterit ut potestas sæcularis retineret ædificia ab administrationibus publicis occupata, quæ non sine difficultate restituta fuissent, mens illius certe non fuit ut sacræ ædes, cultui publico addictæ, remanerent in dominio gubernii [1].

His præmissis, dicimus Ecclesias cathedrales et parochiales, palatia episcopalia et domos presbyterales restituta, pertinere ad diœceses et ad parochias; res enim adhuc manent, sub eo respectu, in statu quo fuerunt tempore Concordati. Invocari non potest præscriptio diuturna contra Ecclesiam, quæ reclamare utiliter non potuit.

Gubernium et municipia concurrunt quidem, sumptibus æris publici, ad reparationes ædificiorum, sed nihil inde contra nostram sententiam, nam: 1° gubernium, seu municipium, non concurrit nisi quatenus Ecclesiæ destituuntur redditibus ad id necessariis; 2° æquum omnino est ut gubernium et municipia opem conferant in conservationem templorum quibus utuntur plerique cives, nimi-

1. « On ne peut pas, *ait* D. Affre, opposer des lois et des décrets « dans lesquels il n'est question que de remise, et non de restitu- « tion, à une époque où les établissements ecclésiastiques, n'étant « pas constitués, ne pouvaient par là même former, aux yeux de la « loi civile, une personne morale capable de propriété. Pendant « cette période de temps, les édifices et les biens rendus sont affec- « tés à perpétuité à un service religieux; la nature de ce service est « déterminée; l'État se dessaisit de ces immeubles; il renonce à tout « jamais à les reprendre, et à les détourner de leur sainte destina- « tion. Ils font, dans cette même pensée, partie du domaine public, « mais ils ne font plus partie du domaine de l'État. Aussitôt que les « lois ont constitué les établissements ecclésiastiques, le langage « change : les biens et les édifices ne sont pas seulement remis, ils « sont *restitués.* » (*De la propriété*, etc., pag. 103-259.)

rum catholici; 3° hac contributione aliqualis indemnitas præstatur Ecclesiæ, quæ injuste olim spoliata a gubernio suis bonis temporalibus, non habet unde providere sufficienter valeat instaurationi suarum ædium, cæterisque necessitatibus cultus publici.

II. Quæ de dominio Ecclesiarum diximus, jure applicari possunt cœmeteriis earumdem Ecclesiarum contiguis quæ ante Concordatum erecta erant, et cœmeteriis quæ a tempore Concordati acquisita fuissent oblationibus fidelium, vel fabricarum parochialium impensis. Sed hæc cœmeteria pauca admodum sunt; difficulter obtinetur a gubernio approbatio donationis qua disponeretur de loco ea conditione ut formetur cœmeterium, sub jure et dominio parochiæ. Eo conspirant opinio generalis, agendi ratio magistratuum, et placita regiminis publici, ut cœmeteria pertineant ad municipia; ut scilicet in illis condantur omnium defunctorum corpora ad quamcumque religionem pertinuerint illi qui decesserunt. Est consectarium practicum indifferentismi in causa religionis. Sicut Ecclesia jus habet possidendi templa quæ cultui catholico sint exclusive destinata, ita etiam possidere deberet cœmeteria inhumationi catholicorum reservata : id esset maxime consentaneum, tum dignitati et auctoritati Ecclesiæ, tum libertati cultuum, sive dominium reale loci pertineat ad Ecclesiam, sive ad municipium, de quo mox dicemus [1].

572. — II° *Quæ sint consectaria practica juris dominii in sacras ædes et cœmeteria?*

I. Dominium plenum includit jus administrandi, utendi exclusive, et disponendi; quapropter hæc tria inhærent, et quidem jure proprio, parochiæ quæ habet dominium suæ Ecclesiæ. Habet utique Parochus administrationem Ecclesiæ, cum jure exclusivo illa utendi, sive quoad cæremonias sacras, sive quoad proventus temporales. Impe-

1. Cf. *Journal des fabriques*, tom. II, pag. 177.

dire potest et debet ne inserviat usibus profanis, vel cæremoniis religiosis alterius cultus ac catholici : percipit cunctos redditus ex locatione sedilium, vel alio titulo, ex eleemosynis et oblationibus provenientes, servatis tamen regulis in sectione subsequenti præfiniendis. Habet præterea jus de eadem Ecclesia disponendi, observando leges canonicas de alienatione bonorum ecclesiasticorum. Si sacrum ædificium casu destruatur, parochia dominium retinet loci in quo situm erat, et lapidum, cæmentorum, lignorum..., uno verbo, materiæ.

Quando parochia non habet dominium Ecclesiæ, habet nihilominus, ex contractu implicite inito Episcopum inter et gubernium civile seu municipium, administrationem et usumfructum plenum. Gubernium civile, seu communitas civilis comitiis municipalibus suoque magistratu repræsentata, eo ipso quod Ecclesiam suis sumptibus ædificatam et ornatam tradidit Episcopo, ut divino cultui inserviat, abdicavit dominium utile, administrationem scilicet et usum ædificii, retento solummodo dominio nudo; non potest proinde eo uti, sive pro cultu alieno sectæ cujusvis, sive pro celebrandis comitiis sæcularibus, quia hæc dedecent sanctitatem loci sacris ritibus Deo dicati, et Episcopus ea conditione suscepit ædificium sacro cultui dicandum. Est igitur contractus, vi cujus Episcopus spondet templum adhibendum fore, ad præscriptum sanctionum canonicarum, ut inserviat catholicis; et vicissim magistratus, vices gerens civitatis, promittit se nihil acturum, nec postulaturum, quod sit contrarium destinationi ædis sacræ.

II. Quod ad cœmeterium attinet, ratio habenda est usus spiritualis et proventuum temporalium.

1° Parochia habet usum spiritualem exclusivum cœmeterii ad sepeliendum corpora fidelium, qui in communione Ecclesiæ catholicæ defuncti sunt, si locus sit sub illius dominio. Si proprietas loci jure pertineat ad communitatem civilem, deberet reservari Ecclesiæ catholicæ pars

cœmeterii pro sepultura suorum fidelium ; incumbit enim municipiis quæ ex bonis totius communitatis cœmeteria acquirunt, obligatio providendi necessitatibus spiritualibus incolarum ejusdem communitatis, qui sustinent sicut cœteri onera publica et profitentur religionem catholicam. Si Ecclesiæ denegetur illa pars cœmeterii, locum saltem benedicit quo tumulatur corpus defuncti, ut juxta traditiones christianas, quoad fieri potest, condatur in terra sancta.

2° Proventus temporales cœmeterii, qui scilicet oriuntur ex plantis et arboribus quæ, aut sponte nascuntur, aut labore hominum conseruntur, et ex concessione tumuli in perpetuum aut in præfinitum tempus, lege naturali adscribuntur domino fundi. Citantur in contrarium litteræ quas, anno 1834, cultuum administrator civilis direxit ad præfectum districtus Garumnæ : verum hæc prævalere nequeunt contra regulam generalem jure naturali innixam ; rationi enim maxime consonat ut *res fructificet domino.* « Celui qui a la propriété d'un terrain, *ait recens scriptor*, « peut seul y faire des concessions, car c'est un démem-« brement et un produit de la propriété : supposer la « fabrique propriétaire, et accorder à la commune la faculté « de disposer, c'est admettre les idées les plus inconcilia-« bles[1]. »

Nota.—1° Lex civilis Galliarum tribuit fabricæ parochiali herbas, fructus, et ramos arborum quæ sponte nascuntur in cœmeterio, absque cultura hominis : alii omnes proventus adscribuntur municipiis, quoties, prout communiter constituitur, dominium cœmeterii pertinet ad communitatem civilem[2].

2° Quando alter eligitur locus sepulturis, priore dere-

1. Gaudry, *Traité de la législation des cultes*, tom. II, n° 745. — Cf. *Journal des fabriques*, tom. II, pag. 182 ; tom. VII, pag. 269 ; tom. VIII, pag. 372 ; tom. X, p. 361.

2. Art. 36 legis an. 1809. Cf. *Code des fabriques* (auct. de Champeaux). t. I, p. 184, *du Produit spontané des Cimetières.*

licto, cœmeterium remanet sub jure proprietarii, communitatis nempe civilis, aut parochiæ, ex dictis supra. Proprietarius loci potest terram excolere, arbores plantare, transactis quinque annis; sed vetitum est ne terra in altum fodiatur, aut ibi exstruatur ædificium, donec facultas id exsequendi concessa sit ab auctoritate superiori.

In illa cœmeteriorum mutatione, meminisse debent christiani loca humandis corporibus fuisse sacerdotali benedictione consecrata, et ipsos corporum cineres venerandos esse, quos utique, si fideles in pace Christi defuncti sunt, ut pie præsumimus, Sanctus Spiritus suscitabit in die resurrectionis generalis, ad gloriam sempiternam. Valde quidem optandum ut hæc loca sacris ritibus benedicta non convertantur deinceps in usus humanos, quod olim apud ipsos ethnicos uti sacrilegium habebatur; unde in codice Theodosiano, lege de *Sepulchris violatis*, dictum est : « Pergit audacia ad busta defunctorum et aggeres « consecratos : cum et lapidem hinc movere, et terram « sollicitare et cespitem vellere, proximum sacrilegio « majores semper habuerunt. » Verum, si urgeat necessitas locum deserendi et, tempore præfixo, velint illum excolere, id saltem fieri nequaquam debet antequam collecta sint, et cum honore ac cultu christiano alibi translata, ossa defunctorum, quæ pietate et quodam cultu honestare a sanctis Patrum traditionibus edocti sumus.

SECTIO IVª

DE BONIS TEMPORALIBUS ECCLESIÆ

Bona temporalia Ecclesiæ sunt res corporales et jura quæ acquisivit, ut inserviant cultui publico, clericorum educationi atque sustentationi, et pauperum sublevamini. Bona spiritualia, sacramenta nempe, officia divina, festorum celebratio, vitam internam Ecclesiæ fovent et sacrum ministerium fecundant ad procurandum salutem animarum; bonis temporalibus sustentatur vita illius externa. Dicemus: 1° de dominio bonorum temporalium ecclesiasticorum in genere; 2° de præcipuis speciebus bonorum; 3° de eorumdem bonorum regimine et alienatione.

ARTICULUS I. — DE ADEPTIONE ET DOMINIO BONORUM TEMPORALIUM ECCLESIÆ[1].

*573. — I° *Utrum et quo titulo Ecclesia sit capax dominii bonorum temporalium?*

Nonnulli veteres hæretici contenderunt Christum prohibuisse ne Ecclesia possideret bona temporalia. Illorum opiniones propagavit Wiclefus sæculo xv°, qui in eum delirantis animi excessum devenit ut asseruerit *Papam cum omnibus clericis suis possessionem habentibus esse hæreticos*,

1. Cf. Mammachi, *del Diritto libero della Chiesa di acquistare e di possedere boni temporali, si mobili, che stabili.* 5. vol. in-8, an. 1770. — Affre, *Traité de la propriété des biens ecclésiastiques.* — D. Carrière, *Prælect. maj., de justitia et jure*, part. I, sect. I, cap. IV.

eo quod possessionem habent, et consentientes ei, omnes videlicet dominos sæculares et cæteros laicos. Non defuerunt, nec etiam hodiedum desunt viri politici, qui alia ratione oppugnant jura Ecclesiæ, affirmando nullum jus dominii in bona temporalia ipsi competere posse, nisi ex concessione principis sæcularis, cujus arbitrio facultas concessa acquirendi et possidendi determinari potest, quoad formam possessionis, quantitatem reddituum pro diversis associationibus, modum sua bona administrandi, ac demum revocari potest. Nonnulli inferunt bona ecclesiastica esse sub dominio reipublicæ, tum quia princeps ea conditione concessit Ecclesiæ facultatem acquirendi ut sola possessione et jure administrandi frueretur; tum quia hæc bona collata sunt Ecclesiæ in utilitatem publicam, ideoque sunt pars fortunæ publicæ; tum demum quia corpora moralia quibus hæc bona tribuuntur, existere non possunt aliter quam vi legis, quæ potest ea supprimere, ac consequenter de illorum bonis disponere. His ratiociniis probare voluerunt legitimam fuisse spoliationem Ecclesiæ, sæculo præterito consummatam a conventu nationali. Quid sentiant viri catholici, dicetur in propositione sequenti.

Propositio. — *Ecclesia est capax dominii rerum temporalium, jure naturali, divino et civili.*

I° *Jure naturali.* Cum, ex omnium confesso, quisque privatus valeat acquirere bona quibus provideat suis necessitatibus et commodis, eodem jure potitur communitas hominum, persona moralis. Habet utique corpus morale facultates intellectuales, morales et physicas quibus hæc bona sibi comparet, ea gerat, iisque in suum commodum utatur : necessitatibus obnoxium est, quibus aliter providere nequit; oportet enim communitatem suos ministros habere, conventus agere, media quibus suum finem prosequatur adhibere, quæ cuncta non obtinentur sine impensis. Ergo, gubernium civile potest quidem invigilare ne instituantur communitates moribus publicis et ordini so-

cietatis damnosæ, atque regulas præscribere circa modum quo acquirantur bona, sed non valet, nisi arbitrario abusu potestatis, obstare quominus communitas ad finem honestum formata, dominium acquirat. Ergo Ecclesia, quæ est societas omnium perfectissima, est jure naturali capax dominii.

Confirmatur consensione omnium populorum. Ne de Judæis dicamus quorum sacerdotes, Deo ita ordinante, habebant in sua possessione urbes et suburbana per circuitum, ac præterea decimas ab aliis tribubus recipiebant, neminem latet fana deorum et collegia sacerdotum apud Ægyptios, Persas, Chaldæos, Gallos, Græcos, Romanos, et alias gentes, multa dominia habuisse, quem morem adhuc tenent gentes infideles. Unanimis illa consensio populorum probat communitatem ad cultum publicum constitutam, Ecclesiam scilicet, sicuti alias communitates et municipia ad finem civilem erecta, posse jure naturali acquirere dominia rerum temporalium.

II° *Jure divino* Ecclesia eadem facultate donatur, quod tribus argumentis demonstratur, scilicet ex origine divina Ecclesiæ, ex illius praxi constantissima, et ex definitione doctrinali.

1° Quidem *ex divina ordinatione*. Est sub eo respectu discrimen essentiale Ecclesiam inter et cæteras communitates quibus constituuntur corpora moralia in societate. Auctoritas publica dat communitatibus, quas probaverit, existentiam civilem; jus etiam habet easdem communitates extinguendi, si periculosæ evaserint; nullum denique collegium jure existit, nisi ex assensu supremi legislatoris, alias reputatur illicitum. Dissimilis est autem conditio Ecclesiæ quæ, cum divinitus fuerit constituta societas externa cum cultu publico, obtinuit immediate a Christo Domino jus acquirendi bona temporalia ipsi ad cultum publicum, necnon ad ministrorum cultus divini honestam sustentationem, necessaria.

2° Ex *praxi constantissima*. Ecclesia suo jure usa est ad acquirendum non solum bona mobilia, sed et sacras ædes, aliaque immobilia, a primæva ætate, ipso tempore quo Religio christiana legibus romanis proscribebatur. Id pluribus monumentis historicis probare possemus. Memorasse satis sit constitutiones imperiales quibus Constantinus et Licinius statuerunt loca ad quæ christiani convenire consueverant et quæ a fisco vendita aut donata fuerant, christianis restituerentur. « Et quoniam, aiunt imperatores ad « proconsulem rescribendo, iidem christiani non ea tan- « tum loca, sed alia etiam habuisse noscuntur, ad jus « corporis ipsorum, id est Ecclesiarum, non hominum sin- « gulorum, pertinentia, ea omnia quæ lege superius com- « prehendimus, citra ullam prorsus ambiguitatem, iisdem « christianis, id est corpori et conventiculis eorum reddi « jubebis... ; quandoquidem volumus ut quæ supradictæ « Ecclesiæ antea possederunt ad earumdem jus omnino « revertantur... Ergo operam dabis ut sive horti, sive « ædes, seu quodcumque aliud ad jus earumdem Eccle- « siarum pertinuerit, cuncta illis quantocius restituan- « tur [1]. »

Certo inde deducitur Ecclesiam, a tempore Apostolorum ad tempora Constantini, firma fide persuasum habuisse sibi jus datum a Christo acquirendi dominia rerum temporalium ; siquidem ea reipsa acquisivit ac possedit tunc temporis quando id ipsi vetitum est lege ethnicorum, quorum dominatu omnia tenebantur. Nemo inter catholicos dicet quod hac in re, sicuti in aliis quæ ad divinum institutum referuntur, ordinationem Christi non recte interpretata sit Ecclesia.

3° *Definitionibus et canonibus disciplinaribus Ecclesiæ.* Concilium Constantiense proscripsit propositiones erroneas Wiclefi ; et Martinus V, confirmando decreta ea de re edita,

1. Eusebius, *Hist. eccl.*, lib. X, cap. v. — *De Vita Constantini* lib. II, cap. xxiii, xxxix.

statuit insuper ut quilibet de his erroribus suspectus interrogaretur « utrum credat quod auferentes, tollentes, et in« vadentes bona ipsa ecclesiastica, sint tanquam sacrilegi « puniendi ». Concilium Lugdunense II, an. 1274 habitum, canone XII, et concilium Tridentinum, sess. XXII, cap. XI, *de Reform.*, generali constitutione sanxerunt universos et singulos, quacumque dignitate, etiam *imperiali et regali*, præfulgeant, qui alicujus Ecclesiæ, seu cujusvis sæcularis vel regularis beneficii... bona, census ac jura, fructus... *quacumque arte*, aut quocumque quæsito colore in proprios usus convertere, illosque usurpare præsumpserint, seu impedire ne ab iis ad quos jure pertinent percipiantur, anathemati subjacere tamdiu quamdiu bona, res, jura, fructus et redditus quos occupaverint, integre restituerint Ecclesiæ.

III° *Jure publico et civili* Galliarum firmatur, quoad forum civile, capacitas dominii quam asserimus Ecclesiæ. Jure quidem publico stipulatur in Concordato inito inter Sanctam Sedem et gubernium Galliæ; articulus enim XV hujus conventionis fert : « Gubernium curabit ut catholicis « liberum sit, si libuerit, Ecclesiis consulere novis funda« tionibus. » Lex 2 januarii 1817 lata statuit : « 1° Tout « établissement ecclésiastique reconnu par la loi pourra « accepter, avec l'autorisation du roi, tous les biens meu« bles, immeubles ou rentes, qui lui seront donnés par « actes entre-vifs, ou par acte de dernière volonté. 2° Tout « établissement ecclésiastique reconnu par la loi pourra « également, avec l'autorisation du roi, acquérir des biens « immeubles ou des rentes. 3° Les immeubles ou rentes « appartenant à un établissement ecclésiastique seront « possédés à perpétuité par ledit établissement et seront « inaliénables, à moins que l'aliénation en soit autorisée « par le roi. »

574. — Hinc concludimus : 1° Ecclesiam jus insitum habere, divina Christi ordinatione, acquirendi bona tem-

poralia, seu mobilia, seu immobilia, quo jure privari non potest; quidquid enim homines enituntur contra constitutionem divinam Ecclesiæ, irritum est.

Concludimus : 2° Ecclesiam eo jure uti posse, non solum ut provideatur institutis quæ ipsi necessaria sunt, sedi episcopali, capitulo Ecclesiæ cathedralis, Ecclesiis parochialibus, seminariis; sed etiam institutis aliis publicis quorum existentiam utilem judicat in ordine spirituali, ut sunt communitates religiosæ. Judex ipsa est convenientiæ et utilitatis horum institutorum (n° 428, p. 186).

Concludimus 3° bona temporalia Ecclesiæ legitime acquisita ipsius propria esse, adeo ut potestas sæcularis nullatenus valeat ea sibi vindicare, nec de istis pro arbitrio disponere, non secus ac de bonis privatorum.

Respuimus igitur tanquam falsas, atque Ecclesiæ injuriosas, opiniones juristarum qui res Ecclesiæ inter bona nationalia reponere præsumpserunt. — Optandum tamen ut duæ auctoritates, spiritualis et sæcularis, concordi animo componant quæ ad hanc materiam spectant; et necessarium est ut instituta ecclesiastica observent leges civiles locorum, quibus indicitur singulis modus acquisitionis et transmissionis bonorum ne se implicent difficultatibus in praxi quandoque inenodabilibus (n° 506, p. 348).

* 575. — II° *Ad quem, in specie, pertineant dominium et dispensatio bonorum ecclesiasticorum?*

Nonnulli canonistæ dixerunt bona ecclesiastica esse in Dei solius dominio, quia sunt res Deo sacræ in quas nemo, nec communitas, nec quivis privatus, jus proprietatis prætendere potest. Hæc sententia est quidem vera, si ita intelligatur ut bona ecclesiastica debeant, ob finem cui destinata fuere, referri ad honorem et cultum Dei, nec possint, exceptis casibus jure probatis, impendi in usus profanos; destinatio autem bonorum non impedit quominus constituantur sub humano alicujus dominio qui valeat illis uti, ac de illis disponere, si necessitas postulaverit, ser-

vatis legum præscriptionibus. Ut inquiratur quis habeat hujusmodi dominium, expendere sufficit quis in Ecclesia idoneus sit ad acquirendum, et de facto rem sibi acquisierit titulo legitimo; dominium enim duplici fundamento innititur, jure acquirendi et facto acquisitionis legitimæ.

I. Bona ecclesiastica pertinent, alia ad Ecclesiam universalem, alia ad Ecclesias particulares, seu ad communitates canonice erectas, quibus titulo proprietatis acquisita fuerunt; cum debita subjectione juri supremo dispensationis quo pollet S. Pontifex. « Communis est sententia, « ait Schmalzgrueber, quod dominium particulare bono- « rum ecclesiasticorum sit penès ipsas Ecclesias, sive « collegia et capitula clericorum ; aut ubi talia non sunt, « penès communitatem fidelium ad Ecclesiam spectantium, « si Ecclesia sit sæcularis; si vero regularis, penès ipsa « monasteria, seu conventus et communitates religiosorum, « si illa sint dominii capacia. » (In tit. DE PECULIO CLERICORUM, n° 4, lib. III Decret.)

Ecclesia Romana multas olim possessiones habuit quæ ipsi datæ fuerant ex diversis regionibus, ut constitueretur patrimonium sancti Petri, atque in bonum Ecclesiæ universalis inservirent. Dominium proprie dictum horum bonorum pertinet igitur ad Ecclesiam universalem, cujus princeps et summus administrator est Pontifex Romanus. Nemo certe catholicorum dubitare potest quin associatio universalis fidelium, sub auctoritate Rom. Pontificis, quam appellamus Ecclesiam Catholicam, seu Romanam, sit capax dominii bonorum temporalium, ex principiis supra expositis.

Diœcesis, sedes episcopalis, Ecclesia cathedralis, capitulum, seminaria, Ecclesiæ parochiales, monasteria et alii conventus regularium, confraternitates, et cætera instituta ecclesiastica vel religiosa, quando rite erecta fuerunt servatis legibus canonicis, sunt etiam capacia

dominii; quamobrem si bonum temporale, quovis titulo ad transferendum dominium apto, acquisierint, res ipsis propria est, sub illorum utique jure et dominio constituta.

Diximus... *Ecclesias et communitates rite erectas;* quia in societate religiosa, non secus ac in societate temporali, nulla communitas subsistit cum jure acquirendi et possidendi, nisi constituta et approbata fuerit auctoritate superioris competente. Quamdiu deest canonica constitutio, dari potest persona moralis civilis, vel persona individua, capax dominii, sed bonum temporale ab illa acquisitum non reputatur bonum ecclesiasticum, nec habet privilegia bonis ecclesiasticis jure canonico annexa.

Posuimus insuper in thesi Ecclesiam, seu communitates rem acquisivisse *proprio nomine*, *ut in suos usus adhibeatur*, quod est signum proprietatis. Nihil obstat quod intercedere debeat assensus superioris ut fiat acquisitio, nec quod communitas alienare non valeat bona semel acquisita inconsulto eodem superiore. Hæc necessitas probat communitatem subditam esse auctoritati superioris et quodammodo sub tutela; eadem fere ratione ac in ordine civili minor, nec acquirere, nec alienare potest absque assensu tutoris; sed nullatenus obstat quin communitas obtineat dominium proprie dictum.

Nota.—Quando communitas ecclesiastica, diœcesis, parochia, etc..., bonum temporale assequitur donatione vel fundatione, attendere debet ad intentionem manifestatam donatoris; an rem dederit ut ad finem specialem, in actu donationis expressum, inserviat; an in usus communes determinandos arbitrio Episcopi, Parochi, alteriusve rectoris. Si bona destinaverit alicui instituto in specie, v. g., confraternitati, seminario majori, seminario minori, exercitiis missionum evangelicarum..., nec Parochus, nec ipse Episcopus potest aliud institutum substituere in hujus locum quod donator designaverit, etiamsi ipsi videatur

hanc substitutionem magis expedire; nam pactis standum est. Statuere de re donata contra mentem benefactoris, eam impendere in usus alienos a fine præfinito, est jure naturali non solum illicitum, sed invalidum. Benefactores jure quererentur de violata fide pactorum; aliique ab animo donandi Ecclesiis averterentur.

II. S. Pontifex habet in bona ecclesiastica jus supremæ dispensationis, vi cujus potest ea transferre, alienare, vel etiam laicis cedere, quando id necessarium judicat, ratione circumstantiarum. S. Thomas in eo sensu dixit, res omnes ecclesiasticas esse S. Pontificis, non ut domini et possessoris, sed *ut principalis dispensatoris.* 1° Fideles, dum aliquid dant Ecclesiis, vel monasteriis, non ea donant S. Pontifici; præsumuntur tamen consentire ut, si urgens necessitas postulaverit, S. Pontifex valeat de his bonis statuere; alias acceptari non posset donatio; ita enim rem componi postulant regimen Ecclesiæ, suprema potestas inhærens Sanctæ Sedi, necessitas avertendi pericula quæ alioquin, in quibusdam casibus, religioni imminerent. 2° SS. Pontifices hoc jure identidem usi sunt, licet cum summo moderamine. Cesserunt, ita postulante temporum necessitate, partes aliquas bonorum Ecclesiæ Romanæ. Transtulerunt bona ab uno instituto regulari quod, jure seu facto, extinctum fuerat, ad aliud; v. g., quando suppressa est religio Templariorum : suppresserunt, ad mentem concilii Tridentini, nonnulla beneficia simplicia ad providendum erectioni seminariorum et parochiarum. Bona ecclesiastica injuste occupata, et invalide alienata a laicis, cesserunt quandoque pro bono pacis, ut facilius restituerent Ecclesias tempestatibus politicis collapsas, quod factum fuisse recenti ætate omnes norunt. Hoc autem, quin fieri legitime potuerit, nemo inter catholicos dubitabit[1].

1. Cf. Litteras apostolicas Benedicti XIV ad Episcopos directas, *Cum encyclicas litteras*, an. 1754, n^is^ 3, 4, 5.

* 576. — III° *Quomodo acquiratur dominium bonorum ecclesiasticorum jure canonico et civili?*

I. Jure canonico et naturali, Ecclesiæ acquirunt bona iisdem prorsus mediis et titulis quibus privati et communitates civiles in societate sæculari; scilicet labore, donationibus et contractibus onerosis, adeo ut nullus sit proprietarius, nullave communitas, quæ res suas sibi meliori jure asserere valeat.

Hæc attendenda sunt, ut judicetur de inanitate sophismatum queis nonnulli enixi sunt comprobare agendi rationem conventus nationalis, qui Ecclesias bonis temporalibus spoliavit. Si semel admittatur licitum fore gubernio sæculari jus Ecclesiarum labefactare, non est cur possessiones communitatum civilium, et ipsorum privatorum tutas putemus; cum enim non alio fundamento reponantur, iisdem etiam principiis, seu rectius ut dicamus, iisdem captionibus fas erit jura uniuscujusque pro arbitrio invadere, nihilque stabile relinquetur in societate.

577. — II. Jure civili hæc requiruntur, ex veteribus edictis regiis deprompta, ut communitas acquirere valeat :

1° Necesse est ut communitas fuerit agnita approbataque a gubernio. Gubernium approbavit instituta diœcesana, nempe titulos episcopales, capitula Ecclesiarum cathedralium, fabricas Ecclesiarum cathedralium et seminaria; instituta parochialia, scilicet fabricas Ecclesiarum parochialium, capellas annexas rite erectas, presbyteria; demum nonnullas communitates religiosas, præsertim quæ hospitiorum curæ, pauperum sublevamini, puerorum educationi destinantur.

Notandum quoad *titulum Episcopalem* Episcopos posse bona acquirere destinata suæ mensæ episcopali, quibus scilicet sibi suæque diœcesis administrationi provideant; item dona et fundationes in dotationem domus pro sacerdotibus senio vel adversa valetudine gravatis; fortassis etiam ea quæ darentur ut pro sua prudentia his utantur in utilitatem piorum aliorum operum, modo hæc ipsis, ti-

tulo scilicet Episcopali, non diœcesi, donata censeantur. Titulus Episcopalis habet existentiam civilem; an vero diœcesis, a suo Antistite repræsentata, agnosci etiam debeat uti persona moralis, apta ad acquirendum, non ita constat. Affirmabatur paucis abhinc annis a concilio status, hodie negatur, et in eo sensu deliberatum et decisum fuit recentius, die 17 martii, an. 1880.

In eodem sensu probabiliter declarabitur de capacitate civili fabricarum parochialium, quæ juxta leges aptæ sunt ad acquirendum bona quæ cultui publico parochiæ inserviant; sed quibus forte denegabitur facultas acquirendi pro fundatione scholarum, vel etiam pro sublevamine pauperum; quamvis maxime consentaneum sit principiis veræ et sapientis libertatis, ut fideles possint unusquisque pro suo arbitrio donare ad consulendum variis necessitatibus diœcesis et suæ parochiæ [1].

2° Necesse est ut donatio, seu quævis alia acquisitio titulo oneroso, approbetur, quod de immobilibus, de censibus annuis et de ipsis bonis mobilibus intelligendum est, si donentur actu authentico. Edictum regium 2 aprilis 1817 fert : « Les dispositions entre-vifs ou par testament de « biens meubles et immeubles, au profit des églises, des « archevêchés et évêchés, des chapitres, des grands et « petits séminaires, des cures et des succursales, des fabri- « ques, des pauvres, des hospices, et en général de tout « établissement d'utilité publique et de toute association « religieuse reconnus par la loi, ne pourront être acceptées « qu'après avoir été autorisées par Nous, le conseil d'État « entendu, et sur l'avis préalable de nos préfets et des « évêques, suivant les divers cas. L'acceptation des dons « ou legs en argent ou objets mobiliers n'excédant pas « trois cents francs sera autorisée par les préfets. »

Hæc ultima dispositio mutata fuit, quoad donationes

1. *Bulletin des lois civiles.* Éd. de Champeaux, an. 1873, p. 99-228; — an. 1874, p. 115; — an. 1880, p. 120-122.

factas fabricis Ecclesiarum parochialium, decreto 13 febr. 1862 quo statuitur : « Art. 1. L'acceptation des dons et « legs faits aux fabriques des églises sera désormais auto- « risée par les préfets sur l'avis préalable des évêques, « quand ces libéralités n'excèderont pas la valeur de mille « francs, ne donneront lieu à aucune réclamation, et ne « seront grevées d'autres charges que de l'acquit de fonda- « tions pieuses dans les églises paroissiales, et de disposi- « tions au profit des communes, des hospices, ou des bu- « reaux de bienfaisance. Art. 11. L'autorisation ne sera « accordée qu'après l'approbation de l'Évêque diocésain, « s'il y a charge de services religieux. »

Leges civiles requirunt approbationem, quia auctoritas civilis præcavere voluit ne nimium accrescant temporalia communitatum quæ gallice nuncupantur *établissements de main-morte*, id est, quæ alienari non possunt.

3° Donationes manuales non subjacent iisdem legibus : possunt utique acceptari quin necesse sit recurrere ad gubernium civile. Regula generalis est, principiis juris communis et doctrina jurisperitorum innixa, traditionem realem boni mobilis, præsertim pecuniæ, dominium rei transferre in recipientem, et possessionem loco tituli esse, ut statuit art. 2279 Codicis civilis.— Decretum an. 1809 de fabricarum constitutione eamdem regulam implicite sanxit in gratiam Ecclesiarum, nedum legi communi derogaverit; siquidem inter redditus fabricarum enumerat *oblationes* : porro oblationes sunt donationes manuales, nec ullum discrimen assignatur inter oblationes, ratione quantitatis summæ donatæ. Ergo donatio manualis, qualiscumque sit, acceptari potest absque prævia approbatione gubernii. Si tamen donatio sit valde notabilis, ratione habita fortunæ donatoris, et videatur facta ut partes subterfugiant interventum auctoritatis publicæ, gubernium sibi reservat facultatem eam rescindendi, aut ad certum modum imminuendi[1].

1. Cf. Gaudry, *Traité de la législation des cultes*, t. III, nis 864, 865.

4° Ut detur expetita approbatio, exponi debet gubernio status rerum, cum petitione facta ab administris instituti cujus interest.

Si agatur de acquisitione titulo oneroso, transmittendæ sunt tabulæ in quibus declarantur natura, situs et valor objecti, bona eidem instituto jam ante acquisita, media quæ illi suppetunt solvendi pretium rei acquirendæ.

Si agatur de acquisitione titulo gratuito, servantur formalitates communes præscriptæ pro donationibus et testamentis; insuper, quod ad testamenta attinet, advocantur propinquiores hæredes defuncti, ut assentiantur legato aut declarent cur assensum suum denegaverint. Non necessum est ut re ipsa assentiantur, sed illos audiendos voluit legislator sæcularis, ut perpendatur an hæredes grave detrimentum patiantur ex dispositione testamentaria defuncti; an intercesserit fraus aliqua seu captatio; an bona derelicta proveniant ex paterna hæreditate aut *aliunde;* an testator perspectum habuerit statum suorum parentum.

Insuper, ubi de donationibus seu testamentis agitur, ratio habetur onerum a donatore injunctorum, et finis proximi ad quem bona donata sunt, utrum oneribus non gravetur communitas ultra quod expedit; an valeat pactis conditionibusque satisfacere; utrum finis a donatore intentus, onera quæ imposuit, pia opera quæ exsequenda mandavit, consentiant cum natura, conditione atque fine instituti.

Exposcitur assensus Episcopi quoties imposita sunt onera communitatibus ecclesiasticis, et ejusdem sententia, si nulla onera injuncta sint; Episcopi siquidem est perpendere an expediat fundationes acceptari.

His cunctis habitis, auctoritas sæcularis statuit : testamentum confirmat atque exsequi mandat; aut e contra denegat approbationem, vel donationes imminuit, relicta parte hæredibus, prout sibi visum ferit.

Hæc retulimus, sed non indistincte probamus; multa enim videntur adversa libertati Ecclesiarum.

ARTICULUS II. — DE PRÆCIPUIS SPECIEBUS BONORUM ECCLESIASTICORUM.

578. — Actum est, in præcedentibus, de sacris ædibus, de illarum supellectili et de cœmeteriis. Alia bona ecclesiastica distinguuntur generatim in mobilia, immobilia et census; cum vero nulla sit difficultas sub eo respectu, aliam distinctionem bonorum expendere magis opportunum arbitramur, ratione habita finis ad quem donantur. Sunt igitur oblationes, fundationes et beneficia de quibus singillatim dicetur, postea quam nonnulla prænotata fuerint, ad intelligentiam juris et veteris disciplinæ, de primitiis et de decimis.

§ 1. — *De Primitiis et Decimis.*

579. — Judæis præscriptum fuit, lege Mosaica, primitias frugum terræ deferre in domum Domini, ut cederent in usum Levitarum.

Primitias solvebant Deo immediate, in gratiarum actionem pro novis fructibus a divina providentia acceptis; sed hæc, Deo ipso ita ordinante, inserviebant alendis sacerdotibus. Decimas etiam omnium fructuum quotannis solvere jubebantur Levitis.

Lex evangelica nihil ea de re præscripsit fidelibus ; nec ut primitias frugum Deo, nec ut suorum bonorum decimas in sustentationem clericorum persolverent : obligationem tamen naturalem subveniendi necessitatibus ministrorum Ecclesiæ sancitam voluit, et pastorum prudentiæ dimisit determinare, pro ratione temporum et locorum, modum magis congruum quo his necessitatibus provisum foret.

Ab exordiis nascentis Ecclesiæ fideles dare consueverunt primitias frugum; quem morem pietate inductum, atque moribus insitum sancti Patres valde commendaverunt et Ecclesia suis canonibus servandum indixit. Hæc disci-

plina in desuetudinem sensim abiit, ac tandem penitus cessavit.

Diutius perseveravit lex decimarum quæ clericis solvebantur in sacri ministerii stipendium. Duplicis generis distinguuntur in jure, prædiales et personales, quibus etiam accensentur novales. Decimæ *prædiales* pars erant decima proventuum et fructuum prædii rusticani, vel urbani; decimæ *personales* erant quædam pars bonorum industria et arte comparatorum; *novales* nuncupabantur proventus prædii noviter ad cultum redacti, quod ante frugiferum non erat. Sacri canones et multæ SS. Pontificum constitutiones injunxerunt fidelibus ut decimas solverent, quæ primævis temporibus Episcopo datæ sunt in administrationem et dispensationem, postea autem attributæ communiter fuerunt Ecclesiis parochialibus, « ad quas de jure communi « spectat perceptio decimarum », ut dicitur in cap. *Cum contingat*, 29; *Cum in tua*, 30, DE DECIMIS, PRIMITIIS, ET OBLATIONIBUS, lib. III Decret.

Legislatio de decimarum solutione et perceptione multis dubiis occasionem dedit, quæ in nostra ætate supervacaneum est excutere, cum in desuetudinem apud nos abierit. « Nimirum, ait Devoti, posteaquam clericis parata sunt « aliis bonis ac redditibus ea quæ suppeditent ad cultum et « ad victum, paulatim decrevit solutio decimarum, et nunc « in multis locis neque decimæ prædiales ex prædiis urba« nis neque personales solvuntur... et multæ etiam regiones « sunt in quibus decimæ (ex omnibus fructibus terræ) pror« sus exoleverunt. » (Tit. XVI, *de Decimis*, § 6.)

§ 2. — *De Oblationibus.*

De oblationibus quæritur : 1° quid sint et qua lege determinentur; 2° quibusnam in dominium cedant, et qua conditione legitime possint recipi; 3° quæ sit auctoritas Episcopi in statuendo modum et partitionem oblationum.

* 580. — I° *Quid sint oblationes, quæ illarum origo, et quatenus fieri debeant a fidelibus?*

I. Oblationes fidelium, consideratæ abstrahendo a fundationibus de quibus modo dicemus, sunt bona mobilia quæ fideles donant intuitu religionis, occasione præsertim alicujus actus ministerii ecclesiastici, ut cedant in usum Ecclesiæ, aut sacrorum ministrorum.

II. Antiquissimus est oblationum usus, et ab ipsa ætate Apostolorum repetendus. Offerre quippe fideles consueverunt panem et vinum ad sacrificium Missæ; thus et oleum pro sacris luminaribus; fruges præterea quibus pauperes alerentur una cum aliis fidelibus in agapis. Frequens occurrit harum oblationum mentio in monumentis priorum temporum. « Oblationes quæ in altario consecrentur « offerte, aiebat S. Augustinus : erubescere debet homo « idoneus, si de aliena oblatione communicaverit. » (*Sermo* CCXV *de Tempore*, ed. Lugd.); et Deum testatur quod sua mater Monica nullum diem prætererit absque oblatione ad altare. (*Conf.*, lib. V, cap. IX.)

Non admittebantur indiscriminatim oblationes, sed ab illis solummodo qui in communione Ecclesiæ vivebant. Fratrum inter se dissidentium, excommunicatorum, hæreticorum, dona accepta non erant. Hinc S. Ambrosius Valentinianum Augustum graviter admonuit ne templa collabentia idololatrarum resarciret, ni vellet suas oblationes ab Ecclesia respui; et clericorum S. Basilii nemo ausus est accipere dona Valentis Imperatoris, donec scirent an sanctus Antistes ea acceptavisset [1].

581. — III. Oblationes sunt vel spontaneæ, vel debitæ ex parte fidelium. Etsi primæva ætate fideles nulla lege cogerentur, se tamen aliquatenus obligatos reputabant dona afferre, quibus clericis et Ecclesiæ pauperibus necessaria suppeterent : unde S. Hieronymus in epist. ad Helio-

1. Selvaggio, *Antiquitatum christ. instit.*, lib. II, part. II, cap. I, nis 20-38.

dorum dicebat : « Clerici de altari vivunt; mihi tanquam « infructuosæ arbori securis ad radicem ponitur, si munus « ad altare non defero. »

Oblationes spontaneæ dicuntur quas fideles ultro faciunt, donando Ecclesiæ intra Missarum solemnia ad offertorium, seu deponendo in arcis nummariis, aut sua munera alio modo largiendo prout sibi visum fuerit.

Oblationes, quas debitas diximus, illæ sunt quas fideles facere debent occasione sacrosancti sacrificii, quod sibi specialius applicari postulant, vel solemnitatis quam adhiberi volunt in benedictione nubentium, sive in suorum defunctorum exsequiis, vel etiam ut jus acquirant utendi sedilibus in Ecclesia, quando sacris officiis intersunt.

Cum nonnulli exprobrent Ecclesiæ harum oblationum perceptionem, quædam notare necessarium omnino arbitramur, quibus explicetur disciplina hodierna.

1° Ecclesia catholica abhorret a simoniaca labe. Vult res divinas summa religione tractari, et gratis in usus fidelium impendi, quod gratis a Christo acceptum est. *Quod gratis accepistis gratis date.* 2° Fideles tenentur officio religionis, charitatis et justitiæ, ad providendum de victu necessario clericis qui sibi spiritualia ministrant, et ad conferendum de suis facultatibus in reparanda et ornanda templa, in amplificandum divinum cultum, in sublevandos pauperes quorum cura pastoribus maxime commissa est. 3° Jus divinum non præfinivit quandonam quibusve casibus fideles debeant hoc debitum religionis et justitiæ exsolvere erga Ecclesiam et clerum; opportunissima autem se offert occasio, quando ad ministerium sacerdotum confugiunt, ut ab eis officio exposcant, non quidem sibi ad salutem necessaria, sed potius ad sui solatium, ut in casibus modo recensitis.

Hæc cum sint extra omnem controversiam posita, nemo offendi debet praxi hodierna moribus christianis inducta, quod scilicet oblationes, initio voluntariæ, decursu tempo-

rum abierint in laudabiles consuetudines, quas traditiones et ipsa decreta plurium conciliorum commendant. A sæculo VI°, concilium Matisconense II jussit panem et vinum singulis diebus dominicis ab omnibus fidelibus offerri : quod statutum sua etiam auctoritate reges Francorum sancire studuerunt; legimus enim in art. 170 libri VI *Capitularium* Francorum : « Placuit ut fiant oblationes sacerdoti- « bus, si fieri potest; saltem die dominica id absque ulla « excusatione fiat. » Ex oblatis pane et vino materia sacrificii eucharistici sumebatur : quod reliquum erat, clericis et pauperibus tribuebatur. Cum desiit panis et vini oblatio, cœpit offerri pecunia, unde Missæ honorarium ortum est.

Consuetudo similiter induxit alias fieri oblationes occasione nuptiarum et exsequiarum.

Concilium generale anno 1216 in Ecclesia Lateranensi celebratum sub Innocentio III, duo simul præcaveri curavit, exactiones ex parte clericorum, et contemptum laudabilium consuetudinum ex parte laicorum. « Ad apostoli- « cam audientiam frequenti relatione pervenit, quod « quidam clerici pro exsequiis mortuorum, et benedictio- « nibus nubentium et similibus, pecuniam exigunt et « extorquent... E contra vero quidam laici laudabilem « consuetudinem erga sanctam Ecclesiam pia devotione « fidelium introductam, ex fermento hæreticæ pravitatis « nituntur infringere, sub prætextu canonicæ pietatis. « Quapropter super his pravas exactiones fieri prohibe- « mus, et pias consuetudines præcipimus observari, sta- « tuentes ut libere conferantur ecclesiastica sacramenta : « sed per Episcopum loci, veritate cognita, compescantur « qui malitiose nituntur laudabilem consuetudinem immu- « tare. » (Cap. *Cum in Ecclesiæ*, 9, et *Ad Apostolicam*, 42, DE SIMONIA.)

Mens igitur Ecclesiæ est ut pia devotione serventur consuetudines laudabiles super oblationibus fieri solitis, occasione solemnitatis nuptiarum et funeralium.

* 582. — II° *Quid curandum sit clericis ut legitime percipiant oblationes, occasione sacri ministerii præstitus?*

Episcopi officium est approbare atque statuere modum quo fieri debeant oblationes. Ipse invigilare debet divinis officiis, ne quid contra regulas ecclesiasticas tractetur, et sollicitudinem conditionis clericorum gerere. Ipsi concilium Lateranense curam demandavit dignoscendi laudabiles consuetudines a pravis exactionibus; ipsum etiam commonuit synodus Tridentina ut omnino prohibeat « cujusvis « generis mercedum conditiones, pacta..., necnon importunas et illiberales eleemosynarum exactiones potius « quam postulationes, aliaque hujusmodi, quæ a simoniaca « labe, vel certe a turpi quæstu non longe absunt. » (Sess. XXII, *Decret. de observandis et evitandis in celebratione Missæ*.

Curandum proinde : 1° ne pro funerum aut matrimoniorum pompa, in superfluos sumptus fideles inducantur, alioquin erit *importuna exactio* decreto concilii vetita. — 2° Ne quid recipiatur ultra quod certa lege, vel probata consuetudine, constitutum est, aut spontanea fidelium voluntate collatum, alioquin violatur justitia commutativa, et est *turpis quæstus* ab eodem concilio improbatus. « Si « ultra eleemosynam ab Episcopo taxatam, plus sacerdos « celebraturus exigat, ait Benedictus XIV, non solum « delinquit contra legem Ecclesiæ, verum etiam justitiam « commutativam lædit. Etenim, uti argumentatur Suarez, « quamvis Missæ stipendium non habeat rationem pretii, « nihilominus exposcit justitia ut aliqua proportio ser- « vetur inter illud et opus ad quod subeundum adminis- « tratur; eamque proportionem definire, inspecta natura « rei de qua agitur, ad solum Episcopum spectat. Ob « eamdem rationem, judicio Episcopi Missarum eleemo- « synam taxantis stare debent etiam regulares, quibus, sub « suorum privilegiorum obtentu, neutiquam licet stipem « illa majorem exigere quam Episcopus præscripsit. » (*De*

Synodo, lib. V, cap. IX, n° 2.) — 3° Ne quid omittatur ritus, cæremoniarum, numeri et præsentiæ presbyterorum et clericorum inferiorum, quod stipulatum promissumque fuit.

Cum jure naturali nemo debeat percipere stipendium stipulatum, nisi præstiterit officium de quo inter partes convenit, sequitur sacerdotes qui non intersunt obsequiis funeralium ad quæ deputati sunt, aut qui, licet corpore præsentes, nullatenus participant preces quæ pro defuncto offeruntur, non posse, illæsa justitia, recipere nec retinere oblationes a fidelibus solutas.

Quod ad adsistentiam spectat, excusare potest gravis necessitas sacri ministerii; quia fideles, dum postulant præsentiam sacerdotum numero præfinito, merito consentire censentur ut quidam ex ipsis, qui detinerentur alibi improvisa necessitate, non adsint obsequiis. Non excusat vero exercitium ministerii quod ad aliud tempus differri potest; multo minus excusat absentia ob causam vacationum. S. Congregatio concilii pluries declaravit canonicos absentes per tempus jure concessum, non lucrari distributiones quotidianas (n° 413). Eadem ratione concludimus sacerdotes, parochiali Ecclesiæ adscriptos, sibi arrogare non posse jus ad oblationes, ipso tempore quo a parochia absunt vacationum causa, de quibus nihil fuit in disciplina canonica statutum, nec convenit inter partes. Si, ob vacationes nonnullorum, seu ob aliam causam, Parochus non possit habere numerum competentem presbyterorum, qui sufficiat ratione gradus solemnitatis a familia defuncti quæsitæ, debet alios adsciscere ex clero vicino, aut imminuere, servata proportione, taxationem oblationum, aut demum præmonere familiam, an sponte consentiat.

Addidimus sacerdotes teneri, dum obsequiis intersunt, preces offerre pro defunctis ad mentem Ecclesiæ, et ad intentionem merito præsumptam donatorum, qui censentur presbyteros convocasse, non ad pompam funebre-

solum, sed ad preces publicas. Propositum est dubium, anno 1857, S. Congregationi Rituum : « Utrum Parochus, « aliique sacerdotes exsequiis mortuorum, officiisque quo« tidianis pro iisdem assistentes, ac pro ea functione sti« pendium accipientes, teneantur per se officium defunc« torum persolvere, ita ut solummodo assistentes, et non « cantantes vel psallentes, fructus non faciant suos; an « vero sufficiat ut assistant, et schola officium persolvat, « ipsis interea, pro suo libitu, alias preces fundentibus, « v. g., Breviarium recitantibus pro sua quotidiana obliga« tione? » S. Rituum Congregatio, in ordinariis comitiis ad Quirinale coadunata, post accuratum examen propositi dubii, respondendum censuit : *Affirmative, quoad primam partem; negative, quoad secundam.* Die 9 maii 1857. Recentius, die scilicet 11 Mart. an. 1871 eamdem doctrinam confirmavit, addito praxim allegatam tolerari posse, si tantum agatur de missa, dummodo adsint cantores ad hoc specialiter deputati; minime vero si agatur de officio defunctorum quod persolvendum est ab iis qui mercedem accipiunt pro hac recitatione. Responsio declarat quid præscriptum sit, jure communi, de necessitate præsentiæ corporalis et precum. Obligatio psallendi aut cantandi in officio funerum potest temperari in multis locis ex intentione præsumpta fidelium, qui varias oblationes offerunt, alias in favorem presbyterorum assistentium, alias pro cantoribus et musicis. Sed necesse est ut sacerdotes præsentes adsint, in sensu mox exposito, et reipsa orent pro defuncto; alioquin conditiones tacite pactas non servant, et peccant contra virtutem justitiæ oblationes retinendo [1]. Admitti nequaquam debet præsumptio in contrarium.

1. Hæc inserta sunt in synodalibus monitis pro diœcesi Parisiensi, an. 1850 : « Memores sint omnes se ad præsentiam in exse« quiis ex justitia teneri, quotiescumque stipendium pro præsentia « datur : nec aliam in hac re admitti dispensationis causam, nisi « quæ ex sacri ministerii gravi necessitate oritur. »

* 583. — III° *Quibusnam in dominium cedant oblationes fidelium?*

Dicemus præsertim de oblationibus factis in Ecclesiis parochialibus : solutiones quas super his daturi sumus, ad cæteras oblationes apponi possunt. Porro ex oblationibus fieri solitis in Ecclesia parochiali, aliæ ipsimet Ecclesiæ cedunt, aliæ parocho, aliæ cæteris presbyteris et clericis inferioribus, qui sacro ministerio functi sunt.

I. Ad parochiam pertinent, vi consuetudinis generalis, et præsumptæ intentionis fidelium : 1° quæ fideles sponte sua absque speciali determinatione, reponunt in arcis nummariis, aut donant per modum eleemosynæ pro cultu publico; 2° quæ dantur pro locatione vel usu sedium aut subselliorum; 3° oblationes quæ fiunt parochiæ occasione celebrationis nuptiarum et funeralium, ob luminaria, sedes, ornatum, cenotaphia quæ fabrica subministrat : in majoribus vero urbibus ubi constituta fuit administratio generalis funeralium, fabrica ab illa administratione percipit partem certam reddituum, ex pacto et convento; 4° cerei qui simul cum pane benedicendo offeruntur; 5° uno verbo, dici potest cuncta quæ in navi Ecclesiæ, sive in arcis, sive in manus collectorum, donantur sine designatione specialis finis, cedere Ecclesiæ parochiali, et impendenda esse in usus ipsius, ut instauretur sacrum ædificium, decenti supellectili ornetur, provideatur clericis et famulis qui eidem Ecclesiæ inserviunt.

II. Ad Parochum pertinent : 1° oblationes quæ fiunt ad altare, pecuniæ scilicet et cerei quæ ad offertorium fideles deferunt, juxta ritum quem Deus olim veteri lege præscripserat, cap. v, 10, *Numerorum* ; « Quidquid in « sanctuarium offertur a singulis et traditur manibus sacer- « dotis, ipsius erunt; » 2° pars certa oblationum, quæ ex statutis diœcesanis, aut probata consuetudine, Parocho ob ipsius titulum pastoris obveniunt occasione funeralium, vel benedictionis nuptialis, et quæ idcirco designatur com-

muniter sub nomine *juris stolæ;* 3° stipendia soluta pro Missis ac cæteris officiis quæ ipse celebraverit; 4° quæ dantur pro variis attestationibus promulgationis bannorum, baptismi...

Incertum est cuinam cedant eædem oblationes, perceptæ tempore vacantiæ tituli parochialis. Pars tribuetur vicario, alterive presbytero quem Episcopus designaverit ad supplendum vicem titularis; *qui enim sentit onus, sentire debet commoda.*

Regulis canonicis consentaneum videtur, quod superest reservari futuro titulari, aut expendi in bonum parochiæ, sive fabricæ conferatur, sive ad usus pios parochiæ utiles destinetur. Hunc fuisse morem ecclesiarum testatur sanctus Gregorius Magnus in epistola ad Opportunum Episcopum (lib. II, epist. XIII), ubi, admonendo præsulem quod Ecclesiam alicui presbytero commendaverit, hæc addit : « Ideoque fraternitas tua emolumenta ejusdem Ecclesiæ « faciat sine cunctatione præstari, et fructus qui jam per- « cepti sunt prædicto viro fac sine mora restitui, quatenus « ejusdem Ecclesiæ utilitates, cujus emolumenta consequi- « tur, sollicite valeat procurare. » Bonifacius item VIII prohibuit, cap. *Præsenti*, 9, DE OFFICIO ORDINARII, in VI, « ne Episcopi seu alii quivis regulares vel sæculares præ- « lati... vacantibus dignitatibus, prioratibus vel Ecclesiis « quibuscumque sibi subjectis, eorumdem bona, morien- « tibus eorum rectoribus, in ipsis inventa, sive vacationis « ipsorum tempore obvenientia, quæ in utilitatem eorum- « dem expendi, vel futuris debent successoribus fideliter « reservari, occupare, aut in suos usus convertere quoquo « modo præsumant : nisi de speciali privilegio, vel con- « suetudine jam præscripta legitime, seu alia causa ratio- « nabili, hoc eisdem competere dignoscatur. » Regula proinde generalis est ut oblationes cedant utilitati parochiæ; nec in alios usus impendi debent, nisi consuetudo legitime præscripta, aut gravis causa, permittat eosdem

proventus adhibere in alias diœcesis necessitates. De redditibus tituli parochialis qui obveniunt eodem tempore vacantiæ, dicitur infra (n° 638, III).

III. Ad alios presbyteros, seu clericos inferiores, pertinent oblationes factæ occasione ministerii cujusdam personalis, v. g., præsentiæ obsequiis defunctorrum, celebrationis Missæ, prædicationis verbi divini, nisi tamen consuetudo ferat illas in commune reponi, ut æqua partitio fiat inter singulos presbyteros ejusdem Ecclesiæ servitio adscriptos, quod in pluribus parochiis laudabiliter servatur.

Cerei quos clerici deferunt ad exsequias defunctorum, ipsis in proprietatem tribuuntur [1].

* 584. — Diximus supra oblationes nec recipi nec retineri posse, nisi impletæ sint conditiones de quibus expresse aut implicite conventum est... Quoad Missarum stipendia, quædam sunt valde notanda.

I. Notandum : 1° neminem posse partem stipendii solito pinguioris sibi retinere, etiam in suæ Ecclesiæ pauperumve utilitates impendendam, concessa presbytero, qui Missam applicavit, eleemosyna consuetudine aut lege diœcesana præscripta. « Si quis, ait Benedictus XIV, manua-« lem eleemosynam consueta pinguiorem accepit, alteri « sacerdoti Missam celebrandam committat, non potest « illius partem sibi retinere, sed totam quam accepit ero-« gare debet sacerdoti celebranti : quod ab Urbano VIII « statutum est, et opposita opinio ab Alexandro VII die « 24 sept. an. 1665 proscripta fuit; inter enim proposi-« tiones ab eodem Pontifice damnatas hæc reperitur : *Post « decretum Urbani, potest sacerdos, cui Missæ celebrandæ « traduntur, per alium satisfacere, collato illi minore sti-*

1. Cf. *Code des fabriques*, tom. II, pag. 327-33. — *Journal des fabriques*, tom. I, pag. 321; tom. II, pag. 54; tom. III, pag. 260; tom. XI, pag. 360; ubi resolvuntur ad normam juris civilis multæ quæstiones subortæ inter Parochos et fabricas de partitione cereorum.

« *pendio, alia parte stipendii sibi retenta*... Quia vero recta « ratio non patitur, ex eleemosyna ab Episcopo taxata, « quæ exigua esse solet, aliquid detrahi in commodum « Ecclesiæ subministrantis sacerdoti sacra indumenta, « aliaque utensilia, ad Missæ celebrationem necessaria, « hac de causa Urbanus VIII decrevit nihil ex eleemosy- « nis manualibus esse eo nomine detrahendum. » (*De Synodo*, lib. V, cap. IX, n[is] 3, 4.) Constitutio *Apostolicæ Sedis*, recens promulgata, declarat excommunicationem incurrere S. Pontifici reservatam « colligentes eleemosynas « majoris pretii pro Missis et ex iis lucrum captantes, « faciendo eas celebrari in locis ubi Missarum stipendia « minoris pretii esse solent ».

Excommunicatio restringenda est ad Missas manuales, uti concluditur ex Bulla Benedicti XIV ex qua hæc censura ortum duxit, et ex verbis *colligentes*. — Non afficit illum qui unius aut paucorum stipendiorum parte retenta, Missam curat ab altero sacerdote celebrari; verba enim *colligentes* eleemosynas, indicare videntur agi de quadam copiosa quantitate stipendiorum colligenda, usu mercaturæ, ad certum lucrum faciendum. — Nec afficit censura eos qui colligunt eleemonysas missarum et eas alibi transmittunt, ut excessum impendant in usus pios, siquidem in constitutione pontificia de his solum agitur qui colligunt ad lucrum faciendum. — An necessarium sit, ut incurratur censura, stipendia transmitti e loco ubi collecta sunt in alium locum, non consentiunt interpretes Bullæ. Alii negant, quia ratio et finis legis suadent nullum esse discrimen substantiale respectu loci. Alii affirmant, quia verba legis *faciendo celebrari in locis ubi stipendia minoris pretii esse solent*, innuunt agi de locis diversis ab eo ubi collectio facta est. Ita Avanzini. Cum *in odiosis* lex sit sumenda strictiori sensu, huic interpretationi adhærere licet in praxi. Lex attingit quod fit plerumque et quod magis præfert speciem turpis mercaturæ.

Ecclesiis quandoque concessum fuit ut aliquid ex stipendiis Missarum retinerent, cum nempe alios redditus non habent quibus sustineant onus sacra utensilia præstandi[1]; privatis autem non licet partem stipendii sibi retinere. Id *execrabilem abusum* vocat Benedictus XIV. Qui turpis lucri cupiditate inductus id agit, non solum ab avaritiæ suspicione et vitio, verum etiam a furti crimine haud immunis est; unde restitutioni subjacet.

Duas exceptiones apponunt theologi ad regulam generalem. 1am Si sacerdos celebraturus Missam, sponte sua et ex mera liberalitate, condonet alteri partem stipendii; siquidem quilibet potest cedere de jure suo, et etiam sine ullo stipendio onus celebrandi in se suscipere. Abstinendum est

1. Decretum *Cum sæpe contingat* promulgatum a S. Congregatione Concilii, jussu Urbani VIII, hæc præ cæteris statuit : « Omne damnabile lucrum ab Ecclesia removere volens, prohibet (S. Congregatio) sacerdoti qui Missam suscepit celebrandam, ne eamdem missam alteri, parte ejusdem eleemosynæ sibi retenta, celebrandam committat. » Ut vero melius innotesceret sensus decreti, eadem S. Congregatio plura dubia resolvere studuit, hæc duo præsertim : « An permittendum sit administratoribus Ecclesiarum, ut retineant aliquam eleemosynarum portionem pro expensis manutentionis Ecclesiæ, altarium, inservientium, paramentorum, vini, hostiæ et similium? — An sacerdotes quibus aliquando offertur eleemosyna major solito pro celebratione Missæ, debeant dare eamdem integram eleemosynam iis quibus Missas celebrandas committunt : an vero satis sit ut dent celebrantibus eleemosynam consuetam? Ad Ium dubium respondit : Permittendum non esse ut Ecclesiæ, ac loca pia, seu illorum administratores, ex eleemosynis Missarum celebrandarum ullam utcumque minimam portionem retineant ratione expensarum quas subeunt in Missarum celebratione, nisi cum Ecclesiæ, et loca ipsa non habent alios redditus quos in usum earumdem expensarum erogare licite possint, et tunc quam portionem retinebunt nullatenus debere *excedere valorem expensarum quæ pro ipsomet Missæ sacrificio celebrando necessario sunt subeundæ.* » — Ad IIum dubium : « *Debere absolute integram eleemosynam tribuere sacerdoti celebranti, nec ullam illius partem sibi retinere posse.* » Decretum refertur ex integro apud Reiffenstuel in tit. DE CELEBRATIONE MISSÆ, lib. III Decret. — Cf. Bened. XIV, *Institutione* LVI.

tamen ab illa praxi, ne forte condonatio sit ore tenus liberalis, re autem ipsa moraliter coacta, metu displicendi suo Parocho, aut carendi honorariis. Idcirco decretum fuisse refert Benedictus XIV, Const. *Quanta cura*, § 3, sacerdotem non posse stipendium minoris pretii alteri Missam celebraturo erogare, *etsi eidem sacerdoti Missam celebranti et consentienti, se majoris pretii stipendium accepisse indicasset.* 2um Si constet excessum stipendii concessum fuisse sacerdoti, non intuitu Missæ celebrandæ, sed consideratione personæ. Non facile id præsumendum; contingere tamen potest, et casu obveniente non lædetur justitia stricta, si sacerdos aliquid sibi retinuerit [1].

585. — II. Notandum: 2° improbandam esse illorum agendi rationem qui eleemosynas Missarum undequaque colligere satagunt, et ad bibliopolam, seu ad ornamentorum liturgicorum opificem transmitti curant, ut ab eo libros seu paramenta, recipiant in remunerationem præstiti officii. Talis agendi ratio turpem quæstum sapit...; præterea scandalum fidelibus parit, qui audiunt sacerdotes sua lucra sectari, more negotiatorum, occasione stipendiorum Missarum...; tandem grave est periculum ne plures Missæ nunquam celebrentur, aut per longum tempus, contra donatorum intentionem, illarum celebratio protrahatur... Episcopi proinde jure ac merito possunt hæc suæ diœcesis clericis interdicere, sub comminatione censurarum [2].

Notandum: 3° ex praxi generali et declarationibus iterato datis a S. Congreg. Concilii, non concedi presbyteris qui facultatem habent iterandi S. Sacrificium ob necessitatem fidelium, diebus dominicis et festis, ut duplex stipendium recipiant. Regulis ea de re datis standum est; eo magis quod non liceat recipere stipendium occasione rei sacræ, nisi ex consensu expresso aut legitime præsumpto Ecclesiæ.

1. Cf. Viva in prop. IX, inter damnatas ab Alexandro VII.

2. S. Congregatio Concilii declarationes in eodem sensu dedit, die 31 Aug. an. 1874. V. *Acta Sanctæ Sedis* tom. VIII. pag. 107.

Die tamen 23 Mart. 1861, S. Congregatio censuit rescribendum : *Posse permitti prudenti arbitrio Episcopi aliquam remunerationem intuitu laboris et incommodi, exclusa qualibet eleemosyna pro applicatione Missæ.* Est certe labor extrinsecus et pluribus presbyteris haud leve incommodum in iteratione Sancti Sacrificii. Ratio præcipua cur interdictum sit recipere duo stipendia quando iteratur S. Sacrificium, est periculum turpis lucri quod nonnulli sacerdotes intenderent. (Cap. *Sufficit*, 53, dist. I, DE CONSECRATIONE. Cf. Const. Benedicti XIV *Quod expensis*, die 21 aug. 1748.)

586. — IV° *Utrum Episcopus disponere possit ut pars oblationum aliis cedat quam Ecclesiæ, aut Parocho cui factæ sunt?*

I. Episcopi debent regulariter dimittere oblationes fidelium Ecclesiis parochialibus, Parochis et vicariis, quibus factæ sunt, servato ordine in solutione quæstionis præcedentis indicato. Ratio, et regulæ generales ex jure depromptæ, id probant. 1° Standum est intentioni cognitæ aut legitime præsumptæ donatorum, qui de suis rebus cedunt prout sibi visum fuerit : porro, intentio fidelium est, ut quæ suæ parochiæ largiuntur, in illius usum impendantur ; inserviant nimirum impensis cultus publici, sustentationi ministrorum, sublevamini pauperum. 2° Titulares cujusvis Ecclesiæ habere debent suum beneficium sine diminutione, ut fert titulus juris, nempe XII libri III, cujus hæc est inscriptio : UT ECCLESIASTICA BENEFICIA SINE DIMINUTIONE CONFERANTUR ; at vero inter fructus beneficii computantur oblationes consuetæ, illæ præsertim quas canonistæ vocant *Jura stolæ*, quæ scilicet Parocho obveniunt ob titulum ipsum parochialem. 3° Canonibus statutum est, ut, « cum parœciæ limitatæ fuerint, singularum parœciarum « proventus in usus Ecclesiæ cederent necessarios et « stipendia ministrorum ». Hinc concludit Innocentius III Episcopum non potuisse conferre viris religiosis obventiones alicujus Ecclesiæ parochialis, reservata sustentatione

vicarii, « nisi de licentia Rom. Pontificis, præter capituli « sui voluntatem ». Cap) *Pastoralis*, 9, DE HIS QUÆ FIUNT A PÆLATO SINE CONSENSU CAPITULI, lib. III Decret.) Exinde nobis concludendum videtur Episcopum non posse, lege ordinaria, exceptis casibus jure aut consuetudine approbatis, disponere aliter de oblationibus quæ fiunt in Ecclesia parochiali.

587. — II. Quando redditus fabricæ parochialis minim sufficiunt honestæ sustentationi vicariorum, Episcopus pro videre potest, etiam ex oblationibus jure assignatis titulo parochiali, ut, parte congrua reservata Parocho, consultum sit necessitati presbyterorum qui ipsi in ministerium adjunguntur.

Concilium Tridentinum jus contulit Episcopis ut « etiam « tanquam Apostolicæ Sedis delegati, in omnibus Ecclesiis « parochialibus, in quibus populus ita numerosus sit ut « unus rector non possit sufficere..., cogant rectores... sibi « tot sacerdotes ad hoc munus adjungere quot sufficiant « ad sacramenta exhibenda, et cultum divinum celebran-« dum. » (Sess. XXI, cap. IV, *de Reform.*) Si Episcopus adjungat Parocho vicarios, consequens est ut illorum sustentationi consulat, *nemo enim militat suis stipendiis : dignus est operarius mercede sua*. Undenam providebit vicariis nisi ex redditibus fabricæ, ex oblationibus fidelium, ex fundationibus, vel tandem ex ipsis redditibus tituli parochialis, si alia non sufficiant, nec subsidia præstentur a municipiis? Unum superest ut « competens assignetur portio, arbitrio « Episcopi, ex fructibus ad Ecclesiam (parochialem) *quo-« modocumque* pertinentibus » ; quemadmodum idem concilium statuit pro nova parochia quæ ex prioris dismembratione formatur.

Hæc minime contraria sunt assertioni supra datæ; eò enim conspirant canones et mens præsumpta fidelium donatorum, ut oblationes quas faciunt Parocho, curæ generali Ecclesiæ præposito, inserviant bono communi

parochiæ, celebrationi cultus divini et necessitatibus presbyterorum eidem Ecclesiæ adscriptorum.

588. — III. Episcopus non potest, regulariter, disponere de oblationibus unius parochiæ, ut aliis parochiis, seu communitatibus, cedant. Canones statuunt sua cuique Ecclesiæ servanda, nec imponenda esse onera, præter casus jure præfinitos, quibus graventur parochiæ, lædantur jura titularium qui suo beneficio absque imminutione proventuum potiri debent, et res alio deriventur præter intentionem donatorum.

Utrum communi juri Episcopus aliquando derogare valeat, et res paulo aliter disponere ob peculiares locorum et temporum circumstantias, disputatum fuit occasione praxis quæ in diœcesibus Galliæ, a tempore instaurati cultus publici, invaluit, reservandi sextam partem proventus locationis sedium omnium Ecclesiarum parochialium, in gratiam sacerdotum infirmorum, seu ætate debilitatorum, quibus administratio diœcesana providet [1]. Alia praxis in nonnullis locis, præsertim Parisiis, obtinuit, certam partem oblationum ex funeralibus provenientium detrahendi, ut inde summa pecuniæ communis (*un fonds commun*) componatur, ad subveniendum, æqua proportione statutis diœcesis taxata, singularum parochiarum necessitatibus.

Ut solvatur quæstio proposita, nonnulla animadvertere oportet :

1° Episcopus, cui Sancta Sedes commisit regimen diœcesis, in spiritualibus et in temporalibus, providere debet singulis Ecclesiis diœcesis, ut ubique cura animarum habeatur, et celebratio cultus divini laudabiliter exerceatur : atqui contingere potest ut nulla alia ratio suppetat ad subveniendum necessitatibus, præter certam partitionem oblationum inter Ecclesias quæ opibus abundant et cæteras pauperiores quæ sibi sufficere nequeunt.

1. V. *Code des fabriques*, tom. II, pag. 217-219.

2° Concilium Tridentinum statuit : « In parochialibus « Ecclesiis quarum fructus adeo exigui sunt ut debitis « nequeant oneribus satisfacere, curabit Episcopus, si per « unionem beneficiorum id fieri non possit, ut primitia- « rum vel decimarum assignatione, aut per parochiano- « rum symbola ac collectas, aut qua commodiori ratione « ei videbitur, tantum redigatur, quod pro rectoris, aut « parochiæ necessitate, decenter sufficiat. » (Sess. XXIV, cap. XIII, *de Reform.*) Non sunt in statu præsenti beneficia simplicia quæ uniri possint parochiæ; non sunt primitiæ, nec decimæ quas Episcopus assignare valeat; præterea collectæ in locis pauperibus non sufficiunt ex hypothesi; superest igitur ut, ad præscriptum concilii, Episcopus *qua commodiori ratione ei videbitur* consulat necessitatibus parochiæ : porro, ratio commodior et persæpe sola efficax, est partitio oblationum de quibus agitur.

3° Hæc partitio consonat nonnullis dispositionibus juris canonici. Concilium Lateranense concessit Episcopis facultatem postulandi *subsidium charitativum;* nimirum, ut « pro multis necessitatibus quæ aliquoties superveniunt, « si manifesta ac rationabilis causa exstiterit, cum charitate « moderatum ab eis (suis subditis) valeant auxilium pos- « tulare ». (Cap. *Cum Apostolus*, 6, DE CENSIBUS, EXACTIONIBUS. Cap. *Conquerente*, 16, DE OFFICIO JUDICIS.) Concilium Tridentinum facultatem Episcopis tribuit providendi erectioni seminariorum, et lectioni sacræ Scripturæ in majoribus Ecclesiis faciendæ, per contributionem beneficiatorum civitatis ac diœcesis, seu per detractionem portionis alicujus ex fructibus integris beneficiorum quorumcumque et ex fabricis Ecclesiarum. (Sess. V, cap. I; sess. XXIII, cap. XVIII, *de Reformatione.*) Porro, licèt concilia Lateranense et Tridentinum non statuerint de casu quem in præsenti quæstione intendimus, suis tamen canonibus innuunt nequaquam alienum fore a sacra disciplina ut, necessitate urgente, provideatur ex redditibus parochiarum, aliis Eccle-

siis quæ non sibi sufficiunt, et sacerdotibus senio, aut infirmitate confectis, quibus non suppetunt alia media sustentationis.

4° Denique observare est quantitatem oblationum quæ occasione funeralium aliove titulo parochiis obveniunt, non determinari jure communi, nec consuetudine vim juris communis habente, sed statutis diœcesanis : ergo nihil obstat quominus Episcopus, sicut jure proprio posset illas oblationes imminuere, ita possit, ob gravem necessitatis causam, de illis statuere ut aliqualis repartitio fiat inter parochias diœcesis. Fideles qui easdem oblationes statutis præfixas dant, suas intentiones ad mentem Episcopi et ad diœcesis disciplinam censentur componere.

Auctoritas quam Episcopis tribuimus, cum oriatur a divina constitutione Ecclesiæ et a disciplina canonica, non est sub arbitrio potestatis sæcularis. Nemo catholicus dixerit auctoritatem primorum Pastorum ita coarctari privilegiis fabricarum lege civili constitutarum, ut earum arbitrio debeat dimittere conditionem presbyterorum qui munus vicariorum agunt in parochiis; ita nec sustineri potest jura Parochorum, quæ lege civili sanciuntur in oblationes fidelium, esse adeo absoluta ut Episcopi non valeant partem aliquam deducere ex parochiarum singularum proventibus, ad subveniendum necessitatibus cleri diœcesani. Hæc tamen gravibus difficultatibus implicata sunt in praxi apud nos, nec vitari possunt conflictus nisi res componatur ex condicto utriusque potestatis; siquidem index oblationum a fidelibus solvendarum pro functionibus exequiarum, et pars adscribenda fabricis, constituta fuerunt mutuo consensu Episcoporum et gubernii civilis[1].

1. *Actes de l'Église de Paris*, pag. 410-435. — Referuntur in diario *Journal des fabriques*, tom. XIV. pag. 346-352, quæ gesta sunt occasione statuti quo DD. Affre, Archiep. Parisiensis, novam rationem partitionis oblationum inter Parochos et vicarios edixerat, an. 1848. — Gaudry, *Traité de la législation des cultes*, tom. II, n° 559.

§ 3. *De Fundationibus.*

Tres sunt præsertim quæstiones circa fundationes : 1ª quid sint fundationes et quæ regulæ servari debeant in illarum acceptatione; 2ª quid cavendum ut obligationi onerum satisfiat; 3ª an et quo jure imminui possint onera fundationum.

*589. — I° *Quid sint fundationes; a quo, et quibus conditionibus, acceptari debeant?*

I. Fundatio est attributio boni temporalis facta instituto ecclesiastico vel regulari, sub conditione operis spiritualis, in perpetuum vel in diuturnum tempus præfinitum, præstandi. Fundationes in eo ab oblationibus differunt quod oblatio fiat occasione operis ad præsens, aut per breve tempus, peragendi, puta Missas per hebdomadam vel per annum celebrandi.

II. Fundationes acceptari necesse est ab administratoribus instituti cui res sub onere donatur. Si factæ sint per actus inter vivos, revocari possunt a donatore sicut aliæ quævis donationes, quamdiu acceptatæ non fuerunt, et rescinduntur si interea obierit donator; quapropter urget necessitas acceptandi fundationes quam primum moraliter fieri potest.

Superiores, seu administratores communitatis, rem deferre debent ad Episcopum, si agatur de instituto ecclesiastico; ad Prælatum regularem, si fundatio fiat in gratiam communitatis religiosæ. Rectus ordo et regulæ canonicæ vetant ne fundationes acceptentur absque prævio assensu Episcopi, seu Prælati majoris, cujus officium est invigilare ne communitates onerentur fundationibus quibus forte satisfacere non possent[1].

1. Decretum jussu Urbani VIII a S. Congregat. Concilii promulgatum, *Cum sæpe contingat;* — Bened. XIV, *de Synodo*, lib. XIII, cap. ultimum.

III. Hæc præsertim attendenda sunt ut acceptetur fundatio :

1um An Ecclesia parochialis, sacellum publicum, aliudve institutum cui fit donatio, valeat, pro numero presbyterorum qui ibidem regulariter sacra munia obeunt, et habita ratione cæterorum officiorum, aliarumque fundationum quibus jam gravatur, implere convenienter onera novæ fundationis.

2um An assignentur redditus sufficientes, non solum ut assecuretur stipendium consuetudine locali aut statutis diœcesanis taxatum, sed insuper ut fabrica conferat quæcumque ad celebrationem officii necessaria sunt, et ipsa bona in fundatione assignata gerat.

Majus stipendium postulatur pro celebrandis Missis in perpetuum, quam pro cæteris quæ adventitiæ seu *manuales* nuncupantur. Præterquod ipsummet onus quod assumitur in perpetuum, hujus augmenti rationem probat, opportunum est providere futuræ imminutioni bonorum, et accrescenti pretio victualium, ne labentibus annis redditus evadant impares, et urgeat necessitas reducendi numerum Missarum. Quoad vero onera ipsi fabricæ imposita, plus minusve gravant pro natura operis præstandi, et gestionis fundorum. Nulla fere sunt onera fabricæ, si bona constituantur in censibus annuis, et si fundatio requirat solummodo applicationem Missarum lectarum; si autem officia debeant ritu solemniori celebrari, aut si bona immobilia data sint Ecclesiæ, impensæ majores necessario incumbunt.

3um Si testator neglexerit consulere expensis necessariis, pro numero et gradu solemnitatis officiorum quæ exposcit, simul et reservationi in gratiam fabricæ statuendæ, Episcopus unum ex duobus eliget : aut fundationem non approbabit, vel cum hæredibus res ipsi erit componenda, ut cuncta ad normam juris et æquitatis redigantur.

Episcopus potest condere statutum generale, quo ordinatione stabili in futurum, declaret fundationes non accep-

tandas fore nisi sub certis conditionibus; hoc semel præfinito et promulgato, qui fundationes testamento constituunt merito præsumuntur ad præscriptum legis suas intentiones componere. Nisi autem lex præcaverit, aut, repudiata priori fundatione, nova ineatur ex mutuo consensu partium, titularis scilicet Ecclesiæ et hæredum, Episcopus non poterit jure proprio reducere numerum Missarum. Quæ SS. Pontifices statuerunt ea de re, afficiunt non solum fundationes jam factas et acceptatas, sed etiam nondum acceptatas, quod definitum fuisse testatur Benedictus XIV, *de Synodo*, lib. XIII, cap. ultimo, n° 19. De his mox iterum dicemus.

*590. — II° *Quid leges canonicæ præscripserint circa adimpletionem onerum fundationum ?*

Leges canonicæ ad promovendam observationem onerum fundationum, consignatæ reperiuntur, cum decisionibus variis Sac. Congregationis, in Constitutione Innocentii XII, *Nuper a Congregatione*, cujus hæc est summa :

1° Mandatur, sub obtestatione divini judicii, ut tot Missæ celebrentur quot, ad rationem eleemosynæ attributæ, fuerint præscriptæ ab eo qui eleemosynam tribuit, « ita ut alioquin ii ad quos pertinent, suæ obligationi non « satisfaciant, quin imo graviter peccent, et ad restitutio« nem teneantur. » (§ 3.)

Sacerdos qui, titulo fundationis, tenetur quotidie celebrare ad intentionem benefactoris, potest aliquando a celebratione vacare, concurrente legitima causa, puta infirmitatis aut devotionis; non potest autem his diebus celebrare divina mysteria pro aliis, accepto stipendio; quod si perduret infirmitas per tempus notabile, nec valeat, præ inopia, providere ut Missæ ab alio sacerdote legantur, adibit Episcopum ab eo recepturus normam agendi, ut legitimæ voluntati benefactorum satisfiat [1].

1. Cf. Bened. XIV, *de Sacrificio Missæ*, lib. III, sect. II, § XIX, XX.

2° Statuitur ut pecunia, seu bona mobilia Ecclesiis, tam sæcularibus quam regularibus data, cum onere perpetuo Missas celebrandi, ab his ad quos pertinet, quam primum investiantur in bonis immobilibus tutis et fructiferis, qualia sunt prædia rusticana, in illorum defectum immobilia urbana (§ 5, 6); si bona stabilia non reperiantur, vel non sinat gubernium civile bona data Ecclesiis aliter investiri, scilicet collocari, quam in emptione censuum publicorum, nimirum reddituum ab ærario publico constitutorum, ad illud medium recurritur, licet minus consentaneum sit canonibus, et praxi quam indicat S. Congregatio. — Si tandem hæc bona alienari contigerit, servatis regulis canonicis, pretium debet quantocius converti in alios fundos stabiles et frugiferos, cum expressa mentione oneris Missarum a fundatore impositi [1].

3° Prohibetur ne rectores Ecclesiarum eleemosynas manuales et quotidianas pro Missis celebrandis recipiant, nisi oneribus ante impositis per varias fundationes satisfecerint, vel intra tempus modicum satisfacere valeant, excepto tamen si tribuens eleemosynam consentiat ut Missæ quas postulat protrahantur ad tempus, quoadusque susceptis jam muneribus fuerit satisfactum. (§ 8, 10.) Cum autem dubitaretur quid intelligi deberet per *tempus modicum*, quod alii aliter interpretabantur, Benedictus XIV refert S. Congregationem respondisse *modicum tempus intelligi infra mensem* [2]. Servare debemus statuta et probatas consuetudines locorum.

4° Tenentur rectores, ad quos spectat, conficere, semperque in loco patenti retinere tabellam onerum perpetuorum et temporalium, litteris descriptorum. Insuper retinere debent in sacrario duos libros in quorum altero singula onera perpetua et temporalia, in altero autem

1. Cf. de Angelis, in tit. XIII, lib. III, n° 3.
2. *Institutione* LVI, n° 14. — S. Alph. de Liguori, lib. VI, n° 317, quæst. II.

Missæ manuales consignentur; diligenter notentur eleemosynæ receptæ, et Missæ quæ ad intentionem donatorum celebratæ sunt; de quibus omnibus, singulis annis, exactam rationem suis superioribus reddent. (§ 26, 27.)

5° Tandem, ne ullo unquam tempore, omnia et singula decreta, quæ fert Constitutio Innocentii XII, in oblivionem seu desuetudinem abeant, rectores, superiores, seu capitula Ecclesiarum sæcularium, illa retinere debent publice exposita in eorum sacrario. (§ 29, 30.)

Episcoporum est, quoad Ecclesias sæculares, invigilare in visitationibus, et extra visitationem, ut provideatur tum conservationi fundationum, tum adimpletioni onerum, et ea præscribere, ad mentem decretorum Pontificiorum, quæ expedire judicaverint ad hunc finem certius assequendum.

*591. — III° *Quandonam cessent, et quo jure imminui possint onera fundationum?*

Onera fundationis penitus cessant quando perit fundus, aut amittitur redditus ad executionem piorum operum destinatus, nisi ex causa culpabili amissio boni temporalis contigerit. Parochus, seu alius quivis rector loci sacri, qui innocens est negligentiæ qua periit fundus, non tenetur ad subeundum onera suæ Ecclesiæ, titulo fundationum, imposita; qui vero suum officium in servando fundo culpabiliter neglexerit, et in causa est cur titulus deperditus sit, aut præscriptione civili sublatus, tenetur in conscientia alios redditus, si possit, in locum priorum substituere.

Non cessat solo lapsu temporis, nec præscriptione, si fundatio facta sit in perpetuum, etsi per diuturnum tempus prætermissa fuerit, etiam cum bona fide, exsecutio operis pii agendi[1]. Nonnulli theologi olim asseruerunt animas

1. Sancta Sedes concessit fratribus Minoribus Sancti Francisci a Paula, ut perpetua onera Missarum in eorum Ecclesiis ultra 50 annos non durarent; quo elapso tempore pii benefactores participes fierent sacrificiorum quæ in universo Ordine pro benefactoribus in

defunctorum non diutius detineri purgatorio quam per decennium; ex qua opinione nonnulli illico deduxerunt annuum legatum, etiam perpetuum, pro anima defuncti relictum, non durare ultra decem annos. Quam opinionem arbitrariam, omni fundamento destitutam, condemnavit Alexander VII, proscripta propositione quæ est XLIII inter damnatas decreto 2 sept. 1665. Nec meliori titulo invocaretur beneficium præscriptionis : vetat æquitas quominus præscriptio currat contra non valentem agere; nec eidem æquitati consonum est titularem velle sua suorumve prædecessorum negligentia tutari, contra obligationes fundationi annexas, adeo ut redditibus temporalibus frui præsumat, dum se ab oneribus immunem prætendit.

* 592. — Omnes fatentur implenda esse omnia et singula onera fundationum, sive de numero Missarum, sive de aliis piis operibus agatur; siquidem hujusmodi onera acceptata sunt per contractum utrinque obstringentem. Episcopus non debet novum onus quod in fundatione non contineatur, imponere; sed invigilare tenetur ut conditiones acceptatæ religiose serventur. « Fundatio et donatio, « ait Fagnan, se habet per modum quasi-contractus ultro « citroque obligatorii, seu donationis sub modo, quam « cum Episcopus admiserit, et provisus, dum instituere- « tur, non recusaverit, non potest modo onus detrectare. » (In cap. *Ex parte*, n° 24, DE CONSTITUTIONIBUS.)

Verum contingere potest: 1° quod superior, ad quem spectabat, minus prudenter egerit acceptando fundationem cujus graviora sunt onera, ut facile inveniri possit qui velit ea exsequi; 2° quod redditus in fundatione constituti notabiliter imminuti fuerint tractu temporis, adeo ut non sint amplius sufficientes ad onerum fundationis exple-

genere offeruntur; sed Benedictus XIV, hæc statuendo, voluit de iis certiores fieri omnes qui onera perpetua Missarum religiosis hujus Ordinis demandant. (Const. *Paternæ sollicitudinis*, an 1749, *De Synodo*, lib. XIII, cap. ultimum, n° 13.)

tionem. Porro, in utroque casu, quæstio est an et quo jure onera imminui possint.

1° In primo casu recurrere necesse est ad Sanctam Sedem. Concilium Tridentinum (sess. XXV, cap. IV, *de Reform.*) concessit Episcopis ut in synodo diœcesana, itemque abbatibus et generalibus ordinum in suis capitulis generalibus, id statuant quod magis ad Dei honorem et cultum, atque Ecclesiarum utilitatem viderint expedire; sed S. Congregatio, Concilii interpres, declaravit decretum intelligendum esse solummodo de fundationibus tunc temporis, scilicet ante concilium, acceptatis, non vero de cæteris quæ in posterum constituerentur, et decreto jussu Urbani VIII promulgato, expresse prohibuit *ne Episcopi, aut Generales ordinum, onera ulla Missarum celebrandarum post concilium imposita reducant*. Ergo jure communi Episcopi indigent indulto apostolico, si velint reduci, aut commutari onera fundationum. (Bened. XIV, *de Synodo*, lib. XIII, cap. ultimo, n[is] 18-20.)

2° In secundo casu non una est omnium sententia. Plures concludunt ex decreto S. Congregationis, quamlibet reductionem onerum Missarum esse reservatam Sanctæ Sedi : alii sentiunt Episcopos posse, saltem indirecte, reducere numerum Missarum, reducendo contractum ad terminos æquitatis. Juxta illos, ipsomet jure naturali, ex regula scilicet contractuum, imminuta censentur onera fundationis, in casu de quo agitur.

Pacta, inquiunt theologi quorum sententiam refert S. Alph. de Liguori, non obligant ultra intentionem legitime præsumptam contrahentium : porro, partes non intendebant, nec præsumuntur voluisse, ut integra manerent onera in casu quo tractu temporis, eventu rerum, absque culpa administratorum, notabiliter minuerentur redditus pro eorumdem onerum impletione assignati, adeo ut sint nullatenus sufficientes... Si fundus perierit absque cujusvis culpa, fundatio extincta peremptaque foret : ergo a pari

si notabiliter minuatur, eo ipso proportionate cessat pars aliqua obligationum... Periculosum foret dimitti judicium de illa onerum diminutione singulis titularibus beneficiorum; non est vero inconveniens, nec legibus canonicis vetitum, si Episcopi, assumendo partes judicis, inquirant an talis sit bonorum imminutio, ut juxta recepti juris regulas sufficiat ad rescindendum contractum, vel saltem ad eumdem ad justi et æqui normam redigendum.

Ad decreta allata in oppositum, respondent judicium Episcopi non esse reductionem proprie dictam, quam S. Sedes sibi reservavit, sed simplicem declarationem cessationis obligationis ex natura contractus, ex regulis æquitatis, ex præsumpta intentione partium. Addunt eadem decreta statuere ad mentem concilii Tridentini, non de redditibus casu deperditis vel tractu temporis notabiliter imminutis, sed de nimio numero onerum ab initio susceptorum, et de redditibus etiam ab exordio insufficientibus, et declaratum fuisse non licere, absque interventu S. Sedis, reducere, re integra, onera Missarum ob illam tenuitatem reddituum, vel paucitatem sacerdotum qui possint aut velint eas celebrare [1]; quia Episcopi non debent pacta legitime inita rescindere, nec commutare ultimas fundatorum voluntates. — Tutius esset exquirere sensum S. Sedis.

* 593. — Quando Episcopus habet Indultum Apostolicum ad efficiendam onerum reductionem, hæc observare debet : 1° non reducuntur onera quæ stipulati sunt primi benefactores in ipsa fundatione tituli, nisi gravissima urgeat necessitas; 2° non devenitur ad reductionem obligationum Missarum, nisi aliorum onerum reductio non suf-

1. Cf. Fagnan, in cap. *Ex parte*, nis 20-30. — Monaceli, *Formularium legale practicum*; tom. IV, suppl. ad II tom. nis 467, 469. — S. Alph. de Liguori, lib. VI, n° 331, ad dubium IIum. — Bened. XIV, loco citato, n° 26. S. Congreg. respondit, sub Urbano VIII, Episcopum posse reducere onera Missarum quando ita conventum fuit in actu fundationis; dici potest includi implicite conditionem in casu de quo agimus.

ficiat; modo tamen facultates ex indulto apostolico concessæ protendantur ad omnia pia legata, piasve dispositiones inter vivos, quibus, exempli causa, eleemosynas pauperibus distribui, aut inopes virgines dotari, præcipiatur; si enim illæ facultates cohibeantur ad onera Missarum, « non « debet, uti animadvertit Benedictus XIV, Episcopus se « extendere, vel ad dotalia subsidia, vel ad eleemosynas, « vel ad quamlibet aliam dispositionem, ex ea juris regula « quæ docet facultatem ad certas res datam, ad alias « diversi generis produci non oportere. » (N° 22.) 3° Si reductio concedatur in Missis, reducere oportet ritum et solemnitatem, non vero numerum Missarum, quantum fieri poterit.

Nota. — Sancta Sedes non consuevit communicare Episcopis facultatem condonandi onera præterita quæ impleta non fuerint, nec consequenter id in Indulto reductionum censetur, nisi expressis verbis declaretur. S. Pontifex condonationem concedit per seipsum immediate, aut per Pœnitentiariam Romanam, seu per Congregationem Concilii, sed frequentius per Congregationem specialem fabricæ S. Petri, et tunc providet, prout in Domino magis expedire judicaverit, ex spirituali thesauro Ecclesiæ supplendo quidquid in oneribus implendis peccatum est : in suffragium autem et expiationem animarum pro quibus Missæ sacrificium offerri debuerat, congruum Missarum numerum celebrari quotidie mandat ab aliquibus capellanis, huic muneri addictis, in Vaticana Basilica, cujus fabricæ persolvitur modica compositio, ab eis solvenda qui condonationem exposcunt.

§ 4. *De Beneficiis*[1].

De beneficiis inquirendum habemus : 1° quid sint; 2° quid servandum in illorum erectione, unione et divisione;

1. Tit. DE PRÆBENDIS, 5, lib. III Decretalium.

3° quid item servandum in illorum collatione; 4° quandonam provisus inducatur in possessionem tituli; 5° utrum et quatenus valeat illum resignare aut permutare; 6° tandem utrum et quatenus teneatur impendere in pios usus superflua reddituum tituli.

* 594. — I° *Quid et quotuplex sit beneficium?*

I. Beneficium est jus percipiendi fructus ex bonis ecclesiasticis, quod clerico ad vitam tribuitur, propter officium spirituale, ecclesiastica auctoritate constitutum.

Duo complectitur beneficium : officium spirituale, v. g., celebrandi Missam, horas canonicas recitandi, et usumfructum boni temporalis officio spirituali annexum : quæ ut apertius exponantur, singulas partes definitionis prolatæ paucis evolvemus.

1° *Jus :* in beneficio duplex jus distinguitur, unum videlicet officii seu potestas exercendi munus spirituale; alterum per se temporale quod ad redditus temporales porrigitur : utrumque tamen est spirituale, primum ratione sui, postremum ratione muneris sacri cui annectitur et propter quod concessum est.

2° *Percipiendi fructus :* beneficium non confert plenam proprietatem, id est dominium boni ecclesiastici, sed usumfructum, nempe fructus rei et administrationem; quapropter clericus cui illud obtigit, debet bonum ecclesiasticum administrare ad præscriptum regularum canonicarum, et illud integrum suo titulo relinquere.

3° *Ex bonis ecclesiasticis :* bona ecclesiastica, in materia beneficiali, nuncupantur res temporales immobiles vel mobiles, Ecclesiis attributæ et auctoritate canonica annexæ officio spirituali. Sunt plerumque bona immobilia; at simul eo nomine veniunt oblationes fidelium, quando solvuntur ob titulum modo permanenti constitutum.

4° *Quod clerico ad vitam tribuitur.* Beneficium est perpetuum duplici sensu; primo quidem objective, quatenus semel constitutum, semper permaneat, licet successive a

pluribus sibi succedentibus possideatur; et hæc perpetuitas est essentialis beneficio; secundo autem, subjective, quatenus datum alicui clerico, ipsi servari debeat ad finem vitæ, et hæc perpetuitas, tametsi non ita essentialis, est fundata lege communi; ita scilicet quod, jure communi, et nisi aliter fuerit ordinatum in fundatione tituli, clericus suo officio privari non debeat invitus, sine gravi causa, servatis regulis.

Olim clerici perpetuo servabant officium ad quod ordinati fuerant, et sustentabantur e bonis Ecclesiæ cui erant adscripti. « Sanctorum canonum statutis consona sanctione « sancimus, ut sine titulo facta ordinatio irrita habeatur, « et in qua Ecclesia quis intitulatus est, in ea perpetuo « perseveret, » ait Urbanus II, cap. *Sanctorum*, 2, dist. LXX. Porro, quando facta est divisio bonorum Ecclesiæ in Episcopum, clericos, fabricas et pauperes, attributa fuit certa pars eorumdem bonorum titulis officiorum ecclesiasticorum, et inde nata sunt beneficia clericis assignata donec vitam agerent. Quæ lex hactenus permansit in disciplina communi Ecclesiæ, exceptis solum casibus pro quibus constiterit huic fuisse jure speciali, aut certa consuetudine, derogatum [1]. Hæc mox paulo fusius explicantur.

5° *Propter officium spirituale auctoritate ecclesiastica institutum:* id est a S. Pontifice vel ab Episcopo legitime erectum et collatum, secundum formam jure præscriptam. Nullum officium publicum in Ecclesia constitui aliter potest, nec alicui demandari, quam auctoritate competenti; non est autem auctoritas competens in foro ecclesiastico præter jus sacrum S. Pontificis et Prælatorum qui habent jurisdictionem fori externi.

Tituli qui exstant in statu præsenti Ecclesiarum Galliæ, habent rationem beneficii, licèt redditus qui ipsis in dota-

1. Perpetuitas, seu immovibilitas, tituli beneficialis, quoad Episcopatum, canonicatum et officium parochiale, admissa semper fuit in Galliis ab auctoritate sæculari, in præsenti rerum statu non secus

tionem adscribuntur, non proveniant ex bonis Ecclesiæ, sed ex ære publico, et ex donis fidelium.

Canonistæ tradunt communiter bonis ecclesiasticis accenseri oblationes fidelium quæ dantur vi tituli permanentis, juxta ordinationem Ecclesiæ : sic, exempli causa, decimæ quas fideles Parochis olim jure communi solvebant, reputabantur bona Ecclesiastica, in quo consentiunt omnes canonistæ, in suis commentariis tituli de PECULIO CLERICORUM, lib. III Decretalium. Rationem afferunt quod decimæ annexæ erant auctoritate canonica titulo parochiali. Porro, idem dici debet in statu præsenti de pensionibus a gubernio solutis, de supplemento quod dant plerumque municipia, de fructibus prædii ad titulum parochialem pertinentis, demum de oblationibus fidelium, datis ratione tituli parochialis, non ob functionem determinatam pastoris.

Quod ad pensiones attinet quas gubernium solvit Episcopis, canonicis et Parochis : 1° acceptantur ab Ecclesia ; 2° annectuntur, illius auctoritate, officiis canonice in perpetuum erectis ; 3° declarantur esse eorumdem titulorum dotationes. Cardinalis Legatus *a latere* dixit nomine Pii VII : « Declaramus ecclesiarum dotationem ex iis redditibus « conflatam fore qui ab ipso gubernio assignandi erunt « singulis Episcopis... Singulis vero Ecclesiis parochialibus « erigendis, pro congrua rectorum sustentatione, eos red- « ditus qui, ut in conventione statutum est, assignandi « erunt, iidem Episcopi loco dotationis habituros fore de- « clarabunt. » Decr. *Cum sanctissimus*, pro nova diœceseon circumscriptione.

Quo tempore prodiit decretum legati S. Sedis, gubernium non sibi onus assumpserat providendi dotationi capitulorum ; sed ex quo gubernium redditus assignavit in gratiam canonicorum, Ecclesia illos similiter acceptavit in

ac sub regimine veteri. Constans est ea de re jurisprudentia *Concilii Status*. (V. Villefroy. *Tr. de l'Administration du culte catholique*, v° Cure, n° XVI.)

dotationem titulorum. Sic ut unum exemplum afferamus, J. M. Champion de Cicé, arch. Ecclesiæ Aquensis, in decreto erectionis capituli, specialiter approbato a Card. Caprara die 25 nov. 1804, ita statuit : « Nous déclarons établir « et par présentes nous érigeons dans notre Église métro- « politaine un chapitre composé de neuf membres et de « nos trois vicaires généraux. Nous déclarons que la dota- « tion de notre susdit chapitre sera formée de revenus qui « vont être assignés par le gouvernement à tous les cha- « noines, et qui, comme nous l'espérons, seront suffisants « pour leur donner les moyens de soutenir décemment les « charges attachées à leur dignité, et d'en remplir les fonc- « tions. » Eodem modo statutum fuit ab aliis Episcopis.

Eodem pari modo ratiocinandum est de supplemento quod comitia districtus, municipia, vel fabricæ dant Episcopis, canonicis et Parochis; hoc enim titularibus donatur in complementum pensionis quæ æstimatur insufficiens.

De fructibus prædiorum annexorum domibus parochialibus, nullum suboriri potest dubium; sunt certe bona ecclesiastica.

Adjecimus tandem oblationes fidelium quæ vi statutorum vel consuetudinis dantur Parochis ratione tituli parochialis, quasque plures designant sub nomine *Juris stolæ.* Non constat apud canonistas an redditus stolæ reduci debeant ad bona industrialia seu quasi patrimonialia, an ad bona simpliciter ecclesiastica; sed controversia inter doctores ea de re exorta inde provenit quod non eamdem omnes habeant notionem Juris stolæ. Videntur plures habere pro redditibus stolæ, fructus concessos Parochis occasione functionis spiritualis, seu laboris personalis, cujusmodi sunt bona ipsi provenientia ex assistentia quibusdam functionibus ecclesiasticis, obsequiis, servitio funebri, etc.; unde, et merito quidem, communius tenent redditus stolæ, ita acceptos, esse bona industrialia, seu quasi patrimonialia. Nobis vero Jus stolæ proprie et

stricte sumptum, illud est quod Parocho adscribitur, non tanquam stipendium laboris determinati, neque præsentiæ personalis, sed ratione tituli parochialis, sicuti pensiones solutæ a gubernio, seu fructus prædii beneficialis. Si autem ita accipiatur, non dubium est quin referendum sit ad bona ecclesiastica [1].

Nihil igitur desideratur in titulis hodiernis, nec officium spirituale, nec bonum temporale ecclesiasticum officio in perpetuum canonice annexum, quominus reputentur vera beneficia; et ultimo concludimus sanctiones juris circa beneficia suas habere applicationes in statu præsenti Ecclesiarum Galliæ. Hanc conclusionem confirmant responsa Congregationum Romanarum, quæ haud semel declaraverunt « pensiones constitutas loco reddituum quos « beneficiarii antea percipiebant ex fundis, seu loco suo« rum beneficiorum, eas censeri redditus ecclesiasticos. » (S. Pœnitentiaria, 9 jan. 1823.)

*595. — II. Beneficia multiplicis speciei distinguuntur :

1° Ratione *officiorum*, alia sunt *majora*, beneficia nempe Episcoporum et aliorum Prælatorum jurisdictionem quasi episcopalem habentium, et alia *minora* quibus hæc jurisdictio non annectitur. Quamvis tamen sublimes illæ dignitates Patriarchatus et Episcopatus sint reipsa et quandoque dicantur beneficia, non solent in pœnalibus et in aliis quæ sunt strictæ interpretationis, comprehendi communi appellatione beneficiorum, ideoque dispensatio impetrata ad omnia beneficia, non extenditur ad Episcopatum, propter eminentiam dignitatis quæ est digna speciali nota. (Reiffenstuel, n° 21; Pirhing, n° 9.) — Alia insuper sunt *duplicia*, quæ habent curam animarum, vel jurisdictionem, aut præeminentiam, aut etiam administrationem, et alia *simplicia*, quæ ordinantur ad cultum divinum, et attributionibus memoratis carent. Hujusmodi sunt, jure com-

1. Reiffenstuel in tit. de PRÆBENDIS, et de PECULIO CLERICORUM, n^is 4-8; — Suarez, *de Censuris*, disp. XXII, sect. I, n° 29.

muni, plura beneficia quæ solum onus habent recitandi horas canonicas et Missas celebrandi. — Beneficia simplicia, dicuntur plerumque *non residentialia,* quia clericus ea possidens non tenetur residere in loco beneficii.

2° Ratione *personarum* quibus committuntur, sunt beneficia *sæcularia,* quæ clericis sæcularibus tribuuntur, et *regularia*, quæ religiosis reservantur.

Primitus non alia erant beneficia quam sæcularia; monachi vitam communem sub Abbatis regimine ducentes, bona sua temporalia in communi possidebant. Decursu temporum, cum Abbates cuncta suo nutu regerent, et periculosum videretur ne sua potestate abuterentur in detrimentum monachorum quibus aliquando vix necessaria dabantur, *Mensam abbatialem a Mensa conventuali* distinguere opportunum visum est; sicque titulo Abbatis certam tantum partem in perpetuum adscribi, cujus usum simul et administrationem haberet. Idem etiam ordinatum fuit pro quibusdam aliis officiis, quæ nonnullis religiosis committebantur, in cellis et capellis a conventu principali pendentibus, et hæc fuit origo beneficiorum regularium. Beneficia sæcularia fieri nequeunt regularia, et vicissim, absque speciali indulto Summi Pontificis, aut diuturna præscriptione.

Inter beneficia sæcularia et regularia medium quoddam tenent beneficia quæ dicuntur in *commendam,* quæ scilicet, quamvis fuerint sua origine et destinatione regularia, committuntur clerico sæculari, cum jure fruendi beneficio temporali, cum onere providendi conservationi domus religiosæ et congruæ sustentationi monachorum, si vita regularis servata sit in ea domo. Nulla supersunt apud nos beneficia commendæ, quæ olim ob temporum necessitates Ecclesia admittenda duxit, cum certo tamen moderamine; erat enim hæc ratio ordinandi beneficia multis certe incommodis obnoxia [1].

1. Prioribus sæculis nonnulla beneficia ecclesiastica, Ecclesiæ Episcopales et Abbatiæ, *commendata* sunt, ad tempus, clericis qui illorum

3° Ratione *modi* quo conferuntur, alia sunt *electiva*, alia *collativa*, alia *mixta* seu in *patronatu*. Electiva conferuntur per electionem, juxta regulas juris celebrandam et a superiore confirmandam; collativa conferuntur libera voluntate eorum ad quos spectat collatio, iis quibus ipsi voluerint, modo idonei sint; mixta seu *patronata*, conferuntur ab Episcopo, seu ab alio Prælato, ad præsentationem patroni. Beneficia curata aliquam rationem habent beneficiorum mixtorum quatenus scilicet, ex jure communi, non aliter conferenda sunt quam alteri ex renuntiatis dignis in concursu, uti alias exposuimus. (N° 236, t. I, p. 417.) In dubio, beneficium non præsumitur electivum, nec patronatum, sed collativum, quia electione et patronatu beneficia recedunt e statu primævo, et præjudicium affertur jurisdictioni ordinariæ Prælati, ad quem jure communi spectat collatio beneficiorum diœcesis.

administrationi providerent, donec facta fuisset electio futurorum titularium. Deinceps usus paulatim invaluit commendandi beneficia ad tempus diuturnum, vel etiam ad vitam, non jam quidem in favorem beneficii, sed potius clerici commendatarii, ut ex beneficii fructibus sustentaretur; quod fuit valde notabilis mutatio. Ecclesia potuit, procul dubio, ita de quibusdam beneficiis disponere ad providendum sive Episcopis e sua sede injuste expulsis, sive aliis Prælatis majoribus quibus non suppetebant sufficientes muneris redditus, modo conservationi et oneribus beneficii caute provisum foret. Potuit etiam conferre Prælatis, vel collegiis, bona quorumdam monasteriorum quæ infortunio temporum erant monachis deserta, quin effulgeret spes ea instaurandi. Non debet igitur in crimen verti Pontificibus quod monasteria, aliave beneficia, in *commendam* constituerint; verum dissimulari non potest graves exinde abusus ortos fuisse, et collapsam disciplinam plurium monasteriorum quæ prius majore fama claruerant; sed causa tot malorum fuit ambitio et cupiditas Prælatorum quibus nimis indulserunt adaugendo in dies numerum commendarum : quam ob causam concilium Tridentinum expetivit ut remedium malo afferretur. (Cap. *Ex supernæ*, 2, DE PRÆBENDIS, Extrav. comm. — Concilium Trid. sess. XXV, cap. XXI, *de Regularibus*. — Cf. Gohard, *Tr. des bénéfices*. tom. II, *des Abbayes en commende*. — Thomassin, part. II, lib. II, *de Commendis*.)

4° Tandem beneficia dividuntur in *manualia* et *perpetua*. Animadvertimus beneficia perpetua esse jure ordinario, nec auferri posse, nisi ex causis in sacris canonibus expressis; in quo omnes doctores consentire videntur. Sunt vero exceptiones apponendæ juri ordinario. Excipiuntur : 1° beneficia regularia, quæ Prælati regulares possunt pro nutu auferre, ob votum obedientiæ, vi cujus religiosi a voluntate sui superioris pendere debent. 2° Beneficia sæcularia in quorum constitutione id stipulatum fuerit, quando nimirum in ea conditione constituta sunt ex fundationis ordinatione ab Episcopo approbata; vel ita fuit a S. Pontifice determinatum, vel tandem immemorabili consuetudine inductum et firmatum. « Nihil obstat, ait Pirhing, « quominus sæcularia etiam quædam beneficia, per Papam « vel consuetudinem immemorabilem, vel in prima fun« datione, temporalia et ad nutum revocabilia instituan« tur. » In titulum DE PRÆBENDIS, n° 14. Idem canonista paulo ante dixerat « beneficia ad nutum revocabilia, « quæque in titulum perpetuum non conferuntur, defi« cere a ratione beneficii stricte sumpti (n° 4) » ; illa nihilominus vocat beneficia, in quo cæteros canonistas consentientes habet. Leurenius, proposita quæstione : « Num « beneficia vere manualia, seu ad nutum revocabilia, sint « vere beneficia? » respondet « dici posse et esse vere bene« ficia ».

Hæc cum ita sint, quæstio agitari potest an nostræ Ecclesiæ succursales recenseri possint inter beneficia. Sententia affirmans non caret probabilitate. Etenim, constitutæ sunt cum titulo permanenti, vi cujus presbyteri qui succursalium regimini præponuntur, ministerium spirituale ex officio exercent, non tamquam delegati (n° 232, t. I, p. 413); eidem officio annexa sunt in dotationem pensiones a gubernio solvendæ et alia bona temporalia : ergo nihil deesse videtur quominus dicantur vera beneficia, nisi quod ad nutum Episcopi revocabiles conferuntur, quod

quidem recedit a jure ordinario, non vero destruit ipsam essentiam, seu naturam beneficii. Concludimus Ecclesias succursales posse venire nomine beneficiorum manualium, latiori saltem sensu, in favorabilibus, et in iis quæ æquitate naturali ad publicam utilitatem constituta sunt. De pœnalibus idem pronuntiare non auderemus, quia etsi valde verisimilis nobis sit opinio quam exposuimus, non excedit tamen limites probabilitatis, et communius succursales non reputantur stricto jure vera beneficia.

596. — II° *Quid jure præscriptum sit pro erectione et unione beneficiorum?*

I. *Erectio* majorum beneficiorum reservatur Sedi Apostolicæ; beneficia minora erigi possunt ab Episcopis, vel a Prælatis qui potiuntur jurisdictione quasi-episcopali. V. g., Episcopus potest erigere beneficium simplex, et beficium cum cura animarum, Ecclesiam nempe parochialem. De canonicatibus alibi dictum est. (N° 386, p. 121.)

In erectione beneficiorum tria præsertim statuuntur : 1° titulus canonice constituitur, scilicet Ecclesia, seu ara Deo dicata, sub alicujus mysterii veneratione aut Sancti patrocinio; 2° determinatur officium spirituale quod titularis obire debeat in eadem Ecclesia; 3° dos competens assignatur, qua provideatur sustentationi clerici titularis, et adimpletioni oneris beneficii.

Fundator beneficii potest in actu fundationis apponere conditiones, quæ si approbentur ab Ordinario et aliunde non adversentur regulis canonicis, religiose servandæ erunt, tum ab hæredibus, tum a successoribus Ordinarii. « Ratio postulat, ut illis quæ bene constituta sunt contra« riis ordinationibus non detrahatur. Quando igitur ex « beneficiorum quorumcumque erectione seu fundatione, « aut aliis constitutionibus, qualitates aliquæ requiruntur, « seu certa illis onera sunt injuncta, in beneficiorum col« latione, seu in alia qualibet dispensatione, eis non deroge« tur. » (Concil. Tridentinum, sess. XXV, cap. V, *de Re-*

form.) Conditiones impossibiles, quæ nimirum sacris canonibus adversantur, pro non adjectis habendæ sunt.

597. — II. *Unio beneficiorum* fit servatis regulis sequentibus, jure præscriptis.

1° Unio, annexio, seu conjunctio beneficiorum, fieri potest triplici modo : 1° *Extinctione*, si, v. g., ex duabus parochiis fiat una, adeo ut ambo beneficia in unum tertium coalescant. Privilegia Ecclesiarum, eo modo unitarum, transferuntur ad Ecclesiam ex illa unione formatam. 2° *Subjectione*, si una Ecclesia alteri subjiciatur tanquam superiori, adeo ut ei adhærere debeat velut accessorium principali. Beneficium sic unitum amittit titulum quem prius habebat; acquirit vero naturam, qualitates et privilegia beneficii principalis. 3° Simplici duorum *Annexione*, adeo ut æque principaliter uniantur. Ambo suam naturam, et titulum conservant cum privilegiis et neutrum alteri subjicitur; sunt tantummodo sub uno rectore. Effectus hujusmodi unionis, quam *adæquativam* vocant, non alius esse videtur, nisi quod rector unius Ecclesiæ sit eo ipso rector alterius, et utrique pariter debeat providere. Ut vero dignoscatur quæ sit unio, an extinctiva, an æque principalis, attendi debet ad tenorem decreti et ad denominationem beneficii, quo nimirum titulo insigniatur.

2° Episcopi jus habent uniendi beneficia minora suæ diœcesis. Dicitur in capite *Sicut*, 8, DE EXCESSIBUS PRÆLATORUM, lib. V Decret. : « Sicut unire Episcopatus atque « potestati subjicere alienæ, ad Summum Pontificem per- « tinere dignoscitur; ita Episcopi est Ecclesiarum suæ « diœcesis unio et subjectio earumdem. »

Ad unionem beneficiorum non procedunt nisi urgeat necessitas, seu motivum grave, quod concludimus ex cap. *Exposuisti*, 33, DE PRÆBENDIS. Concilium Tridentinum declarat quidem Episcopos posse, etiam tanquam Sedis Apostolicæ delegatos, « facere uniones perpetuas quarum- « cumque Ecclesiarum parochialium, et baptismalium, et

« aliorum beneficiorum... propter earum paupertatem, et « in cæteris casibus jure permissis » ; sed non in alium finem id decernit nisi « ut Ecclesiarum status, ubi sacra Deo « officia ministrantur, ex dignitate conservetur ». (Sess. XXI, cap. V, *de Reform.*)

3° Eodem decreto concilii statuitur ut unio Ecclesiarum fiat « juxta formam juris, sine tamen præjudicio obtinentium ».

Quæ sint formæ juris novimus ex alio textu concilii, scilicet ex capite VI sessionis VII : « Uniones... quæ dein« ceps ad cujusvis instantiam fient, nisi eas ex legitimis, « aut alias rationabilibus causis, coram loci Ordinario vo« catis, quorum interest, verificandis, factas esse constite« rit, per subreptionem obtentæ præsumantur ; ac propte« rea nisi aliter a Sede Apostolica declaratum fuerit, « viribus omnino careant. »

Necessarium proinde est informare de commodo et incommodo, vocatis coram Episcopo quorum interest, ut plena libertate suas rationes exponant, sive unionem opportune fieri existiment, sive illam minime expedire arbitrentur. Quapropter, si parochia unienda sit capitulo, convocari oportet capitulum et parochianos, matriculariis Ecclesiæ parochialis repræsentandos : si duæ parochiæ simul uniendæ sint, convocabuntur matricularii utriusque Ecclesiæ. — Necessarium non est ad valorem unionis ut convocetur et intersit Parochus ; quod deducimus ex cap. *Si una Ecclesia*, 2, DE REBUS ECCLESIÆ NON ALIENANDIS, Clem. Ratio est, ait Schmalzgrueber, quod « cum unio non « sit sortitura effectum, donec beneficium uniendum vaca« verit, per mortem vel aliter, consequenter per eam pos« sessori nullum fit præjudicium... Si tamen rector bene« ficii uniendi hujus vacantis defensor, plebs, vel dominus « loci se unioni opponant, audiendi sunt, et causa quam « allegant examinanda. » (N° 190) [1].

1. Cf. *Ami de la Religion*, tom. XI, pag. 289-296, ubi referuntur

Lex quæ statuit ut causa unionis verificetur vocatis quorum interest, non idcirco requirit ut consentiant, sed solummodo ut convocentur et audiantur. Aliter dicendum de capitulo cujus consensus requiritur, ob rationes alibi allegatas, quoties de negotiis gravioribus Ecclesiæ cathedralis agitur. Si dissentiat capitulum, et Episcopus nihilominus existimet gravem rationem urgere, adire debet S. Pontificem cujus auctoritate negotium componetur.

*598. — III° *Utrum et quatenus Ecclesiæ parochiales uniri possint monasteriis, capitulis aut seminariis?*

Concilium Tridentinum indixit ne « Ecclesiæ parochia- « les monasteriis quibuscumque, aut abbatiis, seu dignita- « tibus, sive præbendis Ecclesiæ cathedralis vel collegiatæ, « sive aliis beneficiis simplicibus uniantur. » (Sess. XXIV, cap. XIII, *de Reform.*) Duo exinde dubia orta sunt : 1um an sit prohibitum unire parochias seminariis; 2um an Episcopus valeat eas unire capitulo Ecclesiæ cathedralis.

Ad I^{um} : canonistæ communius asserunt Episcopum non posse unire seminario beneficia parochialia; quod deducunt ex alio decreto ejusdem concilii, in quo facultas impertita Episcopis uniendi beneficia suis seminariis, restricta est ad beneficia simplicia, et ex variis decisionibus relatis apud scriptores [1]. Id intelligendum putamus de unione canonica proprie dicta, vi cujus seminarium acquireret titulum parochialem, haberet *curam habitualem*, rector parochiæ esset vicarius, bona denique et redditus parochiæ incorporarentur seminario in ipsius dotationem. Nihil autem vetat, ex parte hujus decreti, quominus Episcopus committat rectori seminarii curam parochiæ, si hæc unio existimetur profutura, tum parochiæ ad splendorem cultus et salutem anima-

reclamationes ex parte Parochi Carnutensis contra unionem parochiæ cum capitulo.

1. Riganti in regulam XIII Cancellariæ, n^{is} 91-94. — De Luca, discurs. XXXV, *de Parocho.* — Ferraris, v° *Seminarium*, n° 63. — Cf. *Mémoires du clergé*, tom X, 1816-1830. — Barbosa in cap. XIII conc. Trid., n° 11.

rum, tum seminario ad clericorum institutionem, ut olim pluribus in diœcesibus Galliarum ordinatum fuerat. Igitur secluso casu quo lex concursus ad assecutionem beneficiorum parochialium vigeret in diœcesi, videtur Episcopum posse, servata forma juris, unire parochiam seminario, in sensu restricto quem explicavimus.

Forma juris in eo casu servanda, esset deliberatio et assensus capituli, siquidem hæc ordinatio aliquatenus restringit in futurum jura Episcopi in electionem Parochorum. Præterea, si Episcopus velit unionem constabiliri, ut nihil immutetur sub suis successoribus, necesse est ut auctoritate Sanctæ Sedis firmetur.

Ad II[um]: Quod ad unionem Ecclesiæ parochialis cum capitulo spectat, animadvertendum est multiplici modo Ecclesiam parochialem posse uniri.

Vel parochia unitur dignitati aut præbendæ Ecclesiæ cathedralis, adeo ut qui hanc dignitatem seu præbendam assequitur, eo ipso constituatur Parochus, titulo inamovibili; vel unitur ipsi capitulo adeo ut capitulum censeatur Parochus, et parochiam regat per vicarium seu temporalem, seu perpetuum; vel unitur capitulo ea ratione quod Episcopus vi ordinationis stabiliter constitutæ, uni e canonicis a se electo curam parochiæ ipse demandet, munere revocabili, ut fit in pluribus Ecclesiis cathedralibus Galliarum.

Unionem priori et secundo modo ordinatam admittebat olim disciplina canonica; quod deducimus ex cap. *Extirpandæ*, 30, DE PRÆBENDIS, Clement., et ex cap. VII, sess. VII, *de Reform.*, concilii Tridentini; illam autem Episcopus non debet efficere in Ecclesiis ubi servata hactenus non fuit, quia obstat lex Tridentina. Nec etiam unionem altero modo explicatam efficere potest, jure proprio immutando statum parochiæ jam rite constitutæ, ut in futurum demandetur, instar succursalium, titulo ad nutum revocabili, uni ex canonicis capituli Ecclesiæ cathedralis. Præter quod parochia exinde destituitur suo titulo, Ecclesia cathedralis

ordinatur modo qui minus consentit cum jure communi et inauditus videtur sæculis præteritis.

Hæc notando non adducimus in disceptationem statum præsentem Ecclesiarum Cathedralium Galliæ de quibus modo ; non dubitamus enim quin Sancta Sedes sua suprema auctoritate firmaverit, quod Præsules nostri statuendum duxerant in instauratione sui capituli, attentis temporum circumstantiis, licet minus consentaneum regulis juris communis.

* 599. — IV° *Utrum et quatenus beneficia rite erecta possint dividi, aut dismembrari?*

Divisio beneficiorum locum habet quando ex uno beneficio plura fiunt : est simplex *dismembratio*, si quædam illius pars alteri beneficio annectatur.

1° Fas non est dividere beneficia, nisi id fiat auctoritate legitima, ex causis jure permissis, et servata forma canonibus statuta.

Indicitur in Decretalibus : « Ut sicut in magnis, ita quo« que in minimis membris suis firmatam Ecclesia unitatem « habeat, divisionem præbendarum, aut dignitatum per« mutationem fieri prohibemus. » Verba sunt Alexandri III, qui tamen in alia decretali concessit ut villa quædam a parochia separaretur atque in Ecclesiam erigeretur, quia nimium distabat, et hyemali tempore, cum pluviæ abundant, parochiani non poterant sine magna difficultate Ecclesiam adire et congruo tempore divinis interesse officiis. (Cap. *Majoribus*, 8, DE PRÆBENDIS ; cap. *Ad audientiam*, 3, DE ECCLESIIS ÆDIFICANDIS.) Ratio boni communis utrumque requirit ; ut conservetur quantum fieri potest integritas beneficiorum, et tamen fiat eorumdem divisio, si aliud medium non suppetat consulendi ædificationi fidelium.

2° Causa legitima divisionis est utilitas spiritualis fidelium, quod ex decisionibus S. Congregationis Concilii, et ex ipsiusmet concilii decretis ita exponendum videtur :

Divisio beneficiorum fieri non debet præcise ad augen-

dum splendorem cultus divini, si aliunde numerus clericorum sufficiens sit implendis obligationibus; nec ob augmentum parochiæ quæ multitudine fidelium abundat, si Parochus valeat, adsciscendo numerum competentem vicariorum, fidelium utilitati consulere ; nec tandem ob exiguitatem Ecclesiæ parochialis, quæ omnes parochianos continere non valet ; huic enim incommodo remedium affertur constructione alterius amplioris Ecclesiæ. Ita sæpius declaratum referunt Garcias, tract. *de Beneficiis*, part. XII, cap. III ; Pirrhus Corradus, *Praxis beneficiaria*, lib. III, cap. II, et cæteri plures. Ita concluditur ex concilio Trid., sess. XXI, cap. IV, *de Reform.*, pro casu quo Parochus solus non sufficit, sed providere potest sufficienter utilitatibus fidelium, si majorem numerum vicariorum sibi associet.

Ratio autem dividendi beneficium adest : 1° quando ob locorum distantiam, vel itinerum difficultates, parochiani non possunt commode Ecclesiam adire, ut sacramenta percipiant divinisque officiis tempore congruo intersint ; alioquin multi carerent subsidiis spiritualibus ; 2° quando ob nimiam multitudinem populi, Parochus non potest, etiam vicariis sibi in officium consociatis, suam parochiam convenienter regere ; 3° quando, ob male dispositos fines parochiæ, parochiani ægre ferunt necessitatem adeundi suam Ecclesiam locis remotiorem, et accessu difficiliorem, quam aliam Ecclesiam vicinioris parochiæ.

Inde concludendum dismembrationem non jam haberi tanquam remedium extremum ad quod recurratur tantum causa necessitatis moralis, sed tanquam medium providendi utilitati fidelium. Si adsit vera utilitas animarum et adsint aliunde sufficientes redditus quibus novo Parocho et parœciali Ecclesiæ prospici possit, decerni potest dismembratio ab Episcopo, nec facile improbabitur ex aliquo formalitatum defectu [1].

1. *Acta S. Sedis*, vol. VII, p. 35-47. Decl. S. C. die 16 sept. 1871 — vol. XII, pag. 292, decl. die 23 jan. 1879.

600. — Quod ad *dismembrationem* beneficiorum attinet, quæritur an possit pars territorii unius parochiæ adjungi alteri parochiæ vicinæ pauperiori?

Quando expedire judicatur detrahi partem territorii unius parochiæ, ob nimiam locorum distantiam, aliasve rationes modo expositas, Episcopus potest aut novam parochiam constituere, aut partem ex altera decisam adjungere viciniori parochiæ, quæ impar est, præ indigentia, subeundis oneribus cultus publici et sustentationis cleri.

Si Episcopo fas sit, ex principiis generalibus juris, dividere unum beneficium in duo vel plura, cur illicitum diceretur parochiam jam existentem, nec sibi sufficientem, sublevare novis territorii incrementis, si aliud non suppetat medium subveniendi parochiæ pauperioris necessitatibus, et alteri parochiæ ditiori sufficienter consultum sit?

Episcopi aliquoties immutandos statuerunt limites parochiarum vicinarum ad communem illarum utilitatem[1].

* 601. — IV. Modus servandus in divisione, et in dismembratione officii, idem est qui in peragenda unione beneficiorum; cum hoc discrimine quod convocari debeat, coram Ordinario loci, rector Ecclesiæ, cujus maxime interest suas rationes, si habeat, opponere.

Quibusdam visum est satius fore, ut plura impedimenta vitentur, expectare donec vacaverit beneficium; sed id cum sacris canonibus non consentit. Vetant leges ne Ecclesia spolietur, dum vidua est suo rectore, et si urgeat aliqua ratio necessitatis, requirunt ut assignetur ei defensor qui illius causam tueatur. (Cap. *Dudum*, 1, DE REBUS ECCLESIÆ NON ALIENANDIS, in VIo.)

Cæterum, etsi necessarium sit vocari Parochum, non tenetur Episcopus habere illius consensum, siquidem concilium Tridentinum statuit, in decretis præcitatis, Episcopum posse dividere parochias, *invitis rectoribus*, et assignare

1. Dismembrationem et unionem in hunc finem factam approbavit S. Congreg. 23 ap. 1864. *Acta S. Sedis*, vol. I. p. 524.

sacerdotibus, qui erunt Ecclesiis noviter erectis præficiendi, competentem portionem ex fructibus ad Ecclesiam matricem quomodocumque pertinentibus. (Cap. IV, sess. XXI.) Hæc olim servabantur in Galliis, et recens vidimus in diœcesi Parisiensi ita fuisse factum. « Si les revenus de la « cure sont considérables, *aiebat* Gohard, et que le démem-« brement soit jugé, non pas plus commode au peuple, « mais nécessaire, l'Évêque peut en retrancher une partie « pour en composer la dot du nouveau bénéfice, pourvu « néanmoins qu'il laisse à l'ancien titulaire de quoi subsis-« ter convenablement ; auquel cas le titulaire aurait tort « de se plaindre, ou de demander un dédommagement, « parce que, si on lui ôte une partie de son revenu, on le « décharge aussi d'une partie de son fardeau, et que le « salut public est la loi souveraine à laquelle tout intérêt « particulier doit céder. » (*Traité des bénéfices*, tome Ier, page 771.)

Beneficiarius qui se reputat injuste gravatum sententia Episcopi, sive existimet defuisse rationem sufficientem, sive prætermissas fuisse formas præscriptas, appellare potest ad metropolitanum ; aut, si sub jurisdictione metropolitani constituatur beneficium, ad S. Pontificem. Appellatio non habet effectum suspensivum sed duntaxat devolutivum, quia, vi decretorum concilii Tridentini, Episcopus procedit *sublato appellationis obstaculo*. Ita Fagnan, in cap. *Ad audientiam*, n° 12, DE ECCLESIIS ÆDIFICANDIS, lib. III ; Barbosa, *de Potestate Episcopi*, allegatio LXVIII, n° 3 ; Schmalzgrueber, in tit. DE PRÆBENDIS, n. 208.

602. — Hæc de erectione et divisione beneficiorum dicta sunt ad normam juris communis ; quoad Ecclesias Galliarum attendere debemus ad art. IX Concordati an. 1801, qui ita statuit : « Episcopi, in sua quisque diœcesi, novas « parochias circumscribent ; quæ circumscriptio suum non « sortietur effectum, nisi postquam consensus gubernii ac-« cesserit. »

Quæstio mota est circa sensum et extensionem hujus articuli, utrum scilicet circumscriptio quam fecerit prima vice Episcopus, aut quam hodie facere vellet inconsulto gubernio, vi careret, non solum quoad ordinem civilem, sed etiam quoad ordinem canonicum.

Arbitramur articulum sumendum esse in sensu absoluto, quoad utrumque ordinem, canonicum simul et civilem. Articuli Concordatorum sumi debent in sensu obvio, sensu naturali verborum, spectata natura rerum, communi consuetudine, et intentione præsumpta partium contrahentium : atqui verba *circumscriptio non sortietur suum effectum*, non attingunt solummodo effectus civiles qui sunt aliquid secundarium, sed etiam et magis directe canonicitatem erectionis tituli et jurisdictionem ordinariam eidem titulo annexam, quæ est effectus proprius atque immediatus circumscriptionis, quando fit juxta regulas canonicas. Ea procul dubio mens erat partium contrahentium, quæ non intendebant aliam esse circumscriptionem parœciarum et diœceseon pro foro ecclesiastico, aliam pro foro civili.

Hæc interpretatio non restringitur ad primam circumscriptionem, quæ fieri debuit post concordatum. Etenim : 1° Concordatum est regula permanens juris canonici pro Ecclesiis Galliarum, quoadusque illi derogatum fuerit legitima auctoritate ; 2° non patitur ratio, nec æquitas servanda in practica interpretatione Concordati, ut circumscriptio quæ aliter fieri non potuit quam mutuo consensu Episcopi et gubernii, immutari deinde possit pro solius Episcopi arbitrio. Ergo Episcopus valebit quidem delegare jurisdictionem presbytero, cui talem partem diœcesis regendam demandare voluerit, sed non aderit titulus canonice erectus, cui annectatur jure communi jurisdictio ordinaria cum perpetuitate officii ad vitam titularis.

De erectione ac divisione succursalium dubium moveri potest, an comprehendantur in regula generali ; quidquid

vero speculative dicatur, in praxi vix possibile videtur ut fiant succursalium erectiones, nec divisiones stabiles, absque consensu mutuo Episcopi et gubernii, ut patebit infra, ubi dicetur de administratione temporali bonorum Ecclesiæ.

603. — V° *Utrum et quatenus beneficia gravari possint onere pensionis?*

Pensio est jus alicui concessum percipiendi portionem aliquam fructuum ex alieno beneficio, ad tempus, vel in perpetuum.

1° Certum est S. Pontificem posse imponere pensionem, etiam perpetuam, beneficiis ecclesiasticis; licèt enim non sit dominus beneficiorum, neque illorum fructuum, sed solum administrator et dispensator, dispositionem tamen habet omnium Ecclesiarum, dignitatum aliorumque beneficiorum, ut de iis in bonum Ecclesiæ catholicæ, et Ecclesiarum particularium necessitates statuat, prout in Domino sibi visum fuerit. (Cap. *Licèt*, 2, DE PRÆBENDIS, in VI°; Pirhing, in tit. XII, lib. III, n° 9.)

2° Certum est Episcopum non posse imponere beneficiis pensionem in perpetuum. Ita unanimiter canonistæ, qui suam sententiam deducunt ex decreto concilii Lateranensis II, quo præceptum fuit « ut clerici absque imminutione « aliqua, collata sibi dignitate et beneficio perfruantur ».

Æquum est ut qui solus sustinet onera officii, solus etiam fruatur fructibus eidem officio attributis, exceptis casibus jure prævisis, de quibus diximus in solutione quæstionum præcedentium et aliis de quibus superest ut nonnulla notentur. — Hæc consideratio magis adhuc urget quando agitur de beneficio curiali; valde enim refert ad bonum animarum ut pastor per copiosiores eleemonysas subvenire valeat necessitatibus populi, ut notatur in decreto Innocentii XII. Quando attenditur ad curam pastoralem nulla congrua satis ampla judicatur, ut tot necessitatibus provideatur.

Quamvis disciplina concilio Lateranensi constabilita,

ubique obtinuerit à prima ætate qua instituta fuerunt beneficia, exceptionem tamen admiserunt sanctissimi Præsules, et sua agendi ratione confirmaverunt SS. Pontifices, nedum in gratiam clericorum qui diu utiliterque operam dederant Ecclesiis, quas subinde, senio aut laboribus confecti, deserebant, quin etiam indulgendo aliis qui pro suis criminibus e sua sede dejecti fuerant. Ita fecisse leguntur, inter cæteros, S. Gregorius Magnus, S. Gregorius VII et Innocentius III. Hujus rationis agendi motiva allegavit S. Gregorius Magnus in ep. 53 ad Maximianum Syracusanum, lib. III : *Nimis impium est, si alimentorum necessitati post vindictam subjaceat* [1].

604. — Ob similes causas, Episcopus potest, ex communiori doctorum sententia et ex praxi, imponere beneficio pensionem temporalem quæ ad vitam beneficiarii gravati duret, quod deducitur ex cap. *Nisi essent*, 21, DE PRÆBENDIS. An vero possit imponere pensionem ad vitam pensionarii, ita ut si beneficiarius, in cujus beneficio constituta est, decedat ante pensionatum, onus transeat ad successorem, controvertitur. Communissime negant canonistæ, quorum opinionem Fagnan pluribus argumentis demonstrare enixus est in suo commentario canonis *Nisi essent*, nis 48-65 et Reiffenstuel, in tit. XII, nis 92-99. Ratio est, juxta illos, quod Sancta Sedes non toleraverit pensionem constitui ab Episcopo nisi ad vitam beneficiarii gravati, ne beneficium videatur divisum, si beneficiario defuncto, onus transeat ad successorem. Istius modi onus beneficio impositum contrarium est regulæ generali juris quæ requirit ut beneficia sine diminutione conferantur. Plures aliter sentiunt, et textus juris invocant in suæ opinionis defensionem, qui thesim certo non probant. Inter hæc Pirhing animadvertit usu saltem receptam videri sententiam affirmativam in quibusdam casibus, quidquid sit de jure stricto; quod et Schmalzgrueber

1. Cf. Gohard, tom. III, pag. 572.

eodem sensu asserit : « Dicendum, inquit, saltem vi con« suetudinis, Episcopos posse imponere pensiones, ad pen« sionarii vitam se extendentes. » (Pirhing, nº 10; Schmalzgr., nº 8 in tit. XII, lib. III.)

Cæterum in Galliis, ubi non sunt beneficia præter Episcopatus, canonicatus et Parochias, res alio modo componitur qui difficultatem canonicam removet. Non loquimur de Episcopis qui suæ sedi renuntiant; ipsis confertur canonicatus capituli Sancti-Dionysii, aut pensio annua assecuratur a gubernio.

Canonici non resignant suum beneficium ob causam infirmitatis; si alia ratione cogantur illud dimittere, Episcopus non potest ex officio imponere pensionem præbendæ vacaturæ, quæ tota consistit in pensione solvenda a gubernio et vix sufficit ad congruam sustentationem titularis. Providetur necessitatibus beneficiarii resignantis, ex bonis de quibus disponit curia Episcopalis, vel postulatur pensio, quam ordinarie confert gubernium civile, præsertim si resignans sit provectæ ætatis.

Quod ad parochias attinet, Episcopus non potest imponere pensionem titulo parochiali, qui plerumque vix est sufficiens Parocho, ut munus suum decenter expleat, neque redditibus parochiæ quorum administratio fabricæ commissa est. Ipsamet fabrica jus non habet constituendi pensionem in futurum, ad vitam Parochi resignantis duraturam; sed nihil obstare videtur quominus præstet subsidium fixum pro anno currenti, cum intentione illud prorogandi quotannis, quandiu necessitas exegerit. Ita satis sæpe providetur non solum Parocho resignanti beneficium, sed vicariis, imo et famulis seu operariis, qui per tempus notabile laudabiliter inservierunt.

Nihil est, in tali ordinatione, quod adversetur Decreto Innocentii XII, die IIª novembris an. 1692, prohibentis ne Ecclesiæ parochiales in posterum graventur oneribus pensionum, et ne admittantur resignationes beneficiorum pa-

rochialium cum reservatione pensionum, ad cujuscumque favorem, et sub quocumque titulo, etiam præstationis alimentorum.

Nota. Pensiones extinguuntur morte pensionarii, voluntaria renuntiatione, professione religiosa, qua clericus privatus fuisset beneficio, si ad tempus usque professionis illud retinuisset.

605.—VI° *Quid jure servandum in collatione beneficiorum?*

In collatione beneficii attendendum est maxime ad *idoneitatem promovendorum*, ad *jura patronorum*, ad regulas canonicas de *incompatibilitate beneficiorum*, demum ad *formam collationis*.

1. *De idoneitate clericorum* ad beneficia diximus in Iª parte *Prælectionum* (nis 290, 291, 292, t. I, p. 502 et seq.). Unum addemus, scilicet clericos idoneos assumendos esse ad officia ecclesiastica, cujusvis nationis sint; anteponendos tamen indigenas exteris, cæteris paribus.

Innocentius III conquestus est de patriarcha Constantinopolitano qui nullos in clerum suæ ecclesiæ præter Venetos admittebat, non attendens quod, in omni gente, qui facit justitiam acceptus est Deo, nec sanctuarium Dei convenit jure hæreditario possideri. Quocirca, scripsit ad legatos Sedis Apostolicæ : « Mandamus quatenus moneatis « eumdem, ut viros litteratos, et alias idoneos, undecum- « que originem duxerint, in prædictis Ecclesiis et maxime « in majori, instituere non postponat, alioquin indignum « se reddet, ut vos aliarum clericos nationum ad ejus obe- « dientiam compellatis. » (Cap. *Ad decorem*, 5, DE INSTITUTIONIBUS, lib. III Decret.)

Id vero non obstat quominus anteponendi sint, cæteris paribus, indigenæ alienigenis; quod olim servabatur regulariter in ipsa electione Episcoporum, uti testatur sanctus Cœlestinus Papa, scribens ad Episcopos provinciæ Viennensis : « Nec emeritis in suis Ecclesiis clericis, ait, pere- « grini et extranei, et qui ante ignorati sunt, ad exclusio-

« nem eorum qui bene de suorum civium merentur testi« monio, præponantur [1]. » Ad eamdem disciplinam alludit Innocentius III, in alia epistola decretali : « Cautum, « inquit, reperitur in canone, ut tunc alter de altera Eccle« sia eligatur, cum nullus in propria fuerit repertus ido« neus. » (Cap. *Cum nobis*, 19, DE ELECTIONE, lib I Decret.) Quod de electione Episcoporum observabatur, idem etiam et a fortiori de clericis inferioribus in praxi obtinuerat ob rationes a sancto Cœlestino allegatas. Melius nosse præsumitur indolem atque utilitates incolarum, qui inter ipsos a prima ætate conversatus est. « Qui de gremio Ecclesiæ « assumitur, ait sanctus Thomas, in pluribus consuevit « esse utilior ad bonum commune, quia magis diligit « Ecclesiam in qua est nutritus ». (2ª, 2ª quæst. 63, art. 2, ad 4). In ea insuper stabilius permanet, dum extranei plures remeare intendunt ad propria, cum suum finem assecuti fuerint. Qui igitur de gremio diœcesis assumitur, merito reputatur, cæteris paribus, dignior; magis utique parochiis, et aliis officiis clericalibus utilis est [2].

606. — II. De *juribus patronorum* pauca notabimus, cum vix supersint apud nos vestigia patronatus in materia beneficiali [3].

1. D. Coustant, *Epistolæ RR. PP.*, pag. 1070.

2. Cf. Fagnan in cap. *Cum dilectus*, DE CONSUETUDINE. — Thomassin, *Vetus et Nova Disciplina*, part. II, lib. I, cap. CIII. — Ferraris, vº *Beneficium*, art. v, nº 44.

3. Canonistæ multa disserunt de juribus et obligationibus patronorum; item de acquisitione, transmissione et extinctione juris patronatus, in suis commentariis tituli XXXVIII, DE JURE PATRONATUS, lib. III Decretalium.

Jura veterum patronorum suppressa sunt vi constitutionis apostolicæ, qua instauratus fuit, anno 1801, status præsens Ecclesiarum Galliæ. Nihil obstat quominus nova jura acquirantur, positis ponendis; sed cum hæc videantur aliena a moribus hodiernis, præsumi non debent, sed constitui pactis et ordinationibus positivis. Quid leges nostræ civiles concedant fundatoribus et benefactoribus Ecclesiarum aut capellarum parochialium, dicemus infra. (Nº 636.)

Ecclesia plures prærogativas largita est fundatoribus et benefactoribus beneficiorum, in signum grati animi, et ad excitandum zelum fidelium in constituendo pias fundationes. Ipsis præsertim concessit jus nominandi personam cui beneficium vacans conferri debeat, modo tamen idonea reperiatur. Si plures sint patroni, nec consentiant in eumdem, ille præfertur ex præsentatis cui major pars votorum suffragatur; si paria sint vota, Episcopus potest, cum tempus jure præfixum advenerit, eligere inter duos aut plures præsentatos, quem maluerit; quod similiter agere ipsi fas est, si forte patronus plures successive præsentaverit. (Cap. *Cum autem*, 24, DE JURE PATRONATUS, lib. III Decretalium.) Legitime præsentatus, modo dotibus canonicis instruatur, jus habet ad beneficium adipiscendum, adeo ut collatio alteri facta nulla et irrita declaretur.

Jus patronatus triplici titulo acquiritur: 1° *Privilegio* Sanctæ Sedis quæ illud quandoque magnatibus concessit, ob illorum in Ecclesiam merita. 2° *Fundatione, constitutione*, seu *dotatione* alicujus Ecclesiæ, capellæ, aut beneficii, uti statuit concilium Tridentinum. (Sess. XIV, cap. XII; sess. XXV, cap. IX, *de Reform.*). Si unus beneficium fundaverit, donando aream, seu fundum; alter suis sumptibus ædificium construxerit: alter dotem competentem assignaverit, hi tres participant in solidum jura patronatus. « Quæritur, « ait Card. Soglia, an fundatione de consensu Episcopi ab- « soluta, jus patronatus adquiratur, quamvis fundator in « suæ fundationis tabulis jus illud sibi expresse non reser- « vaverit. Jam vero certum exploratumque est in Ecclesiis « cathedralibus, et collegiatis, jus patronatus non acquiri, « nisi expresse reservatum et Apostolica auctoritate pro- « batum sit...; sed quod ad inferiores Ecclesias et beneficia « pertinet, magis recepta sententia est jus patronatus jure « ipso inesse fundationi Ecclesiæ, vel dotationi, ut proinde « cum Ordinarius in fundationem et dotationem consense- « rit, consensisse etiam in jus patronatus fundatori, vel do-

« tanti tribuendum censeatur, nisi fundator expresse aut « tacite eidem juri renuntiaverit; expresse quidem per ta- « bulas, seu scripturas, aut aperta verba; tacite vero per « non usum, veluti si fundator diu passus est Ecclesiam vel « beneficium pluries ac libere ab Episcopo conferri. » (*Institutiones juris privati*, lib. II, cap. III, § 102.) 3° *Præscriptione* etiam acquiritur jus patronatus; quæ præscriptio statuitur « ex multiplicatis præsentationibus per anti- « quissimum temporis cursum, qui hominum memoriam « excedat », uti fert decretum concilii Tridentini. In iis vero personis, seu communitatibus, vel universitatibus, in quibus id jus plerumque ex usurpatione potius quæsitum præsumi solet, plenior et exactior probatio ad firmandum titulum requiritur : « nec immemorabilis temporis probatio « aliter eis suffragatur, quam si, præter reliqua ad eam ne- « cessaria, præsentationes etiam continuatæ, non minori « saltem quam quinquaginta annorum spatio, quæ omnes « effectum sortitæ sint, authenticis scripturis probentur », ex præscripto ejusdem concilii. (Sess. XXV, cap. IX.)

Jus quod multis principibus, vi concordatorum, comparatur nominandi ad sedes episcopales, analogiam habet cum jure patronatus, eique non sine ratione æquiparatur [1].

607. — III. De *multiplicitate beneficiorum* hæc animadvertenda sunt :

1° Clerici olim uni Ecclesiæ, cui servire deberent, sua ordinatione adscribebantur. Cum beneficia ab ordinatione sejuncta esse cœperunt, interdixerunt leges canonicæ ne eidem clerico plura conferrentur beneficia, quia unus non potuisset plura simul officia in diversis Ecclesiis gerere. Cum autem lapsu temporum imminuti fuissent beneficiorum redditus, oportuit aliquo moderamine uti, solvendo clericos

1. Jure patronatus potitur, ex litteris Apostolicis, præses, seu rector Gallici imperii in Ecclesia insigni S. Dyonisii, ut ad illius nominationem eligantur Primicerius et canonici, aliique e capitulo. (Breve *Sancti Dyonisii*, 12 oct. 1872).

a lege residentiæ quoad quædam beneficia, lege firma remanente pro cæteris; et exinde orta est distinctio inter beneficia *incompatibilia* et *compatibilia*.

2° Beneficia quæ habent curam animarum, aut quæ officium conferunt, onus residentiæ personalis important et dicuntur incompatibilia; quapropter duo ex hujusmodi beneficiis eidem clerico conferri non possunt. Si clericus duo successive receperit, primum ipso jure vacat, et si utrumque retinere voluerit beneficiarius, illum utroque privandum sanxerunt jura, super quibus solus S. Pontifex dispensare potest. (Cap. *Execrabilis*, DE PRÆBENDIS, Extravag. Joan. XXII.—Concilium Tridentinum, sess. XXIV, cap. XVII, *de Reform.*)

3° Beneficia quæ, nec natura officiorum ipsis annexorum, nec conditionibus fundationis, residentiam personalem requirunt, non sunt incompatibilia.

Concilium statuit ut in posterum unum tantum beneficium ecclesiasticum singulis conferatur; addito tamen « quod, si ad vitam ejus cui confertur honeste sustentandam « non sufficiat, liceat nihilominus aliud simplex sufficiens, « dummodo utrumque personalem residentiam non requi« rat, eidem conferri ». Regula igitur generalis est clericum non posse plura beneficia, etiam simplicia, retinere, si unum habeat sufficientes redditus, ut clericus honeste ac decenter vivat. « Sed nunc, subjungit Devoti, ex consue« tudine ubique recepta, nemo in foro controversiam pati« tur, quod duo beneficia simul possidet, etiamsi unum « satis præbeat ad vitam honeste traducendam, modo « utrumque residentiam non requirat. » (Lib. II, tit. XIV, sect. I, § 17.) Quid de illa consuetudine dicendum, non est nobis inquirendi locus, cum hæc locum non habeant in statu præsenti Ecclesiarum Galliæ.

608. — IV. De *collatione beneficiorum* notare est illa conferri electione, concursu et collatione libera.

De electione diximus in Iª parte, ubi de electione

S. Pontificis et Episcoporum. Regulas canonicas de concursu instituendo pro beneficiis parochialibus exposuimus in eadem parte, in sectionc de Parochis. Superest ut de forma servanda in collatione quædam addamus.

Jure communi nulla forma specialis præscribitur in collatione beneficiorum. Sola regula generalis, praxi constanti omnium Ecclesiarum recepta, est nullum beneficium conferri sine litteris authenticis quibus voluntas collatoris et ipse actus collationis, absque ambiguitate significetur, adeo ut nullus admittendus sit in beneficii possessionem sine eisdem litteris expeditis et exhibitis. Litteræ præferunt nomen atque dignitatem collatoris; exprimunt titulum atque naturam beneficii, Ecclesiam ubi situm est, nomen clerici cui confertur, diem et annum quo perfecta est collatio, cum subscriptione collatoris, sigillo plerumque munita, aut saltem subscriptione cancellarii.

Bonifacius VIII interdixit, constitutione perpetuo valitura, ne Episcopi et alii prælati superiores, qui apud Sedem Apostolicam promoventur, aut ab ea munus confirmationis recipiunt, regimen Ecclesiarum seu bonorum ecclesiasticorum administrationem capessere præsumant, absque litteris authenticis eorum promotionem, seu confirmationem, continentibus. Eadem constitutione animadvertitur contra omnes qui Episcopos reciperent sine litteris apostolicis, aut eis parerent; quin insuper capitula et conventus mulctantur pœna suspensionis a beneficiorum suorum perceptione, et excommunicationis majoris specialiter reservatæ S. Pontifici. (Cap. *Injunctæ*, DE ELECTIONE, inter Extrav. communes. Const. *Apostolicæ Sedis;* et *Romanus Pontifex*, 28 aug. 1873; nº 795).

De beneficiis minoribus a S. Pontifice conferendis, sunt etiam regulæ cancellariæ quæ rescriptum requirunt pro beneficiis minoribus a S. Pontifice conferendis, adeo ut nemo aliter valeat se in officii regimen ingerere, et fructus beneficii sibi vindicare. Porro, Pontifex duplici modo lit-

teras collationis expedit : nempe *in forma gratiosa*, et *in forma dignum*, quæ etiam *commissoria* nuncupatur. Litteræ provisionis dantur *in forma gratiosa*, quando summus Pontifex alicui beneficium confert, intuitu meritorum quibus clericum ornatum et apud se commendatum esse affirmat, adeo ut exsecutori non permittatur ejusdem clerici merita ad examen revocare, sed debeat eum, visis litteris Apostolicis, in possessionem beneficii deducere. Litteræ dantur *in forma dignum*, quando Pontifex mandat Ordinario ut beneficium alicui conferat, si tamen prævio examine idoneum esse repererit. Dicuntur *in forma commissoria*, quia Pontifex non confert beneficium, sed collationem committit Ordinario, qui proinde partes judicis assumet, et cognoscet de veritate clausurarum, seu conditionum eisdem litteris adjectarum; præsertim an providendus reipsa dignus sit, an dotes canonibus requisitas, attenta natura officii, habeat. Hoc genus litterarum communiter usurpatur in beneficiis inferioribus quibus cura animarum inhæret; in cæteris beneficiis forma gratiosa facilius adhibetur[1].

*609. — VII° *Quandonam provisus de beneficio inducatur in possessionem tituli et qui sint effectus captæ possessionis?*

I. Qui institutionem canonicam accepit, non debet propria auctoritate se in regimen Ecclesiæ et administrationem temporalium ingerere, donec insuper acceperit possessionem actualem, quæ *investitura*, vel missio in *corporalem possessionem*, dicitur; alioquin pœnis ad arbitrium Episcopi imponendis obnoxius foret.

Communiter qui jus conferendi beneficium habet, illius possessionem actualem tradere potest, seu per se ipsum, seu per alium cui id munus commiserit. Olim ad archidiaconos pertinebat « institutio illa corporalis tam super « beneficiis, quam etiam dignitatibus ». (Cap. *Ad hæc*, 7, DE OFF. ARCHIDIACONI.) Hodierna ætate Episcopi hoc officium demandat vicariis generalibus, Parochis, aliisve sacerdoti-

1. Card. Soglia, *Institutiones juris canonici privati*, lib. II, cap. II, § 95.

bus. Quamvis nulla forma jure sancita fuerit in possessione ineunda, et Episcopus possit conferre investituram verbalem, adhibito quocumque signo possessionem beneficii denotante, usu tamen prævaluit, ut possessio corporalis accipiatur per introductionem in locum beneficii cum traditione clavium, vel alio ritu qui officium et jura beneficiati significet ; v. g., si canonicus sit, ei stallum in choro traditur ; si Parochus, altare osculatur, sedem convenientem occupat, etc...

Possessio traditur vel ipsi beneficiato, vel hujus procuratori, speciale mandatum habenti [1].

Omnes qui tenentur, ad præscriptum juris communis, emittere professionem fidei, debent hanc professionem agere per seipsos, non per procuratorem. Benedictus XIV plures responsiones S. Congregationis refert quibus declaratur *professionem fidei per procuratorem emitti nullo pacto potuisse, nec emissam suffragari* [2]. Qui beneficium cum cura animarum obtinuerunt, fidem profiteri debent coram Episcopo, aut vicario generali. De professione fidei a Parochis et a canonicis emittenda alibi dictum est.

II. Jus canonicum effectus dat captæ possessionis, nimirum : 1° possessio cum justo titulo et bona fide jus tribuit officium spirituale exercendi cum jurisdictione, si qua officio adnectatur, et percipiendi fructus beneficii; 2° qui anno integro possederit, jus habet, in casu quo competitor idem beneficium obtinuisse prætendit, in sua possessione manendi donec lis dirimatur; 3° si per triennium pacifice possederit, non amplius potest in jus vocari, suaque possessione exturbari; siquidem possessio triennalis effectum eumdem parit ac præscriptio completa, tum in foro externo, tum in foro interno (n° 291, t. I, p. 505 [3].)

1. In Gallia pensiones a gubernio datæ titularibus, non currunt nisi a die possessionis.

2. *Institutione* LX, n° 3.

3. Cf. Riganti in regulas XXXV et XXXVI Cancellariæ.

610. — VIII° *Utrum et quatenus beneficiarius possit dimittere, permutare, aut resignare suum beneficium?*

I. *Dimissio simplex*, seu *resignatio beneficii* absque ulla conditione, licita est, et clericum solvit a vinculo quo Ecclesiæ, seu beneficio devincitur, modo tamen libere fiat, et fuerit acceptata a superiore. Si beneficiarius adducatur ad renuntiationem vi, metu, aliave causa injusta, actus cessionis est rescindibilis. Si superior non duxerit acceptandam dimissionem, beneficium non vacat; imo beneficiarius cogi potest, comminatione censurarum, ad implenda onera officii; ex quo autem renuntiatio, libere facta, acceptata fuerit, irrevocabilis est, adeo ut nullus amplius locus sit pœnitentiæ. (N° 304, t. I, p. 525.)

Notandum : 1° concilium Tridentinum prohibuisse ne clericus qui ordinatus fuit sub titulo cujusdam beneficii, illud dimittat, nisi facta mentione hujus tituli, et assecurato alio medio honestæ sustentationis. Notandum 2° S. Pium V prohibuisse, ob eamdem rationem, ne clericus « sacro ordini mancipatus, nisi religionem ingressurus, « ullo modo valeat beneficium, vel officium ecclesiasticum « resignare, nisi aliunde ei sit, quo in vita possit commode « sustentari. » (Const. *Quanta*, an 1568.)

611. — II. *Permutatio* locum habet quando duo beneficiati sibi mutuo cedunt proprium beneficium.

Canones vetant fieri permutationes sine causa necessitatis, seu utilitatis, sin Ecclesiarum, saltem clericorum, et nisi accesserit auctoritas superioris, qui est S. Pontifex in beneficiis majoribus, et Episcopus alterve Prælatus ordinarius loci, si agatur de beneficiis minoribus. Possunt quidem beneficiarii tractare de permutatione facienda, alias non consentirent in idem, et permutatio esset impossibilis; sed nullatenus possunt permutare propria auctoritate, neque ullum pactum inter se inire, seu de pensione solvenda, seu de jure reassumendi beneficium in casu quo alter præmoriatur, seu aliud id genus. Necesse est ut nulla

intercesserit conditio, præter simplicis permutationis propositum, quo, accedente auctoritate superioris, alter alterius beneficium consequatur.

612. — III. *Resignatio in favorem* alterius, vel sub alia certa conditione, fieri non potest aliter quam auctoritate S. Pontificis. S. Pius V, Const. præcitata *Quanta Ecclesiæ Dei*, hæc præscripsit : « Caveant Episcopi, item- « que omnes electores, præsentatores, et patroni... ne « verbo quidem, aut nutu, vel signo, futuri in hujusmodi « beneficiis et officiis successores ab ipsis resignantibus, « aut aliis eorum significatione, vel hortatu, designentur, « aut de his assumendis promissio inter eos, vel etiam « intentio qualiscumque intercedat. Cæterum præcipi- « mus atque interdicimus, ne ipsi Episcopi aut alii colla- « tores de beneficiis et officiis resignandis, aut suis, aut « dimittentium consanguineis, affinibus, vel familiari- « bus... audeant providere ; quod si secus, ac etiam « quidquid præter, vel contra formam prædictorum, « fuerit a quocumque temere attentatum, id totum ex nunc « vires et effectum decernimus non habere. » Aliis decretalibus et constitutionibus vetita fuere quævis pacta in resignatione beneficiorum, quæ infra exponentur, quando de pœnis contra simoniacos latis disserendum nobis erit ; quamobrem dicendum est omnem renuntiationem conditionalem, omnem imprimis resignationem in favorem alterius, illicitam et prorsus irritam fore, nisi a S. Pontifice approbetur.

De sensu et extensione Constitutionis S. Pii V difficultates moventur apud canonistas, quas paucis indicare satis erit.

1° Dubitatur an Episcopus valeat acceptare simpliciter resignationem in favorem alterius, rejecta scilicet conditione? Sunt duæ opiniones contradictoriæ : alii affirmant, quia talis conditio, quatenus illicita, habetur pro non adjecta ; alii negant, quia, inquiunt, non potest resignatio

admitti pro una parte, et pro alia rejici. Utramque opinionem satis probabilem dicit S. Alph. de Liguori (lib. III, n° 84). Secundam multo probabiliorem reputamus; siquidem in mente renuntiantis, transmissio beneficii est conditio resignationis; ergo necesse est ut vel beneficiarius conditionem retrahat; vel non admittatur demissio, cum non possit acceptari sub illa conditione.

2° Dubitatur utrum resignans possit saltem aliquem nominare et commendare Episcopo, nulla ipsi imposita conditione eidem beneficium conferendi? Id vetitum videtur Constitutione S. Pii V, cujus textum protulimus; tamen non servatur cum tanto rigore in praxi, et S. Liguori valde probabile asserit textum hujus Constitutionis juxta hunc sensum posse intelligi, quod licitum sit resignanti, in ipso actu renuntiationis, « declarare Episcopo « desiderium quod beneficium conferatur certæ personæ; « modo absit pactum, ut conditio rigorosa suspendens..., « quia tunc revera resignatio fit simpliciter, et Episcopus « liber est ad conferendum beneficium cui vult ». (Loco cit., 83.)

3° Dubitatur tandem, an ea sit vis Constitutionis Pianæ, ut Episcopus nunquam valeat beneficium conferre cognatis, affinibus, aut familiaribus resignantis? Quoties beneficium vacat per resignationem, Episcopus nullo modo potest illud suis, aut resignantis cognatis, affinibus, seu familiaribus, conferre; quod eo usque servandum in praxi declaravit Sancta Congregatio, ut si parœcia sic vacaverit, Episcopus non debeat suos aut resignantis consanguineos, etc., ad concursum admittere, nec alicui ex ipsis, quatenus præ cæteris dignior deprehensus fuerit, parochiale beneficium dare. Concludendum est Episcopum non posse parœciam supradictis conferre, aliter quam si per obitum, vel per judicium criminale vacaverit; nisi forte de regionibus agatur ubi bulla *Quanta* ex diuturna consuetudine non vigeret, ut de suis respective regionibus asserunt nonnulli

canonistæ[1]. (Benedictus XIV, *de Synodo*, lib. XIII, cap. XXIV, n[is] 12-16.)

613. — IX° *Utrum et quonam titulo clerici teneantur impendere in usus pios superflua bonorum quæ ipsis obveniunt ex oblationibus fidelium, ex fundationibus, et ex beneficiis ecclesiasticis*[2]?

I. Certum est clericum jus habere utendi ad sustentationem honestam, bonis quæ sibi obveniunt, ex oblationibus fidelium, fundationibus et beneficiis, occasione functionis sacræ, aut officii permanentis.

Ita omnes theologi et canonistæ interpretantur verba sancti Pauli: *Qui in sacrario operantur, quæ de sacrario sunt edunt, et qui altari deserviunt, cum altari participant. Ita et Dominus ordinavit iis qui evangelium annuntiant, de evangelio vivere.* (I[a] ad Cor., cap. IX, 13, 14.)

Hæc doctrina fundatur æquitate naturali, et intentione fidelium qui oblationes offerunt, seu beneficia clericalia erigunt : applicatur etiam in casu quo clericus ex bonis patrimonialibus sufficienter habet unde sibi provideat; æquum est enim ut nemo cogatur militare suis stipendiis. Quæ autem requirantur ad honestam clerici sustentationem, et quæ superflua censeantur, non potest certis regulis præfiniri. Congrua sustentatio non eadem in singulis requirit : ratio habenda est qualitatis beneficii, usus regionis, conditionis personæ. Quæ sufficiunt Parocho rurali, non æque sufficiunt Parocho civitatis ; alia canonico, alia Episcopo onera incumbunt. Non est securior, nec melior regula quam praxis clericorum timoratæ conscientiæ, qui in eodem dignitatis gradu vivunt.

1. Cf. Ferraris, v° *Renuntiatio*, n[is] 32 et 41. — Card. de Luca, discursus LXV, *de Beneficiis*. — Garcias, *de Beneficiis*, part. XI, cap. III, n[is] 270, 271.

2. Cf. Benedictus XIV, *de Synodo*, lib. VIII, cap. II. — Th. Raynaud, opusculum *Mala e bonis Ecclesiæ*. — Canonistas passim in tit. XXV, lib. III Decret., DE PECULIO CLERICORUM. — S. Liguori, lib. III, n. 490-492. — D. Carrière, *Tract. de Justitia*, sect. I, cap. IV

II. Probabilissimum est clericum jus habere adhibendi in usus profanos, modo honestos, superflua bonorum ex oblationibus et fundationibus, quæ ipsi obveniunt occasione functionis sacræ, puta celebrationis Missarum, concionis sacræ, assistentiæ choro, aut funeralibus...

Ita communissime doctores. « Ratio est, ait Reiffen« stuel, quia clericis bona industrialia, ut pura merces « laborum, absque ullo intuitu beneficii dantur; *dignus « est operarius mercede sua;* vel, si non ut merces laboris, « saltem dantur sine omni tacito vel expresso dantis « pacto aut onere eas in causas pias erogandi, juxta com« munem sensum fidelium, qui utique in hoc puncto « maxime attendi debet. » (In tit. DE PECULIO CLERICORUM, n° 13, lib. III Decret.)

Si clericus non haberet dominium plenum in hæc bona, id proveniret, vel ex parte fidelium donatorum qui oblationes sub onere conferrent, vel ex parte Ecclesiæ, quæ sic statuisset. Non Ium : fideles qui stipendia clericis dant occasione sacri ministerii, intendunt suæ obligationi satisfacere, non vero cogitant de onere ipsis imponendo erogandi superflua in pios usus : imo id oneris plerumque imponere non possent, quoties scilicet dant intra limites auctoritate ecclesiastica assignatos ; nam clerici jus habent in hæc stipendia. Non IIum : nullum decretum citatur quo Ecclesia imposuerit clericis onus de quo agitur. Canonistæ passim referunt cum laude regulas quas, versus finem sæauli VIII° sanctus Chrodegandus, Episcopus Metensis, dedit canonicis quibus, inter cætera « cuique canonicorum liberam fecit « potestatem accipiendi, et in quos vellet usus expendendi « eleemosynas quæ pro sua sibi Missa offerebantur. Ex « aliis monumentis perspicue infertur quod, postquam « choro interessentibus certa emolumenta constitui cœpe« runt, qui illa lucrabatur, eadem et sua faciebat, expen« debatque libere in proprios usus, cum illorum dominus « esset pleno jure, quemadmodum sunt hodie canonici

« quoad chorales distributiones ». (*De Synodo*, lib. V, cap. VIII, n° 5; lib. XIII, cap. XII, n° 22.)

614. — III. Clericus tenetur erogare in pios usus superflua reddituum bonorum ecclesiasticorum, id est beneficiorum.

Concilium Tridentinum Episcopis « omnino interdicit, « ne ex redditibus Ecclesiæ consanguineos familiaresve « suos augere studeant : cum et Apostolorum canones pro« hibeant ne res ecclesiasticas, quæ Dei sunt, consangui« neis donent; sed si pauperes sint, iis ut pauperibus tri« buant, eas autem non distrahant, nec dissipent illorum « causa... Quæ vero de Episcopis dicta sunt, eadem non « solum in quibuscumque beneficia ecclesiastica, tam « sæcularia quam regularia obtinentibus, pro gradus sui « conditione observari, sed et ad S. R. Ecclesiæ Cardinales « pertinere decernit ». (Sess. XXV, cap. I, *de Reform.*) Hæc de Episcopis, canonicis et Parochis, qui, in locum veterum beneficiorum, recipiunt pensiones a gubernio civili juxta conventiones initas cum Sancta Sede, intelligenda esse pluries declaravit S. Pœnitentiaria. Censuit nimirum pensiones constitutas induere naturam bonorum ecclesiasticorum, et *annexam habere obligationem inhærentem his bonis; scilicet, strictam obligationem expendendi superflua pauperibus, seu piis causis* : quod dicendum putamus de supplemento pensionis, et satis probabiliter de oblationibus factis ratione tituli, non vero actus personalis, ut supra explicatum fuit (n° 583) et præsertim n° 594). (Tract. D. Carrière, *de Justitia*, nis 182, 193.)

Quonam autem titulo innitatur obligatio, an titulo justitiæ, an titulo religionis et juris canonici, dubium est.

Plures, præsertim ex antiquioribus, arbitrantur obligationem oriri ex stricta justitia; unde concludunt clericos impendentes superflua bonorum ecclesiasticorum in usus profanos, teneri ad restitutionem, aut Ecclesiæ, aut pauperibus faciendam, eodemque onere adstringi omnes a

clericis pecuniam recipientes, quam certo sciunt ex beneficio ecclesiastico illis obvenisse. Suam opinionem probant: 1° ex textibus SS. Patrum et juris canonici, in quibus bona ecclesiastica dicuntur *res sacræ* et *patrimonium pauperum*. 2° Ex intentione fidelium qui bona sua dederunt quidem ad sustentationem clericorum, sed simul ad sublevamen pauperum et alios usus pios. Voluerunt promovere cultum Dei, satisfacere pro suis peccatis, prodesse Ecclesiæ, neutiquam autem fovere luxum clericorum. 3° Ex intentione Ecclesiæ, quæ conferendo beneficia quorum habet dispensationem, noluit concedere plenum dominium redditaum beneficiorum, sed usumfructum cum onere erogandi superflua in pios usus. Debuit procul dubio providere ne frustraretur intentio donatorum; porro, non datur efficacius medium hunc finem assequendi, quam si imponatur onus justitiæ.

Alii canonistæ, auctoritate et numero minime impares, docent obligationem clerici oriri solummodo ex virtute religionis et jure canonico; et eum excusant ab onere restituendi, si redditus superfluos dederit consanguineis, aliave ratione dissipaverit. Suam sententiam duplici præsertim argumento adstruere enituntur: 1° ex beneficiorum origine, quæ, si excipiatur pars reservata ab initio Ecclesiis et pauperibus, erecta fuerunt potissimum in gratiam clericorum, ut habeant congruam sustentationem, in mercedem laborum; 2° ex textibus Decretalium et concilii Tridentini, quibus dicitur clericum, qui debite sua officia exsequitur, facere *fructus suos;* facere autem *fructus suos*, idem omnino est ac eorumdem acquirere dominium plenum.

« Nemo cogendus est, ait Schmalzgrueber, ad restitu-
« tionem alicujus rei, nisi constet esse alienam, et lege jus-
« titiæ alteri debitam;... atqui nulla ratione, nec auctori-
« tate, constat beneficiarios lege justitiæ obligari ad partem
« aliquam reddituum suorum dandam alteri... Non constat

« quod fideles qui hæc bona contulerunt illa donaverint « sub hoc modo et conditione; et quamvis desideraverint « ex superfluis ali pauperes, tamen valde est credibile eos « hanc obligationem non imposuisse, tum quia non dubi- « tabant clericos hoc sponte facturos, tum quia modes- « tiores ac reverentiores erant, quam ut clericis auderent « hanc obligationem imponere... Nec in sanctis canonibus « clare explicatur quod Ecclesia clericis imposuerit obli- « gationem justitiæ...; oportuisset clarius explicare si « voluisset obligationem istam imponere, cum magni mo- « menti res sit, utpote quæ ad omnes beneficiarios perti- « net, et summopere ad pauperum sustentationem con- « fert. » (In titulum DE PECULIO CLERICORUM, n° 32.)

Hæc opinio dicitur a S. Liguori *valde communior inter recentiores*, et sat probabilis (n. 492); imo in elencho quæstionum correctarum, ait eamdem sententiam, *peracta meliori consideratione*, sibi videri non minus probabilem in praxi quam opinionem contrariam. (Quæst. X.)

Inter hæc quod nobis probabilius videatur paucis aperiemus. Arbitramur clericos obligatos initio fuisse, titulo justitiæ, ad impendenda superflua in pios usus, in statu autem præsenti rerum superesse solam obligationem quam in bonum charitatis et religionis, jus canonicum induxit.

Primis sæculis prædia, et res mobiles, donata fuere Ecclesiæ, ut in communi administrarentur sub auctoritate Episcopi, qui exinde tum suæ Ecclesiæ clero, tum impensis cultus publici, tum pauperum necessitatibus consulebat. Præscriptum quidem olim fuit quatuor fieri portiones de omnibus bonis et oblationibus fidelium, « prout cujus« libet Ecclesiæ facultas admittit, quarum una sit Ponti« ficis, altera clericorum, tertia pauperum, quarta fabricis « applicanda ». (Cap. *Quatuor*, 27; *de Redditibus*, 28, caus. XII, quæst. II.) Verum, cum nulla monumenta probent hanc partitionem re ipsa factam fuisse regulariter in omnibus Ecclesiis; cum nulla illius vestigia supersint in

antiquitate, nec ubivis reperiatur pars assignata pauperibus et fabricæ; jure concludimus beneficia quæ ex bonis communibus Episcopi erexerunt, ut perpetuo titulo adnecterentur officio spirituali cujusque clerici, fundata fuisse cum onere quo gravabatur massa communis; ergo clerici debuerunt titulo justitiæ hæc bona impendere in Ecclesiæ et pauperum necessitates. Idem dicemus de beneficiis quæ postea erecta sunt iisdem conditionibus; quoties scilicet ex tabulis fundationis concluditur donatorem fundum constituisse ea lege, ut clericus cui dispensatio demandanda erat, exinde necessaria sibi assumeret, reliqua Ecclesiæ et pauperibus erogaret.

Eamdem obligationem insitam beneficiis fuisse quæ sæculis subsequentibus erecta sunt, quando institui cœperunt separatim xenodochia, et assignari bona peculiaria fabricis Ecclesiarum, non probatur. Hujusmodi beneficiis potiori jure applicantur rationes quas modo referebamus ex canonista Schmalzgrueber.

Omnia quidem beneficia ejusdem sunt generis quoad substantiam rei; variis autem conditionibus constitui possunt, quoad obligationem justitiæ impendendi fructus, ex varia intentione fundatorum.

Constitutis igitur beneficiis, ut nunc sunt apud nos, in dotationem personalem clerici, non putamus beneficiatos peccare contra justitiam commutativam, si superflua bonorum impendant in usum profanum. Tenentur tamen eadem superflua erogare in pios usus, ad mentem Ecclesiæ.

Cæterum, sive de redditibus bonorum ecclesiasticorum, sive de oblationibus fidelium agatur, meminerint clerici verborum S. Hieronymi ad Nepotianum : « Obsecro itaque « te, et repetens iterum, iterumque monebo ne lucra « sæculi in Christi militia quæras : nec plus habeas quam « quando clericus esse cœpisti : negotiatorem clericum, et « ex inope divitem factum, ex ignobili gloriosum, quasi « quamdam pestem fuge ». (Epist. ad Nepotianum.)

Vetitum olim fuit clericis testamentum condere ex bonis post suam promotionem acquisitis, nulla adhibita distinctione inter redditus oblationum et redditus beneficiorum; omnia enim quæ ex bonis Ecclesiæ, vel oblationibus fidelium sibi comparaverant, tenebantur Ecclesiæ dimittere, ut probant textus juris allati in tit. xxv et xxvi, lib. III Decret. Contraria, multis abhinc sæculis, invaluit consuetudo. Testamenta clericorum valent in foro externo Ecclesiæ; quia nimium difficile foret discernere ea quæ jure patrimoniali aut quasi-patrimoniali legare potuit clericus, ab aliis quæ impendere debuit in pios usus. Cavendum vero, quod ad forum conscientiæ spectat, ne superflua bonorum ecclesiasticorum ad usus profanos convertantur [1];

1. SS. Pontifices instituerunt olim *Jus spolii*, ad tuendum canones quibus sancitum est ut Ecclesiæ bona in pios usus convertantur, et ne clerici ditarent suos consanguineos ex bonis ecclesiasticis. *Spolia* dicebantur bona quæ clericus habuerat ex bonis ecclesiasticis, et de quibus non disposuerat adhuc vivens in pios usus. Hæc bona Rom. Pontifices adscribenda statuerant cameræ apostolicæ, et per collectores ac subcollectores in provinciis constitutos colligi curabant, statim post beneficiatorum mortem, et cuncta in pauperum alimenta, in Ecclesiarum sublevamen, in aliosque pios usus impendi, juxta regulas a S. Sede præstitutas. Quod si ipsamet Ecclesia beneficiarii defuncti his spoliis indigebat, ea Sedes Apostolica facile remittebat, ut in illius utilitatem converterentur, cujus praxis exemplum videmus in Const. Benedicti XIV, *Pastoralis*, an 1756, data pro regno Neapolitano. De jure spolii, quod usu non fuit introductum aut saltem non invaluit in Gallia, nec in pluribus aliis provinciis, hæc dicta sufficient. (Cf. Thomassin, part. III, lib. II, cap. LVII; — Ferraris, v° *Spolium;* — Devoti, lib. II, tit. XVIII.) — Pius IX præscripsit, ad mentem canonum, Const. *Cum illud plurimi*, an. 1847, ut sacra utensilia Episcopi defuncti, mitræ, planetæ, missalia, calices, etc., Ecclesiæ cathedrali dentur, « exceptis annulis, crucibus et his om- « nibus utensilibus quæ legitime probantur ab Episcopis defunctis « comparata fuisse bonis ad Ecclesiam non pertinentibus, nec « constat Ecclesiæ fuisse donata ». « Volumus præterea, ait S. Pon- « tifex, teneri Episcopos conficere inventarium in forma authentica « sacrorum utensilium, in quo pro rei veritate exprimant quando « acquisita fuerint, et speciali nota designent quæ ex redditibus et « proventibus sibi compararunt, ne alias præsumi debeat ea omnia

hæc siquidem dispositio contraria est canonibus, et constitutionibus Pontificiis [1].

Articulus III. — De Administratione et Alienatione bonorum ecclesiasticorum.

615.— Jus canonicum regulas præscripsit quibus regi debeant bona ecclesiastica; lex civilis Galliarum alias edixit quas prætermittere non debemus, quamvis ad jus canonicum minime pertineant.

Ecclesia jus habet res suas administrandi : cum vero, in hoc negotiorum genere quæ, diversa ratione, ad utrumque ordinem spiritualem et temporalem multum referunt, sint necessario frequentes relationes clericorum cum societate civili, Concordata aliquando iniit cum principibus sæcularibus, ut communi consensu regulæ sancirentur ad providendum securitati atque regimini bonorum temporalium, modo qui utriusque societatis commodis consuleret, atque noxios conflictus præcaveret. Sæpius etiam principes sæculares multa de eorumdem bonorum acquisitione et administratione statuerunt propria sponte, in quibus derogari visum est juribus primorum pastorum.

Quando renovatum est, ineunte hoc sæculo XIX°, fœdus inter sacerdotium et imperium, Sancta Sedes providit ut daretur aliqualis compensatio bonorum quibus Ecclesiæ Galliarum injuste spoliatæ fuerant; unde gubernium civile spopondit se traditurum templa cultui publico dicata, provisurum honestæ sustentationi Episcoporum et Parochorum, et curaturum denique ut catholicis liberum esset consulere Ecclesiis per novas fundationes. Ut pacta conventa exsequatur, gubernium tribuit quæ ad cultum publicum, atque ad conservationem instaurationemque templorum et ædium pastoralium necessaria sunt : invigilat ut certi redditus

« redditibus Ecclesiæ fuisse comparata. » Cf. *Collectanea* Bizzarri, pag. 127.

1. Cf. de Angelis in tit. XXVI, lib. III, n° 4.

assecurentur Ecclesiis et presbyteris qui publico ministerio funguntur, et quod a parte oblationum fidelium deest, supplendum providet ex denariis municipiorum, vel ex ære publico.

Hæc ratio fuit cur legislator existimaverit certas regulas statuendas de regimine bonorum Ecclesiis attributorum : ex quibus tamen regulis nonnullæ sunt nimium coarctantes libertatem Ecclesiæ, et quæ idcirco nunquam probatæ sunt a primis pastoribus, ut infra notabimus. Expedit ut clerici publico ministerio addicti, ediscant quæ super his ordinata sunt atque rationem habeant harum regularum quas ipsi Episcopi observari mandant; alioquin in periculum incurrent Ecclesias sibi commissas et seipsos destituendi necessariis ad sustentationem; impossibilis ipsis erit recursus ad auctoritatem civilem, et occasio dabitur inextricabilibus difficultatibus [1].

§ 1. — *De Administratione bonorum ecclesiasticorum ad præscriptum juris canonici.*

Leges canonicæ tria præsertim statuunt : 1° quibus competat administratio bonorum; 2° quæ regulæ servari debeant in illa administratione; 3° quid cavendum quando agitur de alienatione, oppigneratione, vel etiam locatione bonorum ecclesiasticorum.

*616. — 1° *Cui generatim competat administratio bonorum Ecclesiæ?*

I. Jure naturali administratio boni cujuscumque in arbitrio est illius qui habet rei dominium aut usumfructum : quamobrem, cum sint bona quæ ad Ecclesiam universalem pertinent, alia quæ ad parochiam, alia quæ ad insti-

1. Regulas canonicas interpretes juris passim exponunt in commentariis titulorum DE LOCATO ET CONDUCTO, XVIII; DE RERUM PERMUTATIONE, XIX; DE REBUS ECCLESIÆ NON ALIENANDIS, XIII, lib. III Decretalium. Scriptores qui jus civile explicare aggressi sunt, infra indicabuntur.

tutum religiosum, etc., sequitur regimen eorumdem adscribi, ipsa natura rerum, S. Pontifici, Episcopo, Prælato regulari, vel rectori Ecclesiæ cui hæc bona acquisita sint, vel demum beneficiariis qui omnes habent suorum beneficiorum usumfructum.

II. Jure divino summum regimen bonorum Ecclesiæ, cujusvis naturæ sint, commissum est auctoritati Sanctæ Apostolicæ Sedis : est præterea in potestate Episcopi, cum debita subjectione erga Sanctam Sedem, ut præsit sua jurisdictione regimini bonorum ecclesiasticorum diœcesis.

De auctoritate S. Pontificis nulla est agitanda quæstio. Auctoritatem etiam Episcopi extra omnem controversiam reponunt sacri canones. Disciplinam priorum sæculorum exhibet canon XLI *Apostolorum*, quem refert Gratianus, caus. XII, q. I, cap. 24. « Præcipimus ut in potestate sua « Episcopus Ecclesiæ res habeat. Si enim animæ homi- « num pretiosiores illi sunt creditæ, multo magis oportet « eum curam pecuniarum gerere, ita ut potestate ejus « omnia dispensentur per presbyteros et diaconos, et cum « Dei timore et sollicitudine ministrentur. » Concilium Chalcedonense, actione XV^a, canone XXV, sic statuit « : Pla- « cuit omnem Ecclesiam habentem Episcopum, habere « œconomum de proprio clero, qui dispenset res ecclesias- « ticas secundum sententiam Episcopi [1]. »

Licèt a primæva ætate, gravis immutatio evenerit in regimine bonorum, remansit jurisdictio eminens Episcopi, non pro arbitrio, sed ad præscriptum canonum exerenda : quamobrem, dum S. Pontifex electis in Episcopos confert institutionem, his verbis jura Episcopatui connexa significat : « Nos curam et administrationem N. Ecclesiæ in spi- « ritualibus et temporalibus, N, plenarie committimus. » Ratio est quoad utramque partem assertionis, quod cum Ecclesia valeat jure divino comparare dominia bonorum

1. Labbe, *Collect. concil.*, tom IV, coll. 778.

temporalium et ea gerere, eorumdem bonorum regimen subjacere debet regulis quæ consentaneæ sint divinæ Ecclesiæ constitutioni.

III. Jure canonico administratio bonorum ecclesiasticorum committitur titulari Ecclesiæ, seu beneficii, cui hæc bona attributa sunt; ita tamen ut Parochi, et rectores quorumdam locorum piorum, debeant habere fabricam et uti consilio atque opera matriculariorum [1], pro variis diœceseon statutis in gestione temporali sui beneficii.

617. — IV. Jure naturali simul et canonico communitates religiosæ sua bona administrant, juxta constitutiones et consuetudines instituti, cum debita dependentia a S. Pontifice et ab Episcopo.

Jure quidem naturali omnis communitas quæ dominium possidet, potest res suas gerere, ex modo dictis : porro, communitates religiosæ canonice erectæ, bona sibi donata, vel alio titulo acquisita, habent in proprium dominium, eadem prorsus ratione ac communitates sæculares. « Hæc « potestas administrandi bona temporalia, ait Suarez, nec « est jurisdictionis, nec per se illam requirit, sed est po- « testas dominativa. Ergo talis potestas respectu commu- « nitatis religiosæ, per se et ex natura rei, ac secluso jure « positivo, non pendet a concessione Pontificis, vel alterius « Prælati ecclesiastici, sed ex voluntate eorum qui in tali « communitate sociantur. » (Lib. II, cap. XXVI, n° 2.) Standum est igitur regulis instituti, quæ ad superiorem transferunt curam regiminis bonorum temporalium, adhibitis nonnullis e congregatione in consilium.

Facultas jure concessa administrandi bona ecclesiastica est subordinata summæ jurisdictioni Pontificis Romani

1. Administratores adjuncti titulari beneficii, ad gestionem bonorum temporalium, *Matricularii* nuncupantur, quia matriculares tabulas Ecclesiæ in quibus pauperes inscripti erant, deposito custodiebant; dicti sunt etiam *Æditui*, id est sacrorum ædium tutores, *Provisores* Ecclesiarum, etc.

qui eam regulis canonicis restringere et moderari valet. Quod ad Episcopum attinet, ratio habenda est conditionis ac privilegiorum communitatis, an sit exempta a jurisdictione episcopali, an non. Episcopus non potest se ingerere in administrationem temporalem communitatis regularium exemptorum; quatenus invigilare debeat regimini bonorum temporalium in conventibus monialium, dictum est supra, t. II, p. 326. (Nis 498-499.)

* 618. — II° *Quid agere debent administratores bonorum temporalium Ecclesiæ?*

Administratio complectitur actus necessarios ad conservationem bonorum, curam providendi decentiæ cultus publici, necnon aliis oneribus pro ratione instituti, et locationes quæ non excedant tempus jure præfinitum. Quapropter rectores Ecclesiarum, beneficiorum et locorum piorum, tenentur : 1° conficere recensionem omnium bonorum tam mobilium quam immobilium, quæ ad suum titulum pertinent; 2° providere ut cuncta sarta tectaque serventur, adeo ut in melius proficiant, potius quam detrimentum patiantur; 3° impendere redditus in usus ad quos fundatione, vel statuto destinantur.

*619. — III° *Quæ sit origo fabricarum; in quem finem institutæ fuerunt?*

Fabricæ institutæ sunt ut juvent Parochos in administratione temporali parochiæ, atque efficacius provideatur bonorum conservationi et regimini : constitutæ etiam fuerunt pro administratione locorum piorum, hospitalium nempe, xenodochiorum, montium pietatis, etc...

Quæ fuerit origo prima fabricarum, non satis perspectum habemus; id tamen certo constat non repetendam fore ultra sæculum XIII, nulla siquidem apparent vestigia in temporibus antiquioribus. Primum decretum generale quod ea in re noverimus est concilii Viennensis, anno 1310 : statuit de hospitalibus et aliis locis piis. Ad præcavendos graves abusus quos induxerat negligentia nonnullorum

rectorum xenodochiorum, concilium prohibet ne hujusmodi instituta conferantur in beneficium clericis sæcularibus, ac simul præcipit ut eorumdem locorum « gubernatio viris providis, idoneis et boni testimonii committatur, « qui sciant, velint, et valeant loca ipsa, bona eorum, ac « jura utiliter gerere, et eorum proventus et redditus in « personarum miserabilium usum fideliter dispensare... « Illi quibus dictorum locorum administratio committetur, « ad instar tutorum et curatorum, juramentum præstare « ac de bonis inventaria conficere et Ordinariis, seu aliis « quibus hæc loca subsunt, annis singulis de administratione « sua teneantur rationem reddere. » (Cap. *Quia contingit*, 2, DE RELIGIOSIS DOMIBUS, Clement.) Plura concilia provincialia, præsertim concilium Parisiense, anno 1346, et alterum Parisiense, anno 1528, hæc decreta concilii generalis Viennensis accurate observari mandaverunt [1].

Quod ad parochias attinet, iisdem temporibus, et ob easdem probabiliter rationes, invaluit usus ut præter Parochum alii ex viris laicis admitterentur in administrationem bonorum temporalium, sub titulo *Matriculariorum*, aliave appellatione. Id manifeste indicat statutum concilii Parisiensis an. 1346 quod mox citavimus, dum caveri jubet ut debita et legata Ecclesiæ tributa « in quadam arca in « Ecclesia deponantur, cujus arcæ unam clavem habeant « decanus christianitatis, archipresbyter, vel sacerdos, et « aliam matricularii, seu provisores. »

Paulatim vero institutum illud a suo fine deflecti videbatur; siquidem in pluribus locis, laici sibi solis reservare præsumebant curam rerum temporalium; quamobrem ne in futurum aliquid detrimenti exinde inferretur auctoritati Parochorum et Episcoporum, tria hæc ordinata sunt a quibusdam conciliis provincialibus, scilicet : 1° ut matricularii eligerentur de consensu Parochi, aut saltem juxta

1. Labbe, tom XI, col. 1913; tom. XIV, col. 476.

regulas auctoritate ecclesiastica probatas; 2° ut simul cum Parocho rebus temporalibus providerent; 3° ut rationem suæ administrationis redderent Ordinario. « Statuimus, « aiunt Patres concilii Frisigensis (in Bavaria, an. 1440), « quod in qualibet parochia plebanus, assumptis sibi duo- « bus honestioribus subditis suis, quorum quilibet habeat « clavem unam, et ipse tertiam, omnia quæ devotione « fidelium ad fabricam Ecclesiæ, luminaria, vel ad alias « utilitates fuerint deputata, diligenter colligat et conser- « vet, et his usibus impendat ad quos sunt deputata. Volu- « mus etiam quod nec tales sibi adjuncti, nec alii procu- « ratores Ecclesiarum qualescumque, de rebus Ecclesiæ « præter scitum plebani quidquam disponant. » Conc. Moguntinum, an. 1549 : « Decernimus et ordinamus ne « posthac solis laicis, sed cum aliquot laicis cujusque « Ecclesiæ, rectori, seu plebano, veluti principali, officium « fabricæ, seu procuratio Ecclesiæ committatur; ita tamen « ne ipsi Ecclesiarum rectores, seu plebani officio exac- « tionis censuum, proventuum, seu reddituum, sive pro- « curationis labore graventur... Tales etiam procurato- « res... de omnibus acceptis et expensis debito tempore, « ad minimum semel in anno, coram ipso plebano, seu « rectore Ecclesiæ, et aliis ad hoc deputatis, rationem « conficiant. Volumus etiam ad singulas Ecclesiarum cistas « in quibus litteræ censuum, seu pecuniæ, et pretiosiores « Ecclesiarum res, asservantur, diversas seras, et ad mini- « mum duas fieri, et ex clavibus semper unam apud Paro- « chum seu rectorem relinqui et custodiri; sic ut tales « cistæ non ab uno aliquo procuratore, nec unquam, « absente Parocho, possint aut debeant aperiri [1]. »

Concilium Tridentinum nihil statuit de necessitate instituendi fabricas, nec de modo eligendi illarum procuratores, sed hæc maximi momenti indixit : « Administratores

1. Labbe, tom. XIII, col. 1288; tom. XIV, col. 699. — Cf. Gohard, tom. I, p. 800-820.

« tam ecclesiastici quam laici fabricæ cujusvis Ecclesiæ, « hospitalis, confraternitatis, eleemosynæ, montis pietatis, « et quorumcumque locorum piorum, singulis annis teneantur reddere rationem administrationis Ordinario, con- « suetudinibus et privilegiis quibuscumque in contrarium « sublatis. » (Sess. XXII, cap. IX.)

Quid observetur pro regimine temporali parochiarum, in statu præsenti Galliæ, et quatenus praxis ac legislatio civilis consentiant regulis canonicis, aut ab illis dissentiant, infra dicemus.

Quod ad hospitalia, montes pietatis et alia loca pia attinet, distinctione opus est inter ea quæ fuerunt ecclesiastica auctoritate instituta, et alia quæ sunt mere laicalia. Priora loca subsunt jurisdictioni Episcopi, qui valet providere illorum regimini. Cætera loca non subjiciuntur Episcopo, qui tamen ex decreto Tridentino potest illa visitare, exceptis solum quæ sunt sub regum immediata protectione, atque de iis omnibus cognoscere quæ ad Dei cultum, aut animarum salutem, seu pauperes sustentandos pertinent.

Jus illud visitandi, quoad ea quæ sunt regiminis temporalis hospitalium, eo fundatur quod juxta priscos canones Episcopi sint exsecutores omnium piarum dispositionum, tam in ultima voluntate quam actis inter vivos expressarum, uti memorat idem concilium. (Cap. VIII, sess. XXII [1].) Porro, in Galliis hospitia publica et montes pietatis sunt loca mere civilia, sub protectione principis sæcularis constituta, cum suis propriis administratoribus : nullum jus tribuitur Episcopis illa ex officio visitandi quoad regimen temporale.

* 620. — IV° *Utrum et quatenus rectores bonorum ecclesiasticorum ea alienare valeant* [2]*?*

I. Administratores Ecclesiarum et beneficiorum non pos-

1. Cf. Reiffenstuel, in tit. DE RELIGIOSIS DOMIBUS, lib. III Decretalium.
2. Cf. Card. Petra. *Comment. in Const. V^am Pauli II*, tom. V.

sunt alienare donatione gratuita, quia non habent dominium, sed meram dispensationem bonorum Ecclesiæ. « Episcopus et quilibet Prælatus ecclesiasticus, ait Alexan-« der III, cum sit rerum ecclesiasticarum procurator et « non dominus, conditionem Ecclesiæ meliorare potest, « facere vero deteriorem non debet.» (Cap. *Fraternitatem*, 2, DE DONATIONIBUS, lib. III Decret.)

Excipiuntur donationes remuneratoriæ in solutionem debiti gratitudinis, et eleemosynæ erogatæ pauperibus quæ continentur intra fines meræ administrationis.

II. Alienare possunt contractibus onerosis, servatis conditionibus jure requisitis. Hæ autem conditiones sunt ut alienatio fiat ob justam causam, et de consensu superioris, scilicet S. Pontificis, vel Episcopi, vel demum Prælati regularis, pro diversa ratione bonorum.

1° Justa causa alienandi est necessitas, aut saltem magna utilitas, quæ locum habet si Ecclesia, cujus juris sunt hæc bona, debitis oneretur; si non possit absque gravi incommodo rei curam gerere; si urgeant miseriæ quas charitas sublevare sollicitat, etiam detrimento bonorum Ecclesiæ.

2° Requiritur beneplacitum apostolicum, si alienanda sit res majoris momenti. Episcopus juramento promisit, intra ritus suæ consecrationis, se nec daturum, nec venditurum, nec oppigneraturum quæ ad suam mensam pertinent, inconsulto S. Pontifice. Sunt aliæ leges canonicæ, quæ non solum bona mensæ episcopalis, sed et cuncta alia pretiosa complectuntur. Hæc præ cæteris statuit Paulus II, Constitutione *Ambitiosæ* an. 1468 : « Omnium rerum et bono-« rum ecclesiasticorum alienationem, omne pactum per « quod ipsorum dominium transfertur, concessionem, « hypothecam, locationem et conductionem ultra trien-« nium, necnon infeudationem, præterquam in casibus a « jure permissis, ac cum Ecclesiarum evidente utilitate, ac « de fructibus et bonis quæ servando servari non possunt, « hac perpetuo valitura constitutione præsenti fieri prohi-

« bemus... Si quis autem contra hujus nostræ prohibi-
« tionis seriem, de bonis quidquam alienare præsumpse-
« rit, alienatio, hypotheca, locatio... nullius omnino sint
« roboris; et tam qui alienat, quam is qui alienatas res
« et bona prædicta receperit, sententiam excommunica-
« tionis incurrat. » (Cap. *Ambitiosæ*, DE REBUS ECCLESIÆ NON ALIENANDIS. Extrav. comm. — Const. *Apostolicæ Sedis.*) Beneplacitum apostolicum est igitur conditio substantialis, cujus defectu alienatio nullius est roboris; nulla est in foro Ecclesiæ et in foro interno.

Eadem disciplina extenditur ad regulares quorum privilegia, ea de re, suppressa sunt decreto S. Congregationis, jussu Urbani VIII edito, an. 1624. In hoc scilicet decreto
« S. Congregatio... generalibus ac provincialibus capitulis
« vel congregationibus, abbatibus, generalibus, et quibus-
« cumque aliis superioribus regularibus cujusvis ordinis,
« congregationis, societatis, vel instituti, intra fines Eu-
« ropæ existentibus, omnium rerum et bonorum immobi-
« lium ac pretiosorum mobilium alienationem, omneque
« pactum per quod ipsorum dominium transfertur, census
« perpetuos seu vitalitios, hypothecam, locationem et con-
« ductionem ultra triennium..., præterquam in casibus
« jure permissis, fieri perpetuo inhibet atque interdicit
« absque ipsius Congregationis Concilii expressa licentia,
« in scriptis et gratis concedenda ». (Ferraris, v° *Alienatio*, art. v, n° 30.)

Bulla Pauli II afficit omnes congregationes quovis titulo canonice erectas, sive vota simplicia habeant, sive etiam non habeant hujusmodi vota; instituta vero laicalia quamvis ad opus pium destinata, quæ Episcopus non erexerit, non attingit. Conservatoria igitur virginum, societates religiosæ, seminaria clericorum, erecta auctoritate ecclesiastica, legi communi subduntur; confraternitates vero, collegia artificum, universitates, quæ auctoritas ecclesiastica non erexit, a lege eximuntur, etiamsi habeant

oratorium in quo ipsis permissum sit celebrare divina officia. (Card. Petra, loco citato, sect. III, n^{is} 25-47.)

Notandum. Cum constitutio Paulina eo unice spectet ut Prælatus non alienet bona detrimento suæ Ecclesiæ, arbitramur cum pluribus canonistis, licitum ipsi esse alienare res, mobiles seu immobiles, quæ plus incommodi quam utilitatis afferunt, v. g., ædes quibus conservandis plus impendendum est quam inde fructus recipitur, ut illarum loco res alias utiliores acquirat; siquidem ea agendi ratione, nedum suæ Ecclesiæ nocumentum afferat, illius conditionem meliorem reddit. Posset etiam alienare in casu urgentis necessitatis quæ moram non patitur, vel occasionis valde utilis quæ alias transiret. Alienatio tamen in hac hypothesi facta ratificari postmodum deberet servatis solemnitatibus jure requisitis, [1] recursu nempe habito ad S. Pontificem.

* 621. — Duo oriuntur dubia circa Constitutionem Pauli II : 1um quæ sint res quarum alienatio interdicitur; 2 an lex hodiedum vigeat et servari debeat in locis ubi introducta fuerit contraria consuetudo.

Ad 1um : lex prohibuit alienationes bonorum immobilium, et mobilium pretiosorum. Nomine immobilium veniunt, non solum prædia, domus, agri et similia, sed jura et actiones ad immobilia, census et redditus annui, pecunia quæ ex immobilis boni venditione comparata fuerit ea conditione ut aliud emeretur immobile. Cætera reputantur bona mobilia, utpote quæ nec fundo hæreant, nec bonum immobile repræsentent, ac de loco in locum moveantur.

Certum est Constitutionem Paulinam non derogasse juri quod ab antiquo Ecclesiis competit, alienandi fundum modici valoris, ad sensum cap. *Terrulas*, 53, caus. XII, q. 2. Quæ autem immobilia parvi pretii dicenda sint, quæve

1. Pirhing in tit. de REBUS ECC. ALIENANDIS, n° 19.— Schmalzgrueber eod. tit. n^{is} 39, 42.

mobilia pretiosa, non certis regulis determinatur, sed communi æstimatione pensandum est, habita ratione temporum et locorum. « Sane, ait Fagnan, cum non sit jure « definitum quæ terrulæ dicantur exigui valoris, id totum « judicis arbitrio erit relinquendum, et judex arbitrium « suum moderabitur, inspecta conditione Ecclesiæ, an sit « tenuis vel multum abundans, attenta qualitate temporis, « locorum et rerum. » (In cap. *Nulli*, n° 25, DE REBUS ECCL. NON ALIENANDIS.)Item quid per mobilia pretiosa intelligi debeat, judicatur pro ratione materiæ seu artis, uti gemma, et pictura famosa ; vel ratione antiquitatis.

Disputatur an prohibitio extendatur ad repudiationem legati. Certum quidem est Prælatum Ecclesiæ non posse licite repudiare legatum sine gravi causa; sed valebitne repudiatio facta absque assensu superioris? Plures negant quia hæc repudiatio non est simplex negligentia in acquirendo bonum, sed vera juris quæsiti et pretio vere æstimabilis abdicatio. Nemo inficiatur quin jura incorporalia bonis immobilibus æquiparentur; qui igitur repudiat jus certum atque pretio æstimabile, perinde facit ac si alienaret bonum Ecclesiæ... Cæteri affirmant valere repudiationem, licet illicita sit. Bulla Paulina, inquiunt, interdixit alienationem rerum et bonorum Ecclesiæ; atqui res legatæ, non sunt res Ecclesiæ quoadusque acceptatæ fuerint. Legatum ante acceptationem manet in suspenso, et, si desit acceptatio, res non censetur fuisse unquam in dominio Ecclesiæ. Aliud certo est alienare, aliud non acquirere: ergo repudiatio legati non venit sub prohibitione facta per Constitutionem *Ambitiosæ*. Ita communius intelligi Bullam asserit Card. Petra in suis commentariis Const. V^{a} Pauli, n^{is} 74-77, tom. V, pag. 224. Ita Reiffenstuel, in tit. *de His quæ fiunt a Prælato sine consensu capituli*, n^{is} 35-49; et alii plures quorum opinio est satis fundata, ut in praxi servari possit.

Alia est difficultas, utrum et quatenus pecunia compre-

hendatur in prohibitione generali alienandi bona? Præter casum supra expositum, quo scilicet pecunia comparata fuit ex venditione rei immobilis ut aliud immobile loco prioris ematur, alii casus sæpe eveniunt, de quibus dubitari potest; scilicet: 1° si pecunia destinetur ex intentione donatorum ad acquisitionem rei immobilis, vel mobilis pretiosæ; 2° si pecunia collocata sit apud bancarios, vel in societatibus commercialibus, ut possit exinde retrahi venditione titulorum, si forte opus sit, et interea fructus annuos referat.

Dubia resolvi debent ad mentem legis. In priori casu videtur pecuniam non posse distrahi ad alium finem absque beneplacito apostolico, siquidem pecunia data ad emendum immobile debet locum tenere ipsius immobilis quod repræsentat. In posteriori casu arbitramur pecuniam alienari posse, si reipsa reposita sit ad tempus in societate commerciali, non intentione illam servandi ut bonum stabile, sed ad usum, quando postulaverit necessitas. Omnes id certe admitterent si pecunia ad usum destinata collocata fuerit in arca donec accidat occasio ea utendi; cur non pari ratione admittatur, si eadem pecunia fuerit ad tempus utiliter reposita in commercio, ut fructus interea producat? E contra, si pecunia collocata sit, tanquam bonum stabile referens census annuos, quemadmodum communius fit in societatibus religiosis quæ præcipuam partem suorum bonorum ita disponunt, alienari non potest aliter quam servatis regulis juris. Manifestum est res Ecclesiarum et communitatum notabiliter deteriorari posse venditione hujusmodi actionum, censuum et jurium, si fiat imprudenter; quamobrem, sive attendatur ad textum sive ad finem legis, concludetur titulos censuum seu *actionum* vel *obligationum* quæ, v. g., comparatæ sunt in societatibus viarum ferrearum, reputari bonum mobile pretiosum de quo agitur in Bulla Pauli II.

*622.— Ad 2um: Bullam Pauli II servatam non fuisse in

pluribus locis omnes norunt; de quo hæc dicit Reiffenstuel in tit. DE REBUS ECCLESIÆ NON ALIENANDIS, n° 32 : « Notat « Engel, præsertim in Germania et locis ab Urbe remotis, « ubi difficilis est aditus ad Papam, dictam Extrav. recep- « tam non esse, saltem non quoad hoc ut etiam inferiores « Prælati Episcopis subjecti teneantur in hujusmodi alie- « nationibus consensum Papæ requirere, et non sufficiat « consensus Episcopi. Quinimo eamdem Extravagantem « in multis locis non esse usu receptam, saltem in toto « rigore, ac præsertim quoad pœnas et locationem ultra « triennium, asserunt etiam Covarruvias, Navarrius, Syl- « vester, Engel, Pirhing, cum pluribus aliis quos citant. « Unde in praxi attendantur particulares locorum consue- « tudines, legitime præscriptæ. »

Episcopi Galliæ ante concordatum exquirebant assensum S. Pontificis pro alienatione bonorum sui tituli, nisi essent modici valoris; at, juxta pervetustam et immemorabilem consuetudinem, concedebant, non habito recursu ad Sanctam Sedem, alienationem fieri bonorum quæ pertinebant ad Ecclesias inferiores, vel ad confraternitates, aliave instituta ecclesiastica suæ jurisdictionis. Si quandoque, in rebus majoris momenti, postulabant beneplacitum apostolicum, id agebant ad pleniorem confirmationem alienationis, non ad contractus validitatem[1]. Eumdem morem retinuere Episcopi a tempore Concordati ad recentiora tempora, his rationibus innixi : 1° consuetudinem in suis regionibus a tempore immemorabili servatam esse; 2° versari circa rem natura sua præscriptibilem, cum nihil, sub eo respectu, obstet quominus apponantur ad regimen bonorum temporalium ecclesiasticorum principia generalia juris, et aliunde nulla lex canonica a Sancta Sede prodie-

1. Id testantur canonistæ versati in disciplina Galliarum. Requirebatur beneplacitum S. Pontificis pro alienatione bonorum Ecclesiarum, et Congregationum quæ erant sub jurisdictione immediata S. Sedis.

rit ad illud prohibendum[1]; 3° militare rationem gravem in favorem ejusdem consuetudinis, ob varia incommoda quæ persæpe inducit necessitas adeundi Sanctam Sedem e regionibus etiam longe dissitis, in negotiorum genere quæ expetunt, data opportuna occasione, celerem conclusionem.

Cæteri doctores tenent rationem habendam non esse consuetudinis in hac materia; quorum sententia nititur : 1° auctoritate S. Congregationis quæ sæpius consulta super hac gravi quæstione respondit: « Non usum dictæ Constitu« tionis allegabilem non esse, et absque beneplacito aliena« tiones fieri non licere, » atque mandavit Episcopis, ut non obstante contraria consuetudine quæ affirmabatur, pro sua reverentia erga S. Sedem, legem in futurum exsequi curent, et pro præteritis consulatur propriæ conscientiæ. (Ferraris, v° *Alienatio*, art VI, n° 11; Card. Petra, loco citato, sect. II, n° 65; sect. III, n° 37; Pallotini, *Collectio omnium conclusionum*, etc. V°. *alienatio*, § 11, n° 13-20.) Petra et Pallotini citant memorabile responsum S. C. in causa Eccl. Mediolanensis. — 2° Nititur dispositionibus SS. Pontificum qui in bullis citatis, cæterisque confirmatoriis inseruerunt formulam irritantem *sublata* in contrarium consuetudine; unde sequitur contractus initòs absque beneplacito Pontificio esse irritos, etiamsi contrahentes ignoraverint legem. 3° Quod autem consuetudines a tempore harum constitutionum iterum inductas S. Sedes non probet, concluditur ex recenti constitutione Pii IX, *Apostolicæ Sedis*, quæ legem innovat et recenset inter innodatos excommunicatione, licet non reservata, « alienantes et reci-

1. Est Constitutio Urbani VIII, *Romanus Pontifex*, an 1641, quæ interdicit alienationes officiorum et jurium Sanctæ Sedis, aliarumve Ecclesiarum inferiorum *etiam sub prætextu quod Bullæ Apostolicæ non sint publicatæ vel usu receptæ, aut contrario usu abrogatæ.* Hæc ipsa Constitutio præservat præscriptionem centenariam, concurrentibus de jure requisitis. (Fagnan, in cap. *Consuetudines*, DE CONSUETUDINE, n° 40.)

« pere præsumentes bona ecclesiastica absque beneplacito « apostolico, ad formam Extravagantis *Ambitiosæ*, DE REB. « ECC. NON ALIENANDIS. »

*623. — III. Quod diximus de alienatione bonorum, dici etiam debet de locatione.

Diuturna immemorabilisque consuetudo in pluribus regionibus invaluit, et universim servatur in Gallia, locandi bona ecclesiastica ad novem, vel etiam ad decem et octo annos, non requisito prius beneplacito apostolico, sed solum consensu Ordinarii. Locationes tamen ad tempus excedens triennium iisdem regulis subjacent ac alienationes, eodemque jure nullæ et irritæ declarantur, nisi factæ sint de consensu Sanctæ Sedis, sive de bonis communitatum cleri sæcularis, sive de bonis communitatum regularium agatur. Ita expresse declaratur in Bulla Pauli II; unde per *alienantes bona ecclesiastica* quos S. Pontifex Pius IX declarat excommunicatos, intelligi etiam debent qui locant ea bona ultra triennium, vel hypothecis gravant; hæc enim, in hac causa, veniunt sub nomine alienationis, quatenus his contractibus dominium utile, vel ususfructus, bonorum in alium transfertur ultra limites jure canonico præfixos.

Nota. — Benedictus XIV consilium valde prudens ac tutum dat Episcopis qui deprehenderint invaluisse in suis diœcesibus ea de re consuetudinem sacris canonibus contrariam; ut nempe caveant ne illam roborent et fulciant, sed, priusquam aut eam divellere, aut confirmare aggrediantur, Sedis Apostolicæ sensum exquirant, ejusque responsum expectent. (*De Synodo*, lib. XII, cap. VIII, n° 12.)

§ 2. — *De administratione bonorum ecclesiasticorum juxta leges civiles* [1].

624. — Leges civiles multa præscripserunt, ex veteribus edictis regiis et curiarum decisionibus ut plurimum de-

1. Leges civiles et jurisprudentiam pro administratione bonorum

prompta, de modo servando in administratione bonorum parochiarum, seminariorum, capitulorum, Ecclesiarum cathedralium et sedium episcopalium, quæ nosse necessarium est iis omnibus qui regimini horum institutorum præsunt, quamvis hujusmodi ordinationes minime pertineant ad jus canonicum.

I° — *De regimine civili bonorum parochialium.*

625. — Bona parochialia administrantur consilio virorum e parochia selectorum, quod *fabrica* nuncupatur.

Inquirendum habemus : 1° In quibus ecclesiis constituenda sit fabrica; 2° quid sit consilium fabricæ, et quid collegium matriculariorum ; 3° quæ jura et obligationes utrique assignentur ; 4° quando conventus suos habeant et quis ordo in his conventibus servandus ; 5° quas demum regulas lex statuerit ad gestionem bonorum, et ad expedienda negotia majora, quæ ad Ecclesiam parochialem attinent.

626. — *Quid sit fabrica et ubi constituenda?*

Fabrica est consilium virorum electorum juxta regulas civili lege præfinitas, ad deliberandum et statuendum de gestione bonorum temporalium parochiæ, vel capellæ vicarialis rite erectæ.

Fabrica constitui debet in *Ecclesiis parochialibus* et in *capellis vicarialibus*, non vero in annexis, et multo minus in capellis confraternitatum.

Quid sit *parochia* diximus alibi (n° 229, t. I, p. 401) : leges civiles, quas in eo Episcopi servari volunt, requirunt ut in singulis parochiis constituatur fabrica.

Capella vicarialis, quæ scilicet erecta est a communitate civili (*la commune*) in gratiam incolarum, qui ob nimiam

ecclesiasticorum explicant Affre, *Traité de l'administration temporelle des paroisses*, 1 vol. in-8 ; — Sabathier, *Traité pratique de l'administration temporelle et spirituelle des paroisses*, 2 vol. in-8, an 1879 ; — Gaudry, *Traité de la législation des cultes*, 3 vol. in-8 ; — de Champeaux, *Code des fabriques et de l'administration paroissiale*, 2 vol. in-8, ed. an. 1862. Multa insuper reperiuntur in fasciculis diarii fabricarum, *Journal des fabriques.*

locorum distantiam difficilius adeunt Ecclesiam parochialem; remanet subordinata in spiritualibus, cum suo sacerdote, vigilantiæ ac juribus Parochi, sed in temporalibus suas res sibi habet ac regit independenter a fabrica parochiæ intra cujus fines existit : quamobrem habere et ipsa debet fabricam, iisdem regulis constitutam ac fabrica parochiæ. Edictum 12 januarii an. 1825 statuit, art. 1 : « Dans toutes les églises ayant titre de cure, de succursale, « ou de chapelle vicariale, dans lesquelles le conseil de « fabrique n'a pas été régulièrement renouvelé..., il sera « procédé à une nouvelle nomination des fabriciens, de la « manière voulue par l'art. 6 du décret du 30 décem- « bre 1809. » Communitas civilis quæ hujusmodi capellam obtinuit, tenetur providere habitationi et honestæ sustentationi presbyteri obeuntis ibidem munus sacri ministerii, nec non sumptibus cultus publici; fideles autem qui degunt in parte territorii eidem capellæ assignati, non tenentur contribuere partem impensarum Ecclesiæ parochiæ. Presbyter cui capella committitur, non præfert titulum Parochi, nec rectoris, aut desservitoris, sed capellani, seu etiam *vicarii capellani*; redditus fixos sui muneris recipit a communitate, et a gubernio partem indemnitatis vicariis assignatam[1].

Annexa dicitur capella auctoritate Episcopi, cum assensu gubernii, erecta ad petitionem quorumdam privatorum qui semetipsos obligant ad providendum omnibus impensis ejusdem capellæ et cultus publici in ea celebrandi. In eo differt a capella vicariali, de qua modo, quod dum impensæ capellæ vicarialis omnibus incolis illius districtus incumbunt, impensæ Annexæ eos solum afficiunt qui voluntarie suas subscriptiones dederunt : præterea subscrip-

1. « Le titre de *vicaire* de la cure ou succursale, accordé à un « chapelain qui dessert une chapelle, donne droit au titulaire de re- « cevoir l'indemnité de 350 fr., allouée aux vicaires sur les fonds de « l'État. » (Vuillefroi, v° *Chapelle*.)

tores non exinde solvuntur ab onere conferendi in sumptus Ecclesiæ parochialis. Annexa non habet fabricam legalem : possunt quidem fieri donationes et fundationes in illius gratiam, quæ ad illius commoda solum destinantur ; verum has donationes seu fundationes acceptari necesse est a fabrica Ecclesiæ parochialis, quæ bona Annexis data gerit in earum utilitatem. Episcopus potest quosdam deputare qui curam ordinariam gerant bonorum Annexæ, et rationem suæ gestionis reddant, salvo jure fabricæ [1].

Capellæ confraternitatum non sunt capaces acquirendi, nec agendi in foro civili, quia nulla lege constituuntur in publica instituta. Non possunt proinde habere fabricam ; et si quid eis donetur per testamenta, vel per actus inter vivos, vi carebit dispositio coram tribunalibus, nisi forte donatum censeatur fabricæ Ecclesiæ parochialis, ad quam pertinent confraternitates.

627. — *Quot consiliariis componatur fabrica, et qua ratione eligantur?*

I. Fabrica constat novem consiliariis in parochiis quinque millium incolarum, et quinque solum consiliariis in parochiis minoribus ; in utroque autem casu Parochus et præfectus urbis (*le maire*) in consilium advocantur cum jure suffragium ferendi. Si præfectus urbis non sit catholicus, repræsentatur per alium sibi in regimine civitatis adjunctum, vel hujus loco, per alium e concilio municipii.

Conditiones ut quis eligi possit in consiliarium fabricæ sunt : 1ª ut sit catholicus ; 2ª ut domicilium reale habeat intra fines parochiæ ; 3ª ut habeatur inter proceres loci. Hoc tamen ultimum non videtur requiri sub pœna nullitatis, et dimittitur arbitrio electorum, ut quem idoneum ad

1. Conditiones requisitas ad erectionem civilem capellæ vicarialis et Annexæ expositas habemus passim apud scriptores qui de fabricis disseruerunt. Vuillefroi, *Traité de l'administration du culte catholique*, vis *Annexe, Chapelle*. Gaudry, tom II, nis 576-577 ; — de Champeaux, *Code des fabriques*, tom. I, *Introduction*, XXII-XXXV.

id officium judicaverint admittant, modo sit catholicus et certam sedem habeat in territorio parochiæ. Nihil ex parte legis obstat quominus assumatur aliquis e clero, vel e vicariis parochiæ ; at in usu est ut fabrica ex laicis præsertim componatur.

II. Quando fabrica parochialis prima vice componitur, vel priori dissoluta[1], altera formatur, delectus consiliariorum fit partim ab Episcopo, partim a præfecto regionis (*le préfet*) ; ita tamen ut Episcopus quinque consiliarios aut tres assumat, pro ratione locorum. Fabrica, semel rite constituta, renovatur per partes singulis trienniis, electione juxta formas consuetas celebrata, vocatis omnibus quibus jus eligendi competit, consiliariis scilicet qui supersunt, Parocho et magistratu civili. Electio fit pluralitate suffragiorum. Ex decisione data : « Pour la régularité de « l'élection, il faut que les fabriciens qui y prennent part « soient au nombre de quatre dans les conseils des parois- « ses de cinq mille âmes, et au nombre de trois dans les « autres paroisses. » (*Avis du conseil de l'adm. des cultes*, du 7 août 1841.) Si alter ex electis decedat, aut officium dimittat, successor ipsi designatur in sessione proxime futura consilii, ea lege ut assumptus munere fungatur solummodo per tempus quo remanere debebat ille cujus locum tenet. Quando consilium neglexit electiones facere temporibus præfixis, jus eligendi defertur ad Episcopum, ex præscripto edicti 12 jan. 1825 : « Si un mois après les

1. Consilium fabricæ dissolvitur : 1° demissione voluntaria consiliariorum ; 2° auctoritate ministri principis, juxta art. 6 decreti anni 1825 : « Sur la demande des Évêques et l'avis des préfets « notre ministre... pourra révoquer un conseil de fabrique pour « défaut de présentation de budget..., ou pour toute autre cause « grave. » (Cf. *Code des fabriques*, tom. I, chap. Ier, sect. Ire. — *Révocation du conseil. — Destitution. — Révocation individuelle.*) — Dissolutum præterea censetur consilium, si omissæ fuerint electiones per tempus jure præfixum, adeo ut nulla supersit pars rite electa. Necesse est tamen ut pronuntietur, in illo casu, dissolutio fabricæ.

« époques indiquées, le conseil de fabrique n'a pas pro« cédé aux élections, l'Évêque diocésain nommera lui« même. »

III. Plures inde concludunt Episcopum posse omnes consiliarios fabricæ eligere, si per sexennium fabrica neglexerit electiones ad præscriptum legis renovare. Potest utique, transacto primo triennio, dimidiam partem consiliariorum eligere, supplendo negligentiam fabricæ; id expressis verbis statuit edictum 1825. Si vero non utatur jure suo, et aliud triennium elapsum sit quin etiam hac vice fabrica de electione curaverit, non est, inquiunt, cur Episcopus non valeat alteram partem assumere, et consequenter integrum simul consilium renovare.

Multi aliter opinantur : asserunt nempe id solum fuisse concessum Episcopo ut suppleat, loco fabricæ, electiones partiales quas ipsa fabrica prætermisit, non vero ut fabricam constituat, quando consilium deficit, adeo ut nulla amplius fabrica subsistat; atqui si elapsum sit sexennium, nulla jure superest fabrica; est constituenda ex integro, quod fieri non potest, ad præscriptum legis, nisi ab Episcopo simul et a præfecto. — Consultius agit Episcopus rem constituendo unà simul cum præfecto[1].

628. — *Quomodo constituatur consilium fabricæ, quando conventus habeat?*

Consilium fabricæ eligit sibi præsidem et secretarium, singulis annis, in sessione quæ dominicam paschalem proxime sequitur.

I. Controvertitur apud jurisperitos utrum Parochus eligi possit in præsidem, et eadem quæstio movetur de præfecto urbis.

Probabilius videtur Parochum eligi posse, siquidem lex

1. Cf. Affre, tit. I, chap. II, *Renouvellement de la fabrique;* — Gaudry, t. III, nis 987, 999, 900. — Sententia contraria propugnatur in dissertatione quam inseruit diarium *Journal des fabriques*, tom. IV, pag. 243 et seq.

nullibi statuit illum ab officio præsidis excludi; incapacitates autem debent exprimi in lege, verbis explicitis. Nonnulli arbitrantur Parochum excludi, quia mens legislatoris fuit committere negotia temporalia parochiæ consilio laicorum quo temperetur auctoritas Parochi, et non sufficienter cautum esset, si Parochus ipse, quatenus præses, moderaretur consilium; et in casu quo opiniones in partes diversas distrahuntur, haberet suffragium præponderans. Præterea, articulus 4 decreti 1809 assignat secundum locum Parocho, ad dexteram præsidis; unde colligere fas est Parochum assumendum non fore in officium præsidis.

Hæc ratiocinia, ex scopo et ex articulo legis deprompta, non certo probant thesim; fatemur tamen multo magis expedire ut alter assumatur ad munus præsidis [1]. Certius exinde vitabuntur conflictus et Parochus minus implicabitur negotiis temporalibus et difficultatibus, quæ haud raro molestias afferunt.

629. — II. Conventus fabricæ habentur temporibus lege præfinitis, scilicet quater per annum : 1ª dominica post Pascha, 1ⁱˢ item dominicis diebus mensium julii, octobris et januarii. Fas non est consiliariis suos conventus tenere extra tempora assignata, nisi extraordinarie convocentur ab Episcopo, vel a præfecto, aut de alterutrius licentia.

Interesse necesse est majorem partem consiliariorum, ut conventus valeat deliberare. Cuncta definiuntur pluralitate suffragiorum; si vero æqualia sint in partes diversas vota, præses habet suffragium præponderans, quod nempe duobus æquiparatur. Omnes conclusiones referuntur in tabulas authenticas, et ab iis qui præsentes adsunt subscriptione signantur; quod valde notandum, nam si forte locus deinceps detur processui judiciali, deferendæ erunt coram tribunali scripturæ authenticæ, quibus certo constet de causis tractatis atque definitis in consilio fabricæ.

1. *Journal des fabriques*, tom. I, pag. 25; IV, pag. 172; — Affre, chap. III, *Composition du conseil;* — Gaudry, loc. cit., nº 1007.

630. — *Jura et onera fabricæ.*

I. Fabrica potissimum instituitur ad providendum necessitatibus materialibus cultus publici. Illius jura et onera in hunc finem explicant art. 1 et 37 decreti 1809. Art. 1 : « Les fabriques sont chargées de veiller à l'entre« tien et à la conservation des temples, d'administrer les « aumônes et les biens, rentes et perceptions autorisées « par les lois et divers règlements, les sommes supplémen« taires fournies par les communes, et généralement tous « les fonds qui sont affectés au service du culte, afin d'as« surer cet exercice et le maintien de sa dignité dans les « églises auxquelles elles sont attachées, soit en réglant les « dépenses qui y sont nécessaires, soit en assurant les « moyens d'y pourvoir. » Art. 37 : « Les charges de la fa« brique sont : 1° de fournir aux frais nécessaires du culte, « savoir : les ornements, les vases sacrés, le linge, le lu« minaire, le pain, le vin, l'encens, le payement des vicai« res, des sacristains, chantres, organistes, sonneurs, « suisses, bedeaux et autres employés au service de l'é« glise, selon la convenance et le besoin des lieux ; 2° de « payer l'honoraire des prédicateurs de l'Avent, du Carême « et autres solennités ; 3° de pourvoir à la décoration et « aux dépenses relatives à l'embellissement intérieur de « l'église ; 4° de veiller à l'entretien des églises, presbytères « et cimetières[1], et en cas d'insuffisance des revenus de « la fabrique, de faire toutes les diligences nécessaires « pour qu'il soit pourvu aux réparations et reconstruc« tions. »

Ut necessitatibus provideat, fabrica redditus habet. Art. 36. « Les revenus de chaque fabrique se forment : « 1° du produit des biens et des rentes restitués aux fabri« ques ; 2° du produit des biens, rentes et fondations qu'elles « ont été ou pourront être autorisées à accepter ; 3° du

1. Cura cœmeteriorum videtur, ex legibus recentioribus, demandata municipiis. (Cf. tamen Gaudry, tom. II, pag. 539, n° 747).

« produit spontané des terrains servant de cimetières; « 4° du produit de la location des chaises; 5° de la conces- « sion des bancs placés dans l'église; 6° des quêtes faites « pour les frais du culte; 7° de ce qui sera trouvé dans les « troncs placés pour le même objet; 8° des oblations faites « à la fabrique; 9° des droits que, selon les règlements « épiscopaux, les fabriques reçoivent et de celui qui leur « revient sur le produit des frais d'inhumation; 10° du « supplément donné par la commune, le cas échéant. »

II. Præter curam bonorum temporalium divino cultui in parochia destinatorum, fabrica potest, juxta pristinas traditiones quas, annis proxime elapsis, innovavit et firmavit jurisprudentia *Consilii-Status*, accipere oblationes et fundationes factas in favorem pauperum et scholarum.

Diximus alias (n° 577) dubium esse quod ista jurisprudentia diu servetur; donec vero novus ordo rerum constitutus sit, si fiant oblationes aut fundationes, ad alterutrum finem præsignatum, fabrica consuetis regulis adhibitis recurrit ad Episcopum et ad gubernium civile ad obtinendum approbationem; et quum illam consecuta fuerit, curat ut census annui fundationi assignati, item bona immobilia si data sint, demum res mobiles, suo nomine in tabulis publicis inscribantur, in illiusque dominium veniant, non vero municipii civilis, cum fixa destinatione. Providendum ipsi consequenter erit bona gerere et redditus impendere juxta intentionem benefactorum. Si, v. g., agitur de fundatione ad pauperum sublevamen, perpendere oportet an eleemosynæ per ipsam fabricam, an Parochi ministerio debeant pauperibus distribui, quod magis consuetum est. Si de fundatione scholæ, an ex intentione benefactoris debeat committi regimen congregationi religiosæ, an personis laicis.

III. Consilium fabricæ de negotiis sibi commissis tractat atque statuit; exsecutio autem et ipsa gestio bonorum demandatur collegio matriculariorum, de quo in numero

subsequenti dicemus. Consilium proinde statuit de omnibus cujusvis generis redditibus, qui Ecclesiæ parochiali obveniunt ex bonis immobilibus, censibus annuis, fundationibus, locatione sedium, oblationibus fidelium, et aliis proventibus. Ut vero jus illud exerceat: 1° decernit quotannis impensas quas necessarias aut utiles judicat pro instauratione sacrarum ædium, acquisitione mobilium, honorariis presbyterorum, et mercede ministrorum; 2° constituit modum quo geri debeant bona immobilia Ecclesiæ, et locari fructus qui expensas excedunt; 3° statuit de commutationibus, alienationibus, locationibus ad longum tempus, de impensis extraordinariis non prævisis, si excedant summam 100 francorum in parochiis majoribus et summam 50 francorum in aliis quæ scilicet non habent 1000 incolas; 4° deliberat de lite inferenda vel suscipienda, si opportunum sibi videatur ad tuitionem jurium parochiæ; 5° denique consilio generatim ea omnia competunt quæ excedunt fines meræ administrationis, et pro quibus, in negotiis hujus generis, tutores pupillorum indigent assensu consilii familias.

631. — *Collegium matriculariorum.*

Collegium matriculariorum (Gallice, *Bureau des Marguilliers*) constat tribus consiliariis fabricæ, electione deputatis, quibus Parochus ex officio accedit.

Electio matriculariorum fit in sessione consilii fabricæ quæ habetur prima dominica post Pascha. Prima vice tres simul eliguntur; transacto anno, sorte designatur quis ex tribus exiturus sit; et alter e consiliariis illius loco eligitur; item desinente secundo anno; postea vero is loco cedit qui prior fuit in munere, et hac ratione singulis trienniis renovatur ex integro collegium. Iidem possunt repetita vice eligi, eodem modo ac membra ipsa fabricæ. Si electio matriculariorum facta non sit tempore opportuno, id est in sessione aprilis pro renovatione annua, vel, in casu quo aliquis officium deserit, in sessione quæ proxime habetur

post vacationem muneris, devolvitur ad Episcopum. Omnes consiliarii fabricæ possunt eligi, excepto tamen quod assumendi non sint insimul duo consanguinei, nec affines in primo vel in secundo gradu, scilicet fratres, avunculus cum nepote.

Collegium semel constitutum eligit suum præsidem, secretarium et thesaurarium. Hæc diversa officia totidem membris collegii committenda sunt, quia repugnat cum natura onerum, ut idem expleat munus præsidis et thesaurarii, vel secretarii.

Parochus potest, si ad id muneris assumatur ac velit, secretarii vices agere; at contrarium videtur legi civili ut eligatur in præsidem collegii, nec suam dignitatem decet ut ministerium thesaurarii occupet. Lex civilis statuit arcam nummariam tribus clavibus obserendam esse, ex quibus una Parocho, altera præsidi, tertia thesaurario committatur; si Parochus esset præses, duas simul claves teneret, quod non stat cum articulo legis. Insuper Parochus debet rationem exsecutionis fundationum reddere collegio, et exhibere indicem impensarum quæ accurate perpendantur in eodem collegio prius quam res deferatur ad consilium; est autem contra mentem legis, et regulis consuetis minime congruum, ut suas rationes ipse quatenus præses collegii discutiat atque probet. Hinc pluries responsum fuit ab administris gubernii, Parochum non posse assumi ad officium præsidis.

Præses collegii non potest secretarium agere; siquidem consignatione præsidis datur authenticitas scripturis et transcriptionibus secretarii; et generatim scripta, ut fidem faciant, debent signari simul ab utroque, a præside scilicet et a secretario.

632. — Munia præsidis, secretarii, et thesaurarii collegii matriculariorum, definiuntur in lege.

Præses collegium convocat ac dirigit; habet suffragium præponderans; signum suum apponit conventionibus quæ

de consensu collegii fiunt; dat mandata circa summas solvendas a thesaurario, juxta art. 28 legis : « Tous les marchés seront... signés par le président, ainsi que les mandats. » Libros secretarii et thesaurarii consignat, et præsertim recensionem singulis annis faciendam mobilium et titulorum parochiæ; tandem tenet alteram e tribus clavibus arcæ nummariæ.

Secretarius collegii inscribit omnes deliberationes, item actus quoscumque fundationum, titulos jurium parochiæ, locationes, et generatim cuncta quæ a collegio præfiniuntur. Ipsius est facere recensiones seu inventaria de quibus modo, et redigere in tabulas rationes impensarum et redditaum, de quibus statuet consilium fabricæ.

Thesaurarius invigilat conservationi et integritati bonorum parochiæ, ne servitutibus aut præscriptionibus subjaceant, ne deteriorentur, aliave causa imminuantur. Procurare tenetur ut recipiantur annui redditus, aliave subsidia cujusvis generis quæ fabricæ obvenire debent. Ipsius est facere omnes impensas quæ a consilio fabricæ decretæ sunt. Providet quotidianis necessitatibus cultus publici, et mobilium instaurationi.

Quam grave onus incumbat thesaurario, sufficienter comperitur ex illa summaria rerum indicatione. Tenetur in foro conscientiæ curam sedulam impendere in negotiorum gestione, ne Ecclesia detrimentum patiatur; et graviter peccat contra virtutem religionis et justitiæ si sua culpa res fabricæ pereant. Præterea, rationem suæ administrationis, eorum nempe quæ recepit et quæ expendit, exhibere tenetur singulis trimestribus, ut plane innotescat verus status rerum ; singulis autem annis rationem reddit gestionis per annum integrum. Si forte abnuerit vel ex industria distulerit rationem, cogi potest a tribunalibus, prout statuitur in art. 90 decreti an. 1809. « Faute par le trésorier de « présenter son compte à l'époque fixée et d'en payer le « reliquat, celui qui lui succédera sera tenu de faire dans

« le mois au plus tard les diligences nécessaires pour l'y « contraindre et à son défaut, le procureur impérial, soit « d'office, soit sur l'avis qui lui en sera donné par l'un des « membres du bureau ou du conseil, soit sur l'ordonnance « rendue par l'Évêque en cours de visite, sera tenu de pour« suivre le comptable devant le tribunal de première ins« tance, et le fera condamner à payer le reliquat, à faire les « articles débattus, ou à rendre son compte, s'il ne l'a été ; « le tout dans un délai qui sera fixé : sinon, et ledit temps « passé, à payer provisoirement, au profit de la fabrique, « la somme égale à la moitié de la recette ordinaire de « l'année précédente, sauf les poursuites ultérieures. »

Fabrica potest persequi judicio thesaurarium qui culpabili negligentia, in rerum ipsi commissarum gestione, nocumentum parochiæ intulit, a fortiori qui suo munere abusus est ad suos quæstus. Non videtur tamen fabricam frui jure hypothecæ legalis super bonis mobilibus et immobilibus thesaurarii : siquidem hypotheca legalis afficit tantum bona illorum qui publica auctoritate constituuntur administratores cum onere rationem reddendi eidem auctoritati ; porro thesaurarius non constituitur publica auctoritate ; et illius rationes non deferuntur ad curiam præpositam examini rationum (*la Cour des Comptes*). Difficillimum præterea foret Ecclesiis parochialibus virum idoneum habere, qui vellet officium thesaurarii suscipere, si onus adeo grave, ac in gerendis negotiis familiæ incommodum, eidem officio connecteretur [1].

633. — *Officia et obligationes collegii matriculariorum.*

Collegium matriculariorum suos conventus habet singulis mensibus, et quoties expetit præses aut Parochus. Hæc autem collegio committuntur :

1° Exsequi curat quæ decreta sunt a consilio fabricæ.

2° Administrat bona parochialia eo circiter modo quo

1. Cf. Gaudry, t. III, n. 1138.

tutor curat res pupilli; atque ideo concludit conventiones cum artificibus et mercatoribus pro acquisitione rerum vel operibus præstandis; curat de exsecutione fundationum; solvit honoraria vicariorum et prædicatorum qui invitati sunt pro stationibus, item stipendia ministrorum; providet quotidianæ administrationi, præstando mobilia, vasa, ornamenta, cereos, panem, vinum, incensum, aliaque necessaria ad cultum divinum; nominat, ex art. 32, prædicatorem ad Parochi præsentationem, quando fabrica certam summam pro prædicationibus extraordinariis assignat. (Hoc, satis absonum et a nostris moribus alienum, non observatur; electio enim et nominatio prædicatorum ad Parochum exclusive pertinent, salvo jure fabricæ determinandi stipendium quod ex thesauro parochiæ erogandum erit.) Nominat et revocat, ad propositionem Parochi, organicum, campanæ pulsatorem, bidellos, et cæteros qui Ecclesiæ parochiali famulantur[1]. Si urgeant necessitates inopinatæ, potest impendere summam 50 francorum in parochiis minoribus quæ non habent 1,000 incolas, et 100 in majoribus. Aliæ impensæ majores submittendæ sunt decisioni consilii fabricæ.

3° Custodit arcam, tribus clavibus obseratam, in qua reponitur pecunia fabricæ; nihilque exinde extrahendum est nisi de licentia collegii, adhibitis cautionibus requisitis. Custodit etiam armarium ubi reconduntur tituli omnes, et libri computorum annorum præcedentium.

4° Deliberat de certis negotiis quæ deferenda sunt ad consilium fabricæ, cujus definitione statuentur. Præcipua sunt: budgetum, alienationes immobilium, locationes sedium, opportunitas litem inferendi vel sustinendi.

1. Art. 7 edicti 1825 statuit : « Dans les communes rurales, la « nomination et la révocation des chantres, sonneurs et sacristains, « seront faites par le curé, desservant ou vicaire; leur traitement « continuera à être réglé par le conseil de fabrique et payé par qui « de droit. »

634. — *Budgetum* nuncupatur status reddituum percipiendorum et expensarum, per decursum anni proxime sequentis.

Ut præparetur budgetum, Parochus debet exhibere collegio indicem in quo exponantur singulatim omnes expensæ quas necessarias reputat pro usu quotidiano, pro conservatione mobilium, et novorum acquisitione loco priorum quæ obsoleverunt. Fas est etiam cæteris matriculariis proponere quæ opportuna ipsis videntur. Hæc cuncta expendit accurate collegium, et, cum probata sunt, secretarius in tabulas inscribit, indicando ex una parte redditus qui sperantur obventuri fabricæ per anni decursum, et ex altera parte expensas, quas ordine subsequenti consignandas lex censuit : « 1° Les frais ordinaires de la célébration « du culte ; 2° les frais de réparation des ornements, meu- « bles et ustensiles de l'église ; 3° les gages des officiers et « serviteurs de l'église ; 4° les frais de réparations locatives. « La portion des revenus qui restera après cette dépense « acquittée servira au traitement des vicaires légitimement « établis, et l'excédant, s'il y en a, sera affecté aux grosses « réparations des édifices affectés au culte. » (Art. 46 legis anni 1809.)

Consilium fabricæ budgetum, opera collegii præparatum, examinat ac statuit in conventu dominicæ in *Albis*, et deinde ad Episcopum defert ut illius auctoritate approbetur; non enim censetur obligatorium, nec exsecutioni mandatur, antequam Episcopus illud probaverit. Si Episcopus jusserit inscriptionem impensarum, quas fabrica prætermittendas duxerat, et fabrica monitis ac mandatis Episcopi adhæreat, res acta erit. Si vero fabrica subscribere recusaverit, Episcopi erit, simul et præfecti regionis, causam definire communicatis inter se consiliis; et in casu quo non in idem consentiant, res defertur ad ministrum gubernii, præpositum administrationi temporali cultus.

Quando redditus parochiæ impares sunt oneribus, re-

curritur ad municipium quod tenetur, in locum fabricæ, providere impensis necessariis, ex art. 92 decreti 1809: « Les charges des communes relativement au culte sont : « 1° de suppléer à l'insuffisance des revenus de la fabrique « pour les charges portées en l'art. 37; 2° de fournir au « curé ou desservant un presbytère, ou, à défaut de pres- « bytère, un logement, ou, à défaut de presbytère et de « logement, une indemnité pécuniaire ; 3° de fournir aux « grosses réparations des édifices consacrés au culte. »

Consilium municipale non suppeditat sumptus parochiæ, nisi sibi constet, inspecto indice reddituum et expensarum rite approbato, expensas de quibus statutum fuit, reipsa urgere, et redditus parochiæ non sufficere. Si consilium municipale nolit providere necessitatibus parochiæ, recursus habetur ad præfectum. Si vero non possit, quia nimirum privatur facultatibus quibus simul subveniat necessitatibus municipii, recurritur ad gubernium quod curat ut singulis annis destinetur, in budgeto generali reipublicæ, certa summa fabricis parœcialibus juvandis. (Art. 93 et seq.)

Circa alienationes, art. 62 statuit : « Ne pourront les « biens immeubles de l'église être vendus, aliénés, échan- « gés, sans une délibération du conseil, l'avis de l'Évêque, « et notre autorisation. » Sub illa generalitate verborum continetur omne bonum immobile quodcumque sit, etiam modici valoris. Prohibitio insuper extenditur, vi alterius legis, ad census annuos quorum alienatio prohibetur, et probabiliter ad cessionem jurium incorporeorum. Nulla igitur atque irrita reputatur venditio, aut commutatio aliter facta quam ex consensu gubernii; gubernium vero, antequam probet fieri hujusmodi alienationem, prærequirit ut sibi exhibeatur æstimatio rei a selectis arbitris, informatio acta de commodo et incommodo, deliberatio consilii fabricæ et consilii municipii, sententia subpræfecti et præfecti regionis, sententia præterea Episcopi, ut securius judicetur de opportunitate cessionis.

Lex interdixit matriculariis, non vero consiliariis fabricæ, ne rem vendendam emant, vel socios se habeant illius cui adjudicata fuerit; nam art. 61 fert : « Aucun des membres du bureau des marguilliers ne peut se porter, soit « pour adjudicataire, soit même pour associé de l'adjudi- « cataire. » De venditione mobilium nihil statuitur in lege, quia rerum mobilium, quæ usu paulatim consumuntur, emptio et venditio sunt actus meræ administrationis quos dimittere necesse est fabricæ. Si tamen ageretur de re mobili pretiosa, recurrere oportet ad Episcopum sine cujus sententia fieri non debet alienatio.

635. — Quod ad *locationes* attinet, hæc sunt notanda :

1° Locationes quæ anticipatis solutionibus fiunt improbantur, quia exinde Ecclesiæ redditu annuo frustrantur. « Magnam Ecclesiis perniciem afferri solet, ait synodus « Tridentina, cum earum bona, repræsentata pecunia, in « successorum præjudicium aliis locantur. « (Sess. xxv, cap. xi, *de Reform.*) Quamvis hæc dicta sint de beneficiariis, qui bona beneficii locare præsumunt cum detrimento suorum successorum, extendi etiam debent, servata proportione, ad omnes administratores Ecclesiarum, præsertim parochialium.

Quid de locationibus ad tempus diuturnum leges canonicæ statuerint alibi diximus (n° 623) : leges civiles concedunt ut immobilia urbana locentur ad novem annos, et immobilia rusticana ad decem et octo annos, servatis regulis juris communis pro cæteris institutis publicis. Locatio excedens tempus præfixum irrita est quoad excessum, nisi fiat de consensu gubernii [1].

Omnes hujusmodi locationes sive intra tempus consuetum, sive ad tempus excedens, fiunt per licitationem et per adjudicationem, coram notario et thesaurario collegii matriculariorum.

1. *Code des fabriques*, tom. II, p. 4-20.

2° Consilium fabricæ determinat pretium locationis sedium in Ecclesia, et simul modum quo fieri debeat concessio. Providendum est ne plures ex fidelibus avertantur ab assistentia divinis officiis, nimia difficultate quam experirentur in solvendo pretium præfinitum; atque idcirco pretium istud constituere expedit, ratione habita status incolarum parochiæ. Locum præterea reservari oportet quo egeni, et quotquot alii gravantur onere solvendi pretium, possint interesse sacris officiis et conciones commode audire.

Art. 66 decreti 1809 statuit : « Le bureau des marguil-« liers pourra être autorisé par le conseil, soit à regir la « location des chaises, soit à la mettre en ferme. »

Si modus ille ultimus assignatus sit, consilium fabricæ explicat in scripto, intra Ecclesiam affigendo, conditiones conductionis, scilicet : quid conductor possit requirere a singulis personis pro diversis officiis, quæ sedilia reserventur egenis, quæ sint publica exercitia pro quibus nihil repetendum erit ex usu sedium. Contractus conductionis fiet per licitationem, in gratiam illius qui majus pretium obtulerit, et in acta publica a notario referendus erit.

Si fabrica susceperit et regat sedium locationem, aliquem præponit qui in singulis officiis pretium stipulatum percipiat, et pecunias receptas apud thesaurarium deponat. At potest etiam sedes concedere pro censu annuo, ad tempus limitatum, servatis ea de re regulis constitutis. Si concessio non excedat novem annos, fit a collegio matriculariorum ex prævia deliberatione et assensu consilii fabricæ, quin necesse sit recurrere ad Episcopum vel ad præfectum regionis. Potest insuper eamdem concessionem stipulari ad tempus illimitatum, ea conditione ut quis jure sedem occupandi fruatur per totum vitæ suæ decursum. In hoc autem casu, sicut in locationibus quæ excedunt novem annos, requiritur, præter consensum consilii fabricæ, approbatio gubernii. Approbationem expetitam dat præ-

fectus pro summis minoribus 300 francis; minister vero principis pro majoribus summis, et pro immobilibus. Sive autem concessio fiat ad tempus limitatum, sive ad vitam personæ, magnopere refert ut annuatim præstetur census; vel ut pretium semel solutum collocetur in census annuos, alioquin recedunt administratores a regulis jure canonico præfixis, et plerumque detrimentum exinde patietur parochia.

636. — Omnes consiliarii fabricæ jus habent occupandi sedem in loco ipsis assignato, qui Gallice dicitur *Banc de l'œuvre;* quo jure perfruuntur quamdiu suum officium retinent.

Si quis Ecclesiam parochialem in integrum propriis sumptibus ædificaverit, potest sibi et suæ familiæ retinere usum unius sedis, aut etiam unius capellæ. Id statuit art. 72 decreti 1809, quem communiter ita interpretantur ut non omnes generatim consanguinei fundatoris hac prærogativa potiantur, sed solummodo ascendentes et descendentes. « C'est d'après cela, ait jurisperitus recentior, « qu'il a été décidé que, lorsqu'une personne, en donnant « la propriété d'une église, s'est réservé pour elle et les « siens, un droit de banc, ce droit, à la mort du donateur, ne « s'étend pas indéfiniment à ses héritiers en ligne collaté- « rale, et qu'il fait retour à la fabrique, si ce donateur n'a « laissé aucun descendant [1]. » — Benefactor potest eumdem favorem sibi, suæque familiæ obtinere; cum tamen lex non statuerit quandonam donum Ecclesiæ concessum hujusmodi sit ut attribui debeat hæc prærogativa, idque pendeat a circumstantiis, fabricæ judicio et approbationi gubernii submittitur postulatio donatoris.

In cæremoniis extraordinariis ad quas ex officio convo-

1. De Champeaux, *Code des fabriques*, tom. II, *de la Location des chaises et de la Concession des bancs et places dans les églises*, n° 80, page 260. Auctor multa complectitur in eo articulo scitu utilia, circa jurisprudentiam et praxim locationis sedium, pag. 194-303.

cantur qui munera publica obeunt, in ordine administrationis civilis, judiciariæ et militaris, parantur sedes distinctæ et gratuitæ omnibus qui vocati fuere.

Exceptis casibus supra præfinitis, nemo sibi vindicare potest jus habendi sedem distinctam, aut gratuitam, in ecclesia parochiali. Consuetum est tamen ut nonnullis personis, præsertim fratribus scholarum piarum, et monialibus quæ scholis parochiæ præponuntur, concedatur sedes absque ulla pretii præstatione, quod usu retinendum est. Alios usus, aut privilegia peculiaria, quibus Ecclesia defraudatur proventu sedium, inducere non debet nec potest Parochus, nisi assentiente fabrica.

637. — Superest ut nonnulla adjiciamus de ratione servanda quando fabrica versatur in necessitate inferendi aut sustinendi litem [1].

1° Thesaurarius debet facere actus *conservatorios*, ut aiunt, qui scilicet inserviunt tuitioni jurium fabricæ, quin adhibeatur forma processus judicialis, cujusmodi sunt: postulatio debiti ad recuperationem bonorum, vadimonii denuntiatio apud judicem ad ineundum viam conciliationis, vel ad impediendum præscriptionem.

2° Quando necessitas urgere videtur litem inferendi, præire debet deliberatio consilii fabricæ; deinde expetitur sententia consilii municipii, demum causa defertur ad consilium præfecturæ, cujus est concedere, aut denegare licentiam litem suscipiendi; fabrica siquidem non potest, nedum litem inferre, sed nec causam quidem sustinere se defendendo coram tribunalibus, nisi consilium præfecturæ, vel consilium supremum *Status*, litis susceptionem approbaverit.

3° Causæ deferuntur vel ad tribunalia ordinaria, vel ad tribunalia administrationis, pro natura rerum.

Causæ in quibus agitur de proprietate, scilicet de exis-

1. *Code des fabriques*, tom. II, *des Procès*, p. 334-408.

tentia, extensione, exercitio juris in re, vel juris ad rem, sortiuntur tribunalia ordinaria : sic, concertationes de proprietate census, de validitate et effectibus donationis, de servitute invocata ab aliquo privato contra fabricam aut vicissim, de exigentia aut solutione debiti, deferendæ sunt ad tribunalia, servato ordine legibus constituto quoad competentiam auditorii *judicis pacis*, tribunalis primæ instantiæ, et curiarum superiorum.

Causæ e contra in quibus in jus vocatur actus administrationis, deferuntur ad consilium præfecturæ, et, si fiat appellatio, ad consilium supremum *Status*. Hujusmodi sunt : difficultates subortæ inter fabricam et thesaurarium, an iste suas rationes modo legibus statuto reddiderit ; inter administratores funeralium et fabricam de sensu et executione statutorum quæ ab auctoritate competenti sancita sunt; inter Parochum et fabricam, si parochus contendit gestionem fabricæ nocumentum afferre parochiæ; inter privatos et fabricam de mutatione sedium vel scamnorum e loco. Hæc et similia referuntur ad consilia administrationis.

Multoties prodierunt e Concilio-Status declarationes in eo sensu : « Les principes posés comme règle générale, « *ait* Gaudry, se résument ainsi : toutes les actions civiles « dans lesquelles la fabrique a un intérêt comme personne « privée sont de la compétence des tribunaux ordinaires; « tous les actes dans lesquels le conseil de fabrique agit « dans la limite de ses fonctions administratives donnent « lieu à des actions administratives[1]. »

4° Thesaurarius agit nomine fabricæ in prosequendo litem. Si sententia proferatur contra fabricam in prima instantia, potest provocare ad tribunal superius, quin opus sit ad hunc finem nova approbatione ex parte gubernii.

II° *De regimine bonorum tituli parochialis.*

1. Gaudry, *Traité de la Législation*, tom. III, n° 951.

638. — I. Titulus parochialis (*la cure*) est institutum publicum, quod jure civili acquirere potest bona temporalia.

Bona tituli parochialis sunt distincta a bonis parochialibus, cum hæc destinentur ad cultum publicum in Ecclesia parochiali exercendum, illa vero ad dotationem et sustentationem titularis, nimirum Parochi : quamobrem maxime refert ut qui donationes facere intendunt per actus inter vivos, aut per testamenta, expressis verbis significent an parochiæ, an titulari, id est Parocho, donare velint. In priori casu acceptatio fit a fabrica; in altero a Parocho, habita prius sententia Episcopi et præfecti, et obtenta approbatione a gubernio civili.

II. Fabrica invigilat conservationi bonorum tituli parochialis, prout statuit decretum 1813, art. 1 : « Dans toutes « les paroisses où les curés ou desservants possèdent à ce « titre des biens-fonds ou des rentes, la fabrique établie « près chaque paroisse est chargée de veiller à la conservation desdits biens. Art. 2. Seront déposés dans une caisse « ou armoire à trois clefs de la fabrique tous papiers, titres « et documents concernant ces biens. » Administratio autem et usufructus eorumdem bonorum pertinet ad Parochum, juxta regulas generales in Codice civili constitutas de usufructuariis. Non potest ea alienare, commutare, hypothecis gravare ullive servituti subjicere, aut tandem locare ad tempus novem annos excedens, nisi servando conditiones jure præfinitas; quia hujusmodi actus possent grave præjudicium afferre titulo parochiali.

Expensas cujusvis naturæ ad conservationem bonorum necessarias Parochus tenetur subire, exceptò solum quod, ubi de domo presbyterali agitur, art. 21 decreti citati fert : « Les curés ne sont tenus à l'égard du presbytère qu'aux « réparations *locatives*[1], les autres étant à la charge des

1. Quæ sint reparationes quas *locativas* dicunt, explicat art. 1754 Codicis civilis.

« communes. » Ut vero fruatur beneficio legis quoad reparationes majores, necesse est ut fiant prævia approbatione ac jussu auctoritatis sæcularis, servatis regulis præfixis; alioquin Parochus, qui sponte sua instaurationes presbyterii exsequi mandaverit, nullum recursum haberet in municipium.

III. Titulo parochiali vacante obitu Parochi, *judex pacis* tenetur, ex officio, omnia bona tituli consignare. Sigilla publica auferuntur deinceps ad postulationem hæredum, præsente thesaurario fabricæ; vel ad postulationem ipsius thesaurarii, vocatis hæredibus titularis defuncti[1]. Sublatis sigillis, fit recensio titulorum et mobilium quæ pertinent ad presbyterium et status ædium; si aliquid perierit, aut deterioratum sit negligentia titularis defuncti, thesaurarius agere debet contra hæredes ut curent cuncta instaurari; quod expressis verbis lex civilis statuit : « Le « trésorier de la fabrique poursuivra les héritiers, pour « qu'ils mettent les biens de la cure dans l'état de répara- « tion où ils doivent les rendre... Dans le cas où le trésorier « aura négligé d'exercer ces poursuites, à l'époque où le « nouveau titulaire entrera en fonctions, celui-ci sera tenu « d'agir lui-même contre les héritiers, ou de faire une « sommation au trésorier de la fabrique de remplir à cet « égard ses obligations. » Novus titularis qui hæc prætermittit, in discrimen venit subeundi onera quæ præcedenti titulari, vel fabricæ incumbunt.

Redditus bonorum tituli parochialis, quæ tempore vacationis obveniunt, percipiuntur a thesaurario fabricæ, et in arca reponuntur ut inserviant gravioribus reparationibus domus presbyteralis.

IV. Quando novus titularis possessionem sui beneficii

1. Si la vacance arrivait par mutation ou par autre cause, il n'y aurait lieu ni à scellés ni à inventaire. En ce cas, le trésorier de la fabrique se bornerait à dresser un récolement sur le précédent inventaire, contradictoirement avec le curé (art. 20 decreti an. 1813).

suscipit, locus esse potest partitioni fructuum, inter ipsum et prædecessorem, hujusve hæredes.

Regula generalis est ut ratio habeatur anni integri, incipiendo a prima die januarii et computentur omnes fructus, tum civiles, tum naturales, tituli parochialis per annum. Deducuntur impensæ necessariæ aut utiles pro cultura et pro seminibus quæ refundi debent titulari prædecessori, ne alter ditescat ex ære alieno : quod autem superest dividitur inter utrumque, proportione habita ad partem anni qua officio Parochi uterque functus est. Ex art. 26 decreti anni 1813, concertationes de partitione fructuum dirimit consilium præfecturæ; multo magis decet ut ad Episcopum deferantur, si non potuerint ex mutuo consensu, nec ad arbitrium tertii, concludi[1].

III° *De regimine bonorum Ecclesiæ cathedralis et sedis episcopalis.*

639. — Fabrica præponitur administrationi bonorum Ecclesiæ cathedralis cum consilio et matriculariis, ut constitutum diximus pro administratione bonorum parochiæ, sed non eadem conditione.

1. Gaudry, tom. III, n^is 1204-1214; — *Journal des fabriques*, tom. IV, pag. 337-345. Episcopus Petrocorisensis ita suo clero jura indixit, mandato an. 1855. « 1° Quand il s'agit des fruits pendants « ou non encore recueillis dans un jardin ou une terre appartenant « au presbytère, on se conformera à ce que prescrit la loi civile « (art. *de l'Usufruit*); 2° s'il s'agit au contraire de fruits ou céréales « que dans certaines paroisses on donne comme casuel ou compen- « sation du casuel, le curé partant et le curé arrivant les partageront « au *prorata* de la durée du service de chacun, depuis la dernière « récolte jusqu'à la récolte suivante; 3° dans le cas où il s'élèverait « un désaccord sur l'application des règles précédentes, nous dési- « rons que l'affaire soit portée devant le doyen qui, seul ou assisté « de deux confrères, selon le désir des parties contendantes, por- « tera une sentence conciliatrice qu'on acceptera en toute paix et « charité. »

In eo sensu respondit S. Congregatio Concilii, die 20 sept. 1873, sc. fructus dividendos esse pro rata temporis, detractis oneribus. (*Acta S. Sedis*, vol. VIII, p. 193-202).

Art. 104 decreti 1809 statuit : « Les fabriques des « églises métropolitaines et cathédrales continueront à être « composées et administrées conformément aux règlements « épiscopaux qui ont été approuvés par nous. » Porro, ex statutis probatis, Episcopus eligit omnes consiliarios, componit collegium matriculariorum, nominat præsidem, secretarium et thesaurarium, designat tempora quibus fabrica habere debeat conventus, et ipse præsidet quoties opportunum judicaverit. Electio consiliariorum fit ad tempus statutis præfinitum ; et si forte nihil ea de re provisum fuerit, censetur facta saltem ad annum, adeo ut Episcopus non debeat pro arbitrio revocare a munere quos assumpserit.

Magnum exinde oritur discrimen inter utramque fabricam, Ecclesiæ parochialis, et cathedralis. Fabrica Ecclesiæ cathedralis res sub nutu Prælati administrat, ita ut non valeat suo jure statuere, sed cuncta definienda sint auctoritate Episcopi. « Le conseil de fabrique de la cathédrale, « *ait* D. Gaudry, est plutôt un véritable conseil qu'une au- « torité ayant le droit de décider. » (Tom III, n° 112.)

Ea tamen quæ excedunt fines meræ administrationis, v. g., locationes ad diuturnum tempus, alienationes immobilium, etc., Episcopus facere non potest nisi servatis conditionibus quas jure præscriptas diximus pro bonis parochiarum et habita approbatione gubernii civilis.

Si parochia uniatur Ecclesiæ cathedrali, non idcirco duæ fabricæ formantur. Una est, quæ bona redditusque cathedralis et parochiæ simul administrat[1]. Expedit ut redditus separatim reponantur, quantum fieri potest, ut judicari possit de redditibus, impensis et necessitatibus parochiæ, si quando recurratur ad consilium municipale. Municipium

1. Non constat an illa fabrica constitui debeat ad præscriptum decreti 1809 pro fabricis parochialibus, an uti fabrica Ecclesiæ cathedralis. Usu tamen prævaluit, ubi parochia unitur cathedrali, ut fabrica erigatur juxta statuta specialia pro fabricis Ecclesiarum cathedralium.

tenetur, ex dictis supra, providere necessitatibus cultus publici; non tenetur vero supplere, loco fabricæ, quæ necessaria sunt Ecclesiæ cathedrali. Hæc consilio generali regionis incumbunt, præsertim gubernio quod singulis annis præstari curat, in budgeto generali reipublicæ, subsidia necessaria tum conservationi ædificiorum diœcesanorum, tum etiam acquisitioni vasorum et ornamentorum quibus Ecclesiæ cathedrales indigent [1].

640. — Episcopus usumfructum et administrationem habet bonorum mobilium et immobilium tituli episcopalis; quæ *mensa episcopalis* quandoque nuncupantur, quia donata sunt sedi episcopali, ut inserviant necessitatibus Præsulis.

Tituli, scripta authentica, aliaque documenta de bonis mensæ Episcopalis, deposita remanent in scriniis secretariatus, unde retrahi non debent nisi de mandato Episcopi.

Episcopus easdem fere regulas sequitur in gestione, quas edictas modo diximus pro administratione bonorum tituli parochialis, et eisdem oneribus obnoxius est. Conficitur simili modo inventarium, seu accurata recensio tum bonorum mensæ episcopalis, tum mobilium quæ gubernium assignat palatio episcopali.

Mortuo titulari, apponuntur sigilla publica, quæ deinceps judex aufert ad petitionem illorum quorum interest, servatis regulis consuetis; et si quid immutatum seu deterioratum comperiatur culpa defuncti, hæredes in jus vocantur ut cuncta reponi curent in statu congruo.

Commissarius a gubernio nominatus eadem munia obit in conservationem atque gestionem mensæ episcopalis, quæ thesaurario fabricæ demandata sunt pro gestione bonorum tituli parochialis, beneficio vacante. Bona regit

1. Qua ratione procedendum sit ut obtineantur hæc subsidia, explicant plures epistolæ *ministeriales*, quas collegit diarium *Journal des fabriques*, tom. III; *Code des fabriques*, tom. II, *Charges des Communes relativement au culte*, pag. 484 et seq.

usquedum alter Episcopus sedis possessionem obtinuerit, et omnes fructus percepti interea censentur principi sæculari obvenire, ad præscriptum art. 33 decret. an. 1813, quo declaratur *jus regaliæ* retineri in imperio juxta veterem morem. Jus illud, ni fallor, ad praxim non adducitur, et fructus sede vacante percepti servantur, deductis impensis, ad instaurationes ædium tituli Episcopalis, quod æquitati naturali omnino consentaneum est. Bona quæ diœcesibus acquisita sunt donationibus spontaneis fidelium in dotationem sedis episcopalis, nullatenus obnoxia sunt juri dominii reipublicæ; quamobrem non est ratio cur fructus ex iisdem bonis collecti reserventur gubernio.

IV° *De regimine bonorum capituli Ecclesiæ cathedralis et seminariorum.*

641. — Capitula Ecclesiarum cathedralium, et collegiatarum rite constitutarum, possunt acquirere bona per actus inter vivos et per testamenta. Acceptatio fit a prima dignitate capituli, postquam gubernium civile, audita sententia Episcopi et præfecti, licentiam concesserit.

Capitulum habet usumfructum bonorum omnium mensæ capitularis, quorum redditus æqua ratione in singulos canonicos dividuntur, nisi inserviant in usum communem totius capituli. 1° Deliberat in conventu de omnibus quæ ad gestionem bonorum suorum referuntur, modo præsens adsit numerus canonicorum art. 50 decret. 1813 præfinitus : « Le chapitre ne pourra prendre aucune délibération relative à la gestion des biens ou répartition des revenus, si les membres présents ne forment au moins les quatre cinquièmes du nombre total des chanoines existants. » Hæc autem deliberatio debet approbari ab Episcopo. Si Episcopus a capitulo dissentiat, causa defertur ad ministrum gubernii præpositum administrationi civili cultuum. 2° Actus administrationis fiunt a thesaurario capituli qui ad illud officium designatus fuit ab Episcopo, ex duobus candidatis a capitulo præsentatis. 3° The-

saurarius omnia peragit quæ ad gestionem referuntur, nec excedunt fines meræ administrationis, ut supra dictum fuit de thesaurario fabricæ parochialis. 4° Rationes reddit, semel per annum, coram commissariis a capitulo designandis. Capitulo fas est thesaurarium a munere removere quando opportunum judicaverit. Singulis quinquenniis nova fit electio; idem vero potest iterata vice assumi.

642. — Seminaria possunt acquirere census et bona immobilia, non secus ac cætera instituta publica de quibus hactenus egimus. Acceptatio donationum fit ab Episcopo, servatis regulis consuetis.

Ad regenda bona seminarii constituitur collegium cujus præses est Episcopus, aut, vice Episcopi, vicarius generalis, et cui intersunt rector et œconomus seminarii, secretarius qui idem est ac cancellarius Episcopi, cum thesaurario a gubernio civili nominato ad præsentationem Episcopi.

Decretum an. 1813 multa statuit ab art. 62 ad 80 quæ supervacaneum putamus referre. Hæc notare sufficiat:

1° Pecunia seminario obveniens ex redditibus annuis, ex subsidiis quæ gubernium præstat, et ex donationibus fidelium, servanda est in capsa tribus clavibus obserata, ex quibus una apud Episcopum, aut illius vices agentem, altera apud rectorem seminarii, tertia apud thesaurarium manet. Tituli et alia scripta authentica simili modo asservantur. 2° Œconomus non potest impensas extraordinarias facere absque speciali scriptisque consignata approbatione data ab Episcopo, audito collegio : pro impensis ordinariis recipit a thesaurario, initio cujusque mensis, pecunias necessarias juxta tabulam ab Episcopo approbatam. 3° Thesaurarius et œconomus rationem reddunt quotannis reddituum et expensarum seminarii; quæ ratio ab Episcopo probata transmittitur ad ministrum gubernii. Cætera quæ ad gestionem bonorum, locationes, alienationes, litis susceptionem, attinent, iisdem fere regulis subjacent, quas lex indixit pro fabricis parochiarum.

SCHOLIUM.

643. — Legislationem civilem de regimine bonorum ecclesiasticorum referre opportunum duximus, ut clerici ediscant quæ in hac parte statuta sunt; utque præcaveant, qui publico ministerio addicti sunt, ab agendi ratione quæ in discrimen adduceret bona temporalia Ecclesiæ. Sed animadvertere simul debuimus eamdem legislationem non consentire, sub variis respectibus, cum libertate Ecclesiæ et sanctis canonibus. Concilium Lateranense I, canone, 4° statuit « ut laici, quamvis religiosi, nullam disponendi de « rebus ecclesiasticis facultatem habeant, sed omnium ne« gotiorum ecclesiasticorum curam habeat Episcopus ». Gregorius X edidit legem in concilio Lugdunensi qua prohibitum fuit « universos et singulos Prælatos Ecclesias sibi « commissas, bona immobilia, seu jura ipsarum, laicis « submittere, subjicere, vel supponere, absque capituli sui « consensu et Apostolicæ Sedis licentia.» (Cap. *Hoc consultissimo*, 2, DE REBUS ECCL. NON ALIENANDIS, in VI°).

Non exposcimus quidem ut immutetur ratio generalis administrandi bona ecclesiastica per fabricam : magnas certe utilitates præfert modus iste gestionis, qui in consilium advocat viros selectos e parochia; expedit titularem sollicitudinibus temporalibus; simul etiam removet ab eo omnem suspicionem, seu cupiditatis, seu negligentiæ, in dispensatione bonorum. Consiliarii, pro sua experientia in negotiis mundanis, magnam securitatem præstant, quod unicuique perspicuum est. Nec etiam dicemus gubernium civile penitus abstinere debere, ne se ingerat in administrationem bonorum temporalium Ecclesiæ, ullove modo huic administrationi advigilet, aut de illa curet. Cum assumpserit onus supplendi, ex publico ærario municipiorum et reipublicæ, quæ necessaria sunt instaurationi sacrarum ædium, sumptibus cultus publici, et clericorum

parochiis deservientium sustentationi, præsumendum non est ut omnem curam dimittat de conservatione et alienatione bonorum quibus communitates ecclesiasticæ sibi partim sufficiunt. Cum vero ex inconcussa doctrina catholicorum, res sacræ administrationi Ecclesiæ subjaceant et Ecclesia suis juribus nulla potestate humana privari legitime possit, hæc notanda ducimus :

1° Ratio habenda erat jurisdictionis primorum pastorum in gestione bonorum ecclesiasticorum. Casu, v. g., quo oritur conflictus inter Episcopum et capitulum de gestione bonorum mensæ capitularis, vel inter Parochum et fabricam, lex statuit causam deferendam esse ad ministrum gubernii, cujus erit summo jure decernere inter partes contradicentes : quando necessarium videtur removere a munere alterum e consiliariis fabricæ, aut renovare ex integro consilium, Episcopo id solum tribuitur ut suas querelas ad ministrum dirigat, qui statuet quid opportunum arbitratus sit... : hæc et alia hujusmodi probare non possumus ; cur enim sententia definitiva, in iis quæ gubernium non obstringunt necessitate impensas ex ærario publico subeundi, non adscribitur judici ecclesiastico, cum facultate appellandi ad superiorem in eodem ordine, scilicet ad Metropolitanum et ad S. Pontificem ? Expedit solum, ut quando agitur de alienatione immobilium, vel de impensis quæ excedunt redditus Ecclesiarum et municipiis imponuntur, nihil definiatur nisi ex mutuo consensu.

2° Æquitas certe suadebat ut hujusmodi negotia non aliter componerentur ; siquidem agebatur de administratione bonorum in quæ Ecclesia jus certum habet. Re quidem vera, bona Ecclesiæ proveniunt ex fundationibus, vel ex oblationibus fidelium, vel ex contractibus onerosis, seu tandem ex Gubernio quod ea dat in dotationem titulorum ecclesiasticorum, et ad subveniendum necessitatibus cultus publici. De tribus prioribus nulla oriri potest dubitatio, quin legitimo titulo sint sub jure et dominio Ecclesiæ,

ut supra notatum est (nº 576). Idem vero dicendum de quarta specie bonorum, quæ nimirum solvit Gubernium civile in dotationem titulorum ecclesiasticorum. Hæc non dantur spontanee adeo ut penes arbitrium gubernii sit hæc subsidia pro nutu subtrahere, sed vi contractus, seu pacti publici, in compensationem dominiorum quibus Ecclesiæ Galliarum spoliatæ fuerant. Id satis manifestatur ex duobus articulis connexis Concordati, XIII nempe et XIV. In articulo XIII S. Pontifex declarat suo, suorumque successorum nomine, se consentire *pro pacis bono*, felicique religionis restitutione, ut qui bona Ecclesiæ alienata acquisierant, eorumdem proprietatem incommutabilem servarent; in articulo autem XIV, Gubernium Gallicanæ reipublicæ in se recipit, tum Episcoporum, tum parochorum, quorum diœceses atque parochias nova circumscriptio complectetur, sustentationem quæ cujusque statum deceat. Rationem hujus art. XIV, quam nemo non perspicit, ita paucis explicavit Pius VII in Bulla *Ecclesia Christi*: « Quoniam Galliarum Ecclesiis veteri suo patri« monio privatis invenienda ratio aliqua est, qua suppleri « Episcoporum et parochorum sustentationi ac decentiæ « possit, Galliarum Gubernium in se recipit... » Cardinalis Legatus eodem sensu declaravit nomine atque auctoritate R. Pontificis, Ecclesiarum « dotationem ex iis redditibus « conflatam fore, qui ab ipso Gubernio, juxta præfatæ « conventionis tenorem, singulis Archiepiscopis et Epis« copis quamprimum assignandi erunt. » Quod item decrevit pro ecclesiis parochialibus. Ab initio, quando Gubernium Ecclesias suis dominiis spoliavit, spopondit se daturum in compensationem redditus sufficientes quibus provideretur necessitatibus cultus publici. « En déclarant « nationaux les biens du clergé catholique, *ait* Portalis, « on avait compris qu'il était juste d'assurer la subsis« tance des ministres à qui les biens avaient été origi« nairement donnés ; on ne fera qu'exécuter ce principe

« de justice en assignant aux ministres catholiques des « secours...[1]. »

Merito igitur asseruimus Ecclesiam jus certum habere in sua bona temporalia, ne iis quidem exceptis quæ ipsi a Gubernio assignantur vi Concordati; unde concludimus æquum omnino fuisse, principiis utique juris naturalis consentaneum, ut ordinatio fabricarum non constitueretur absque interventu et assensu Ecclesiæ.

Fatendum tamen potestatem sæcularem, etiamsi non dederit Ecclesiæ partes quas habere debuisset in constituendo regimine fabricarum, illud ordinasse plerumque juxta veteres regulas, quas ipsi Episcopi servaverant, accommodatas novæ conditioni temporum, quando post Concordatum fabricas in suis diœcesibus instaurare cœperunt; unde primi Pastores hoc idem regimen generatim acceptum habuere.

1. Decretum Card. Legati *Cum Sanctissimus*, die 9 aprilis 1802; — Portalis, *Rapport sur les articles organiques*; — Carrière, *De Justitia et Jure*, t. I, sect. I, c. IV *de Dominio Ecclesiæ*, nis 121-144. — Circa universim regimen fabricarum, confer Portalis, *Rapport sur les fabriques des églises ; — Lettre du Ministre des cultes au Ministre de l'intérieur sur l'organisation et la nature des diverses espèces de fabriques*, in opere *Discours, rapports et travaux inédits sur le Concordat de* 1801, par Portalis, in-8, p. 388-417. — Multæ ibi habentur animadversiones, quas meditari peropportunum foret his qui, in præsenti tempore, Cœtui Legislativo certas proponere student innovationes in regimine fabricarum. De istis innovationibus nihil dicendum putavimus, quia sunt mera quorumdam proposita; optandum ut hæc repellat sapientia Legislatorum.

INDEX

PARTIS SECUNDÆ PRÆLECTIONUM CANONICARUM

Asterisco notantur quæstiones quas præcipue tractare expedit, ubi tempus lectionibus juris canonici impendendum non sinit ut cæteræ omnes exponantur.

PARS II

De Personis.

SECTIO PRIMA.

DE LAICIS.

SECTIO II.

DE CLERICIS.

ART. I. — DE PROMOVENDIS IN STATUM CLERICALEM.

ART. II. — DE REGULIS JURE PRÆSTITUTIS UT QUIS RITE AD ORDINATIONEM ADMITTATUR.

ART. III. — DE OBLIGATIONIBUS CLERICORUM.

ART. IV. — DE PRIVILEGIIS ET IMMUNITATIBUS CLERICORUM.

SECTIO III.

DE SCHOLIS CLERICORUM.

ART. I. — DE SEMINARIORUM INSTITUTO

ART. II. — DE UNIVERSITATIBUS SEU ACADEMIIS.

SECTIO IV.

DE CAPITULIS ECCLESIARUM CATHEDRALIUM ET COLLEGIATARUM.

ART. I. — DE CAPITULIS ECCLESIARUM CATHEDRALIUM ET COLLEGIATARUM.

ART. II. — DE ELECTIONE CAPITULORUM ET NOMINATIONE CANONICORUM.

ART. III. — DE STATUTIS CAPITULORUM.

ART. IV. — DE OBLIGATIONIBUS CAPITULORUM ET CANONICORUM.

ART. V. — DE JURIBUS CAPITULORUM ET CANONICORUM.

ART. VI. — DE CŒTU CAPITULARI.

SECTIO V.

DE REGULARIBUS.

ART. I. — DE ORIGINE STATUS RELIGIOSI AC PRÆCIPUORUM ORDINUM RELIGIOSORUM.

ART. II. — DE NATURA STATUS RELIGIOSI.

ART. III. — DE APPROBATIONE ORDINUM RELIGIOSORUM, ET DE CONSTITUTIONE PROVINCIARUM, CONVENTUUM ET DOMORUM EORUMDEM ORDINUM.

ART. IV. — DE ADMISSIONE FIDELIUM IN STATU RELIGIOSO.

§ 1. — *De admittendis in statu religioso.*

§ 2. — *De novitiatu.*

§ 3. — *De professione.*

ART. V. — DE OBLIGATIONIBUS STATUS RELIGIOSI.

§ 1. — *De obligationibus quæ oriuntur ab ipsis votis religionis.*

§ 2. — *Obligationes jure canonico annexæ statui religioso.*

§ 3. — *Quotuplici modo immutari vel cessare possint obligationes status religiosi.*

ART. VI. — DE REGIMINE STATUS RELIGIOSI.

ART. II. — DE ORDINE QUO FESTA CELEBRANTUR PER DECURSUM ANNI.

ART. III. — DE PRÆSCRIPTIS AD CELEBRATIONEM FESTORUM.

SECTIO II.

DE OFFICIO DIVINO

ART. I. — DE ORIGINE ET FORMA DIVINI OFFICII.

ART. II. — DE JURE INSTITUENDI ET IMMUTANDI FORMAM DIVINI OFFICII.

ART. III. — QUÆSTIONES PRACTICÆ CIRCA RECITATIONEM ET CANTUM OFFICII DIVINI.

SECTIO III.

DE LOCIS DEO SACRIS.

ART. I. — DE ECCLESIIS ET SACELLIS PRIVATIS.

§ 1. — *De erectione Ecclesiarum et de sacellis privatis.*

§ 2. — *De benedictione et consecratione Ecclesiarum.*

§ 3. — *De sacra supellectili Ecclesiarum.*

§ 4. — *De jure præeminentiæ inter Ecclesias et de privilegiis Basilicarum.*

§ 5. — *De immunitate Ecclesiarum.*

ART. II. — DE COEMETERIIS.

SECTIO IV.

DE BONIS TEMPORALIBUS ECCLESIÆ

§ 3. — *De fundationibus.*

§ 4. — *De beneficiis.*

ART. III. — DE ADMINISTRATIONE ET ALIENATIONE BONORUM ECCLESIASTICORUM.

§ 1. — *De administratione et alienatione bonorum ecclesiasticorum juxta leges canonicas.*

§ 2. — *De administratione bonorum ecclesiasticorum juxta leges civiles.*

GPM
5/3/27

FINIS INDICIS TOMI SECUNDI.

Sceaux. — Ex typis Charaire et Filii.



Paris. — J. Mersch et Cie, imp., 8, rue Campagne-Première



